

J. RODOLPHI à WALDKIRCH,
Basil. Phil. & Utr. Jur. Doct.

COMPENDIUM HISTORICUM
à
MUNDO CONDITO
usque ad
HODIERNUM DIEM
productum.

Recentiorem imprimis Historiam enucleans,
& ad Usum eorum,
qui Juri Publico operam daturi sunt,
attemperatum.

Cum triplici Indice,
PERSONARUM, RERUM ET
LOCORUM.







BASILEÆ,
Impensis THURNISIORUM, Fratrum.
cIↃ IↃCC XIV.

VIRIS
GENERIS SPLENDORE
MAJORUM GLORIA
VIRTUTUM PROPRIARUM
MERITIS
INDIES
UBERIORI PROVENTU
PULLULANTIBUS

NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS,
INCLUTIS, OPTIMIS

DOMINIS

Do. J. CHRISTOPHORO
DE WALDKIRCH,
J. U. L. Scaphuſ.

Do. JOH. FRIEDERICO
WETTSTEIN, J. U. L.
Ducentumviro, atque Fori Judiciarii apud nos Aſſeſſori prudentiſſimo.

Do. EMANUELI WEIS,
J. U. L. Ducentumviro, atque Xenodochii apud nos Protogrammateo meritiſſimo.

NEC NON

ADOLESCENTIBUS

VIRTVTIS AMORE

MORVM COMITATE

SPEI FERTILITATE

CONSPICUIS, LAUDATISSIMIS

ORNATISSIMIS

DNO. DANIELI KUNTSIO,

S. GALLENS.

DNO. PAULO KUNTSIO,

DNO. SEBAST. KUNTSIO,

FRATRIB. GERMAN. S. GALLENS.

Dominis, Fautoribus & Amicis suis honoratissimis, æstumatissimis,

Hocce

MUNUSCULUM HISTORICUM

In

Gratitudinis & perpetuæ Amicitiæ

Symbolum

cum omnigenæ felicitatis sincero voto

offert,

donat, dedicat

AUTHOR.



PROLEGOMENA.

UT *Hiſtoriæ* Encomium multis faciamus verbis, opus planè non eſt; utpotè, cujus inſignis utilitas & uberrimus fructus, in omnia vitæ humanæ genera diſperſus, abundè omnibus conſtat; queîs quidem ſuprà vulgus ſapere & in juventute ſenes eſſe volupe eſt.

Illi imprimis, qui Reipublicæ adminiſtrandæ ſunt nati & deſtinati, aciem ſuorum oculorum, ne momentum ferè, ab iſthoc exemplorum ſpeculo, avertere poſſunt; ſiquidem rerum ſuarum benè ſatagere cupiunt. Inibi enim conſpicies, quod prudenter imiteris, vel ſagaciter prævideas, vel cautè declines & omittas.

Studioſo, Jura publica Imperiorum, imprimis autem Germaniæ noſtræ ſciturienti, vana erit opera & manca ſine Hiſtoriæ lumine cognitio.

gnitio. Hac verò filum præbente, expeditum ubique iter. Dicas de exemptionibus Imperii. Differas de Origine Electorum Serenissimorum. Disputes de Superioritate Territoriali. Agas de decantato Jure Principum. Tractes de Feudis Clericorum secularibus, ut alios taceam articulos, in tenebris erroneos pones pedes, nisi Historiæ Fax tibi præluceat.

Sicuti autem *Historia* vox, brevis est enunciationis; ita longum trahit Syrma; quod, nisi à gestatore sublevetur, pedes facilè implicat, & impeditos facit gressus.

Quapropter, operæ pretium duxi præmonere, in omni historia quatuor esse scitu necessaria. Nempè

1. *Locus.* 2. *Tempus.* 3. *Factum.* 4. *Persona.* Undè quatuor proveniunt Historiæ quasi partes, sine quibus illa integra non est. Videlicèt

1. *Geographia, Chorographia* & *Topographia.*

2. *Chronologia.*

3. *Historia Pragmatica.*

4. *Genealogia* cui ancillatur *Ars Heraldica* vulgò *le Blason*, vel Wappen=Kunst.

I. GEOGRAPHIA, Globum terraqueum perluſtrat; Maria, Terras, Regiones, Inſulas delineat, repræſentat, dividit, deſcribit. Hocque in opere varii laborarunt Viri, tàm ex antiquis, veluti *Strabo*, *Pomponius Mela*, *Ptolomæus*, *Solinus*, *Iſidorus Hiſpalenſis* &c. quàm ex recentioribus, veluti *Æneas Sylvius* (poſteà inter Pontifices Romanos, ſub nomine *Pii II.* notus) *Volaterranus*, *Pyrchaymerus*, *Joachimus Vadianus*, *Ortelius*, *Philippus Cluverius*, *Petrus du Val*, *Gœlnizius*, *Schulterus*, *Cellarius*, *Varenius*, *Mallettus*, *Ricciolus*, *De la Croix*, *Dicelius* &c. Hodieque non malè meritus eſt *Johannes Hübnerus*, Merſeburgenſis quondam, nunc verò Hamburgenſis Gymnaſii Rector; cujus utiliſſimus libellus, Germanorum manibus, multo cum fructu, teritur.

Chorographia, regiones particulares adumbrat atque deſignat. Hoc in

in labore varii Chartarum Geographicarum (quarum uſus eſt antiquiſſimus) delineatores deſudarunt. Potiores & meliores hodiè ſunt, quas edidit, *Sanſonius*, *Jaillottus*, *Coronelli*, *de L'Isle*, *Valckius*, *Danckertus*, *Viſcherus*. Germaniæ chartam optimam exhibuit *Funccius* Norimbergæ. Helvetiam nuperrimè curioſo labore exprimere conatus eſt *D. J. Jac. Scheuchzerus*, *Med. D Tigur.* at non planè ad votum. Alſatiam verò *Jacobus Meyerus Baſilienſis*, operis publicis Præfectus & tandem Senator; qui quoque agrum Baſilienſem delineavit egregia exactitudine, eaque delineatio in Archivo noſtro aſſervatur.

Topographia, Civitates, Oppida, Arces, Pagos & Vicos, ad vivum delineatas, oculis ſiſtit conſpiciendas. Hoc in opere clareſcit *Matthias Merianus* & *Zeilerus*.

Hydrographia, Aquas, Maria, Fluvios, Littora, Promontoria, Syrtes, Vada, Vortigines &c. repræſentat, & nautis inſignem præbet uſum.

Porrò *Geographia* tres habet quasi facies. *Historicam*, quæ nobis terras exhibet cum narratione seu explicatione historica. *Politicam*, quæ nobis Regnorum & Principatuum ambitum, notas atque fines designat. *Astronomicam* seu *Mathematicam*, quæ nobis globi terraquei situm, figuram, motum, circulos, climata, zonas, polos &c. exponit.

II. Chronologia, uti spinosior & macilentior est, ita quoque est incertior & obscurior. Undè in Historia antiqua, circà Chronologiam, multùm non est desudandum; propter magnos hiatus & discordantium Scriptorum, tàm sacrorum, quàm profanorum opiniones irreconciliabiles. Verè enim hîc dicitur; Tot esse sensus, quot sunt capita.

Verisimilior itaque opinio & calculatio, sine reprehensione, eligitur. Maximè usurpant Chronologi, fictitiam *Periodum Julianam*, quæ constat 7980. annis, seu tribus cyclis in se multiplicatis,

nempè

nempè Solis, annorum	28	28
Lunæ, annorum	19	19
		532
Indictionis, annorum	15	15
		7980

Hanc *Periodum Julianam* creatione mundi antiquiorem ponit *J. Scaliger* annis 764. quibus ab anno aliquo Periodi Julianæ detractis, habebis Annum Mundi conditi. Sed ab eo dissentit *D. Petavius*, qui Periodum Julianam annis 730. tantùm mundi creatione facit antiquiorem. Hinc juxtà calculum Scaligeri dies Christi natalitius, incidit in Annum Mundi 3949. sed juxtà Petavium, in Annum 3983. Alii illum removent in Annum 4000. Secuti forsan Eliæ Rabbini traditionem Thalmudicam: *Sex millia annorum mundus & deindè conflagratio. Duo millia inane. Duo millia Lex. Duo millia dies Messiæ.* Quæ vetus sit oportet, cùm apud Platonem citetur versus Orphei:

Progenie in sexta, mundum cantare quiescas.

Sunt præterea nonnulli Hiſtoriæ & Chronologiæ velut cardines, hoc eſt, memorabiles temporum epochæ; de quibus conſtans & unanimis eſt omnium Scriptorum conſenſus. Hi ſunt quaſi lapis Lydius, quo Chronologias examinamus atque juſtas probamus.

Talis eſt Annus Incarnationis Filii Dei, qui in Periodo Juliana eſt Annus 4713.

Annus primus Olympiacus, ſeu *Iphiti*; qui incipit annis ante Chriſtum natum DCC.LXXVI. adeoque incidit in Annum Period. Jul. 3937. Mundi verò 3173.

Annus primus Nabonnaſſaris incidit in Annum Per. Jul. 3967. Mundi 3203.

Annus primus Urbis Rom. conditæ Varronianus incidit in Annum Per. Jul. 3961. Mundi 3197. Capitolinus verò, in Annum Per. Jul. 3962. Mundi 3198.

Circà Annum mundi creati, diſcrepantes ſunt Bibliorum Textus & Scriptores Eccleſiaſtici; qua de re notanda

notanda invenis, apud *Joachimum Camerarium*, in Chronologia *Nicephori.*

Olympias erat annorum quaternio à Græcis uſitata. Quinto enim quoquo anno, ludi Olympici celebrabantur, in Olympia urbe Elidis, in ipſo Solſtitii æſtivi principio, à quo Græci annum ordiebantur. Illi durabant uſque ad ætatem Imperatoris Theodoſii M. Hinc quoque dependet Hiſtoria Græcorum certa.

Hiſpani uſi ſemper ſunt propria *Aera*, quæ incipiebat ab Anno Auguſti XVI. quo *Tarracone* Edictum erat publicatum de cenſendo Orbe. Mos iſte calculandi deſiit ætate *Ferdinandi Catholici.* Anno Chr. 1490.

Sarraceni & Turcæ hodienùm annos ſuos numerant à fuga *Mahomethi* impoſtoris, quam *Hegiram* appellant. Hanc quidam collocant in Ann. Chr. 621. *Funccius* autem in Ann. Chr. 623. *Bodinus* in Ann. Chr. 592. *Cælius Auguſtinus* in Ann. Chr. 593.

Con-

Concilium Nycænum in uſum quoque deduxit Indictiones Conſtantinianas XV. annos complexas. Earum initium eſt ab Anno Chriſti 313. d. VIII. antè Kalend. Octobr. quó *Conſtantinus* delevit *Maxentium.*

His obſervatis facilè eſt Hiſtorias variarum Gentium & Chronologias conciliare & ad Annum Mundi conditi, vel Chriſti nati reducere. Ubi ſimùl notandum, uſum calculationis à Chriſto nato conſtantem, cœpiſſe demùm Anno DC.

Indicandi etiam ſunt Viri præcipui, qui olim & nunc in Chronologicis ſcribendo laborarunt. Habemus ergò, *Philonem, Nicephorum, Euſebium, Casſiodorum, Hieronymum, Alphonſum Regem, Picum Mirandulanum, Sigibertum Gemblacenſem, Abbatem Urſpergenſem, Henricum Glareanum, Joachimum Camerarium, Philippum Melanchtonem, Johannem Funccium, Davidem Chytræum, Michaëlem Butherium, Abrahamum Bucholzerum, J. Scaligerum, Alſtedium, Marquardum*

dum Freherum, D. Petavium, Calvisium Sethum, G. Marcellum, Ægid. Strauchium, Harvilæum, Gordonium, Baillium, Guthberletum, alios.

Historia Pragmatica, eſt rerum in orbe geſtarum vera & fidelis expoſitio. Illa concernit vel Fata Eccleſiæ, indeque *Eccleſiaſtica* dicitur; vel Rempublicam civilem, indeque *Politica* nuncupatur. Utraque multiplices & inſignes in vita hominum fert fructus; ſolatur & docet.

Eccleſiaſtica pertinet, vel ad tempora N. T. quam brevi ſtrictione in hoc libello ſubjunxi. Pleniſſimam ejus cognitionem hauries, præter S. Biblia, ex *Joſepho, Egeſippo, Juſtino Martyre, Euſebio, Nicephoro, Socrate, Sozomeno, Iſidoro, Theodoreto, Origene, Paulo Ebero, Philippo Camerario, Melanchtone, Luthero, Bennone Cardinale, Platina, Chytræo, Baleo, Schardio, Hedione, Hornio, Alexandro Natale, Fleyrio, Baillio, Raymundo Florimundo,* qui Hiſtoriam Hæreſum ſcripſit. Adde *Cæſaris Baronii Cardinalis Annales Eccleſ.* cum Con-

Continuatione *Raynaldi*, in quos Critica Histor. Chronolog. prodiit Anno 1705. & *Casaubonus* calamum contra eosdem strinxit. *Pauli Crocii Martyrologium* edit. 1682. *Gottfriedi Arnoldi Historia Eccles. & Hæresum.* edit. Francof. 1700. cum Supplemento. edit. 1703. Historiam Literariam & Conciliorum edidit *Cave* An. 1705. Confer *Dupini Tractat. de Authoribus Ecclesiast. in* 4. *Vol. XIV.*

Politica concernit ea, quæ in Civitatibus circà statum politicum geruntur, aguntur, tempore utroque, tàm pacis, quàm belli. Respicit autem vel universalia illa quatuor & summa Imperia, quæ *Monarchias* vocamus, nempè *Assyriaco - Babylonicam*, *Persicam*, *Græcam* & *Romanam* (quæ, nùm à Daniele Propheta Cap. II. & VII. fuerint indigitatæ, quidam disputant).

Tres priores veloci penna saltem adumbravi; pleniorem verò illius Historiæ cognitionem comparabis ex Authoribus sequentibus.

Assyria-

Assyriacam Monarchiam explicant, partim *S. Paginæ*, partim *Josephus Berosus*, *Manethon* (qui duo tamen sunt suspecti) *Herodotus*, *Diodorus Siculus*, *Justinus*.

Persicam tradunt, itidem *S. Biblia*, *Josephus*, *Metasthenes*, *Herodotus*, *Thucydides*, *Xenophon* (quamquàm hujus liber, non ad Historiæ fidem videtur conscriptus, sed potiùs ad formandum boni Principis animum, eo forsan fine, quo Archiepiscopus Cameracensis scripsit suum *Telemachum.*) *Diodorus Siculus*, *Justinus*.

Græcam describunt, adhuc *Josephus*, *Polybius*, *Diodorus*, *T. Livius*, *Orosius*, *Justinus*, *Plutarchus*, *Q. Curtius*.

Romanam sub Regibus & Consulibus delineant, *Florus*, *Vellejus Paterculus*, *T. Livius*, *Dyonisius Halicarnassæus*. Sub Monarchis usque ad interitum Imperii Occidentalis, *Suetonius*, *C. Tacitus*, *Dion*, *Herodianus*, *Diodorus Siculus*, *Procopius*, *Ammianus Marcellinus*, *Sext. Rufus*, *Aurel.*

Aurel. Victor. Impressi sunt Basileæ uno volumine Scriptores Historiæ Augustæ seu Vitæ Cæsarum.

Imperii Orientalis Historiam pertexunt, *Zonaras, Cedrenus, Leonicus Chalcocondyles, Glycas, Nicephorus Gregoras.*

Gothorum Res & Facta habent *Procopius* & *Jornandes*, quibus addi potest *Carolus Sigonius de Regno Italiæ.*

Res à Longobardis gestas scripserunt, *Paulus Diaconus, Warnefridus, Sabellicus, Blondus, Carolus Sigonius.*

Imperii Occidentalis ætate Caroli M. renati Historiam enarrant multi. Antiquiores sunt, *Eginhardus in Vita Carol. Annales Francici. Wittechindus Monachus : Sigebertus Gemblacensis : Luitprandus : Hrosvvitha Monialis : Abbas Urspergensis : Regino : Hermannus Contractus : Lampertus Schafnaburgensis: Otto Frisingensis:* aliique Scriptores, qui reperiuntur in IV. Tomis Scriptorum Rerum Germanicarum, *Simonis Schardii*, recusi Giessæ Anno 1673. In Opere Pistoriano III. Tomor. à *Johanne Pistorio,*

rio, *Nidano*, Ecclesiæ Cathedralis Vratislaviensis Præposito edito. Item in opere Urstisiano, II. Tomor. à *Christiano Urstisio Basiliensi* edito & recuso Francofordiæ Anno 1670. in Tomo Reuberiano, quam *Justus Reuberus* Hanoviæ edidit. Anno 1619. In Tomis III. *Marquardi Freheri.* In Tomis III. *Henrici Meibomii* editis Helmstadiæ Anno 1688. Nec non in Opere *Godofredi Leibnizii*, editi Hanoveræ Anno 1700. Recentiores sunt *Huldericus Mutius*, *Nauclerus*, *Cuspinianus*, *Franciscus* & *Ludovicus Guicciardinus*, *Johannes Sleidanus*, *Christophorus Lehmannus*, *Hortlederus*, *Gothofredi Chronicon*, *Theatrum Europæum*, *Joh Philipp. à Vorburg. Histor. Roman. German. edit. Anno* 1645. *Joh. Baptista Braunius* in *Historia Augusta*, *edita Dillingæ Anno* 1698.

Ex Scriptoribus Isagogicis Historiæ Universalis, non ultimos duco

Joh. Sleidanum de 4. *Summis Imperiis*, *cum Not. Strauchii*, *Edit. Francof.* 1683. in 12.

Læti, Compendium Histor. Univers. Civil. & Eccles. edit. Lips. Anno 1679. *in* 12.

Reusneri, Isagogen Histor. Polit. & Eccles. in 4.

Sagittarii, Nucleum Histor. German. in 12.

Henrici Mascampii, Epitomen Histor. Civil. edit. Vesal. An. 1708. 8.

Johann. Micrelii, Historiam Polit. edit. Hamburg. Ann. 1702. *in* 4.

Vallemontii, Elementa Histor. Tom. III. in 8.

Ruperti, Observationes ad Historiam Univers.

Carionis quoque *Chronicon* à Tyronibus utiliter legitur cum additionibus *Philippi Melanchtonis* & *Caspari Peuceri.*

Vel respicit reliqua Regna eaque vel præterita & ævi vetustioris, veluti; Ægyptiorum, Judæorum, Macedonicum, Armeniacum, Parthicum, Ponticum &c. de quibus passim in *S. Bibliis, Josepho, Polybio, Diodoro,*

doro, *Dione*, *Livio*, *Justino*, *Eutropio*, *Egesippo*, *Appiano*, aliisque invenies. Vel nostri ævi & adhuc florentia in Europa, Asia, Africa & America.

Nulla tamen nos propiùs tangunt post Historiam patriam, quam Regna & Respublicæ hodiernùm in Europa virentia, quorum notitia carere Politicus nescit.

Qua de causa, post præmissam brevibus paginis Historiam antiquam, id maximè egi in præsenti Opusculo, ut novam illam Historiam politicam compendiosè proponerem, animosque ita tinctos ad latiores Scriptorum libros ablegarem. Imperium Romano-Germanicum, sicuti & authoritate & splendore, reliqua regna præcellit, ita illius Historiam eorumque statuum, qui illi vel sunt juncti adhuc, vel olim fuerunt, hac vice, synoptico labore comprehensam sisto, reliquis suo tempore secuturis, Deo ita volente.

In gratiam verò illorum, qui

In gratiam verò illorum, qui ampliora de unoquoque ſtatu ſcire cupiunt, Scriptores Hiſtoricos jam adjungam, ut ipſos apud fontes bibere poſſint.

Hiſtoriæ Hungaricæ telam texuére, *Anthon. Bonfinius : Johannes Sambucus : Michaël Ritius : Ortelius: Iſthuanfius.* De Regno Dalmatiæ & Croatiæ tractatum edidit *Johann. Lucius.* Recentiora ad illam Hiſtoriam pertinentia collegit *Chriſtoph. Boëthius* in *Relatione vernacula, de Turbis & Victoriis Hungaricis edit. Norimberg. Ann.* 1687. *in* 4. *Tom. VI.* & *Johann. Michaël Fuxius*, in *Appendice Deſcriptionis Genealogicæ Joſephi I. Imper. edit.* 1700. Addi quoque poteſt *Theatrum Europæum* & *Relatio Francofordenſis. Joh. Ferdinand. Behamb.* ſcripſit *Notitiam Hungariæ antiquæ & modernæ. Ann.* 1676.

Bohemici Regni Geſta enarrant Annales Bohemici varii. *Goldaſtus. Dubravius. Æneas Sylvius. Proco-*

pius

pius Lupacius. Balbinus.

Hiſtoriam Domus Auſtriacæ ſigillatim ſcripſére, *Gerhardus de Roo. Joh. Jacobus Comes à Fugger. Pappenhemius Comes. Guillimannus in Habſpurgicis*; *Didacus Lequile*; *Dauberus in Origine Gentis Auſtriacæ. Johann. Cuſpinianus. Pontus Heuterus. Varillas, Hiſtoria Politica Domus Auſtriacæ. Joh. Michael Fuxius. Author Status Terrar. Auſtriacar. edit.* 1706. alii.

De Domu Palatino - Bavarica extant, præter *Johannem Aventinum* & *Nicolaum Reuſnerum*, *Marci Welſeri* Boica. *Andreæ Brunneri* Principes Bavarici. *Wigul. Hundii* Metropol. & Geneal. Stemm. Bavar. *Marquardi Freheri*, Origines Palatinæ. *Caroli Ludovici Tolneri*, Hiſtoria Palatina, *edit.* 1700. Hiſtoria belli Bavarici, *edita* 1704. Author Status hodierni Bavarici, *edit.* 1706.

Domus Saxonicæ geſta præcipuè referunt, *Albert. Crantzius* in Saxon. *Cyriac. Spangenberg. Chron.* Henneberg. *Chytræus*, Chron. Saxon.

Wolfgang. Crusius in Origin. Ducum Saxoniæ. *Petr. Albinus*, in Chron. Misniæ. *Brotuff.* in Chron. Anhalt.

Domus Brandenburgicæ & Borussicæ Historiam, præter Scriptores antiquos rerum Slavicarum & Vandalicarum, *Helmoldum, Arnoldum Lubeccensem*, *Crancium* &c. referunt *Christianus Hartknochius*, in Boruss. Veter. & Nova. *Samuel Puffendorfius*, in Histor. Brandenburg. *Zimmetshusius*, *Rentschius*, *Petrus de Dusburg.* Chron. Pruss. Ann. 1679.

Domus Brunsvico-Luneburgensis Gesta invenies apud *Crancium*: *Büntingium*, Chron. Brunsvic. *Sagittarium*, in Origin. Brunsvic. *Maderum*, in Antiquitat. Brunsvic. *Winckelmannum*, in Arbor. Gentilit. Ducum Brunsvicens.

Domus Hassiacæ Origines & Gesta recensent, *Dillichius*, Chron. Hass. *Cyr. Spangenberg.* Chron. Hass. *Annales Fuldenses.* Author *Histor. Landgrav. Thuring.*

Domus

Domus Wurtembergicæ, *Walzius. Martinus Crusius*, in Annal. Suev. *Felix Faber*, Histor. Suev. *Chronicon Wurtemberg.*

Domus Badensis, *Martinus Crusius.* d. Tract. *Schurtzfleischius.* in Reb. Badens.

Domus & Ducatus Lotharingiæ Historiam leges apud *Hub. Loyenum*, in Synopsi rer. gestar. à Lothar. & Brabant. Ducib. *Franciscum de Rosieres*, in Stemmat. Duc. Lothar. *Johan. Jacobum Chifletium*, in Commentar. Lothar. & *Authorem Anonymum*, de Regno Lotharingiæ, edit. 1682. alios vide apud *Blondellum.*

Domus Regiæ Sabaudicæ Facta decantant, *Samuel Guichenovius. Papyrius Massonius. Carolus Josephus Morozzius, in Vit. Amadæi III.* Author *Status & Situs hodierni Ducat. Sabaud. & Pedemont. edit. Norimb.* 1690. 4.

Res Helvetiorum, Fœdera atque Bella describunt; *Johannes Stumpfius. Josias Simlerus. Michael Stettlerus.*

lerus. Chriſtianus Urſtiſius. Joh. Baptiſta Plantinus. Jo. Jacobus Graſſerus. Franciſcus Guillimannus. Joh. Henricus Hottingerus. Joh. Henricus Rahnius. Joh. Henricus Bluntſch, edidit, *Memorabilia Tigurina*. 1704. Hiſtoriam Helvetiæ Eccleſiaſticam conſcripſit *Heideggerus*. Sed Hiſtoriam naturalem curioſam *Joh. Jacobus Wagnerus*, & *Carolus Scheuchzerus* Med. D. Rhætiam deſcripſit *Ægidius Tſchudy* & *Johannes Gulerus*.

Reliquos reliquorum Regnorum memorabiles Scriptores, alia vice, opportuniùs recenſebo, cum eorundem Synopſin Hiſtoricam, Deo volente, exponam.

IV. Genealogia enucleat Familias illuſtres, Regnorum & Dynaſtiarum conditores, conſervatores, everſores, & ut ſummatim dicam, origines Heroum inquirit & pandit, eorumque proſapiam demonſtrat. Curioſum magis, quàm utile eſt, veterum tàm Græcarum quàm Romanarum Familiarum Genealogiam perſcrutari (niſi fortè dicas, ad pleniorem

niorem & clariorem veteris Hiſtoriæ cognitionem, non parùm illam conducere) eam tamen, quæ hodiernas Sereniſſimas & Illuſtriſſimas Europæ Familias ἄρχοντες explicat, Politicæ Hiſtoriæ Amator atque Studioſus ignorare omninò nequit, ſed ſtudio ſuo adjungat neceſſe eſt, ne videatur in terra incognita verſari. Hinc enim addiſcet Principum conſanguinitates & affinitates, indeque natas ſucceſſiones, prætenſiones, incrementa, decrementa, aliaque ſcitu perneceſſaria.

Quæ eadem utiliſſimo juxtà ac jucundiſſimo invento, brevibus ſignis & quaſi unum in punctum collecta, repræſentant *inſignia* ſeu *arma gentilitia*, quibus ab ætate Caroli M. frequentiùs tempore Henrici Aucupis & univerſaliter ab illa tempeſtate, quo Chriſtiani, furioſo & ſuperſtitioſo impetu acti, armatas in terram ſanctam faciebant expeditiones, S. Sepulchrum Servatoris noſtri (uti ſuperſtitio pia credit) manibus infidelium erepturi, Principes & Nobi-

les atque Milites uti cœperunt, & poſtmodùm illas notas atque δείγματα in deſcendentes ſuos tranſmiſerunt, reliquis dein hunc morem receptum imitantibus. His notis itaque gens à gente, familia à familia diſcriminatæ, terræ atque poſſeſſiones, prætenſiones, ſucceſſiones, origines indicatæ, aliaque memorabilia Heroum expreſſæ.

Sic in Scuto Regni Angliæ, Lilia Francica tibi muta hiſtoriâ enarrant, veterem Anglorum prætenſionem in Regnum Franciæ.

In Scuto Saxonico vides δείγματα Ducum antiquorum Juliaci, Cliviæ & Montium, nobilem illam prætenſionem in illas terras, ortamque indè controverſiam, tibi denotantia.

In Scuto Sabaudico cernis pullum *Wittekindi* Saxonis, nec non inſignia Saxoniæ Ducatus; quibus nil aliud delineatur, quàm Sabaudicæ Domus origo, è ſanguine *Wittekindi*.

In Scuto Auſtriaco Leo Habſpurgicus, adumbrat originem Sereniſſimæ illius Familiæ, à gente Habſpurgiorum. Inſi-


Insignia Regni Hierosolymitani, tacito ore inquirentibus enarrant celebrem *Gothofredi Bullionæi* expeditionem atque regni illius fundationem.

Scriptores verò celebriores, qui Genealogicos & Heraldicos libros edidére, sunt: *Laboureriuss*, *Menestrierius*, *Spenerus*, *Jacobus Wilhelmus Im Hoff*, *Chifletius*, *Moreau*, *Immanuel Weberus*, *Lohmeyerus*, *Nicolaus Rittershusius*, *Henringesius*, *Hübnerus*, alii.

Cæterùm

——— ——— Bonorum est
Cuncta Theonino non rodere dente, sed, æquo
Pro genio, proq; ingenio, meliora referre,
Si sint in promptu: si non; communibus uti.

J. R. à W.



J. R. à W. B. J. U. D. COMPENDIUM HISTORICUM *A Mundo condito usque ad hodiernum diem.*



Iſtorica Scientia ſex potiſſimùm includit ſpecies; Videl: 1. Politicam. 2. Eccleſiaſticam. 3. Naturalem. 4. Literariam. 5. Artificialem, & 6. Miſcellaneam.

Politica, quæ à Monarchis atque Principibus, tùm in pace tùm in bello geſta, refert, præcipui eſt uſus.

Antequàm autem, Hiſtoriæ Studioſus, ad ſpecialem hujus vel illius Regni hiſtoriam animum applicet, inſtructus is eſſe debet, generali quadam hiſtoriæ cognitione, à primævis mundi Seculis deductæ.

Conſideranda verò veniunt geſta, vel antè Diluvium vel poſt Diluvium Univerſale, in Sacris literis deſcriptum.

Res antè Diluvium geſtæ, maximè obſcuræ ſunt & ignotæ, & quicquid certi habemus, ex primis Geneſeos, capitibus haurimus.

Ex his quippè addiſcimus, Deum Omnipotentem, ſolius verbi ſui virtute, univerſum mundum & quicquid eo continetur, ſex dierum ſpatio, ex nihilo creaſſe. Et quidem autumni tempore. A. Per. Jul. 730.

Ultimo die hominem formavit ex terra rubente, unde *Adami* nomen traxit, eique Spiritu animato, *Evam* ex coſta hominis effictam, vitæ Sociam atque Solatium adjunxit.

Hi feliciſſimi ſui ſtatus, in amœniſſimo horto *Eden*, velut impatientes, divini præcepti, de non comedendo de arbore vitæ, transgreſſores, graviſſimam Ejus iram mortemque ultrò ſibi acerſiverunt.

Ejecti itaque è Paradiſo: Terra maledicta: *Adamus* ad laborem; *Eva* ad partûs dolorem damnata eſt.

Cainus filius *Adami*, agricola atque homo impius, fratrem ſuum *Abelem*, Opilionem hominemque juſtum & propterea DEO acceptum, ex invidia occidit: verùm à DEO graviter increpitus, & ſigno notatus, in fugam errabundus ſeſe conjecit, primamque urbem *Hanochiam* condidit.

Ex liberis *Adami* notantur ſequentes Patriarchæ longævi. *Seth*; *Enos*; *Kaënan*; *Mahaleel*; *Jared*; *Enoch*; (qui vivus in cœlum fuit translatus) *Mathuſalem* (qui hominum longiſſimè vixit, nempè 969. annos) *Lamech*; *Noah*.

Ex deſcendentibus *Caini*; noti ſunt, *Lamech*,

mech; qui primus binas uxores duxisse scribitur, *Adam* & *Zillam*. Filii ex *Ada*, *Jubal*, Musica Instrumenta invenit; *Jabal* verò pecuariam adauxit.

Filius ex *Zilla*, *Tubalcain*, fuit faber & artis fabrilis inventor undè Poetæ gentiles suum effinxerunt *Vulcanum*.

Sunt qui tradunt, horum Sororem *Naëmam*, filandi & texendi artem excogitasse.

His quoque temporibus Gigantes vixere. Vid. Stilling. Fleet. Origin. Sacr. part. 2.

Tandem recedentes à pietate homines, Deique Creatoris turpiter obliti; Universali Diluvio fuerunt submersi, solo *Noacho* cum familia paucisque animalibus salvato. A. M. 1656. & 57.

Ita prima mundi ætas horrendum accepit finem.

GESTA POST DILUVIUM.

Noachus cum sua Uxore & Filiis *Semo*, *Chamo* atque *Japheto*, ex arca egressus; pòst actas DEO gratias, novum fœdus accepit, novamque benedictionem.

Agriculturam restituit; Vineam plantavit. Libros consignasse refert (a) Augustinus, & plurimarum artium inventorem fuisse, videre est apud (b) Athenæum.

(a) lib. 18. de Civ. Dei. Cap. 38. (b) lib. 15. cap. 13.

Quidam quoque tradunt, Græcorum & Latinorum *Janum* & *Saturnum* eundem fuisse, cum isto *Noacho*. Obiit. A. M. 2006. Ætat. 950.

Ad hæc tempora pertinet aurea Poëtarum ætas, sive Seculum Aureum.

Ejus Filii supradicti, posteà terram inter se diviserunt. *Semus* habuit Orientem; *Chamus* Austrum; *Japhetus* Boream.

Semus Sacram stirpem propagavit, atque obiit. A. M. 2158. Ætat. 600.

Ejus descendentes sunt, *Arphaxad*, *Salah*, *Heber*, *Phaleg*, *Regu* (quorum ætate turris Babylonica destructa, & linguarum confusio orta) *Serug*, *Nahor*, *Thara*, *Abraham*, qui Natus A. M. 1948. communis Judæorum Pater extitit.

GESTA SUB ASSYRIACO-BABYLONICIS.

In Sacris notatur *Nimrodus*, *Chami* nepos ex filio *Chus*, qui Tyrannus factus in terra *Sinear*, *Babylonem* ac *Niniven* condidit, ibique Regnum, quod Assyriacum vocatur, fundavit. A. M. 1809.

In Catalogo horum Regum reperiuntur numero 42. Ex quibus verò saltem notandi sequentes.

1. ASSUR vel BELUS, qui *Babylonem* sibi subjecit, circà A. M. 1828. post mortem divino honore fuit affectus.

Instin. lib. 1. c. 1. 2. NINUS. Filius, circà Ann. 1874. Hic primus bella intulit finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos, terminos usque Lybiæ perdomuit. Niniven amplissimam fecit.

Ab

Ab eo gentilium historiæ proficiscuntur. Ob. A. M. 1926.

His temporibus Pastores Phœnices *Ægypti* Regnum condiderunt, sub Rege *Salate.*

Regnum quoque Sicyonium in Peloponneso erexit Ægialeus indigena, circà A. M. 1820.

3. SEMIRAMIS, Nini Uxor, occiso marito, & ascito virili habitu, sceptrum arripuit, circà A. M. 1935. Eunuchorum Ministerium prima introduxit, muros Babyloniæ, inter 7. mundi miracula relatos, circuitu 430. Stad. exstruxit. Tigrim Euphrati commisit, & gesto cum Indis bello, aliisque actis, à Filio Ninya ob libidinem fuit occisa. A. M. 1968. Diodor. lib. XI.

4. NINYAS, Voluptatibus incubuit, Regnumque in certas Provincias distributum Præfectis reliquit gubernandum. Obiit. A. M. 2006.

5. ARIUS, dictus Thuras sive Mars; post mortem sub Baalis nomine fuit cultus. Ob. A. M. 2036.

6. ARALIVS, solo nomine notus, ut cæteri ferè omnes, circà A. M. 2076.

His temporibus *Halisphragmuthosis*, Thebar. Rex, *Assim* ultimum pastorum in Ægypto Regem vicit. A. M. 2070.

Regnum in Creta inchoavit *Cres* ex Curetibus indigena, circà A. M. 2029.

10. BALÆUS. Regnavit circà A. M. 2179.

Inachus Ægyptius Argos condidit, Regnoque Argivorum in Peloponneso initium dedit. A. M. 2127. regnavit. 50. Ann.

12. Mamythus circà A. M. 2263.

14. SPHÆRUS, circà A. M. 2323. *Spartus Phoronei* Argivi Fil, Spartanam gentem condidit. A. M. 2266.

17. Ascatades circà A. M. 2413.

Hoc regnante *Cecrops* Ægyptius Socero *Actæo* in Attica successit. A. M. 2426. Athenas condidit.

Diluvium sub *Deucalione* in Thessalia contigit. Ann. M. 2470.

Phœnix & *Cadmus* Thebis Ægyptiis profecti *Tyrum* & *Sidonem* obtinent. A. M. 2526.

Teucer fit Rex primus in Troade; cui gener Dardanus ex Samothracia successit; *Pallidium* attulit & Dardaniam condidit. A. M. 2576.

42. SARDANAPALUS, circà A. M. 3088. Hic *Anchialem* & *Tarsum* urbes una die extruxit; cæterùm effœminatus regiminis nullam curam gessit; undè contemptus, & rebellione facta ab *Arbace* & *Beleso*, se ipsum in foro Regiæ, cum Thesauris atque Concúbinis, exussit, sicque seriem horum Regum clausit. A. M. 3108.

Arbaces Mediam occupavit, & *Belesus* Babyloniam.

Caranus Heraclida Argis profectus, *Edessam* ductu caprarum captam, vocat *Ægas*, & Mace-

Macedoniæ regno initium dat. A. M. 3170.

In Assyria PHUL novam Dynastiam *Ninive* erexit, atque Israëlitas aggressus, à *Menahemo* R. tributum 1000. talentorum extorsit. A. M. 3213.

Hoc tempore Olympiadum *Iphiti* Epocha incipit. A. M. 3208.

2. TIGLATH PHILESER, ab *Acha* Judæorum R. contrà *Syros* vocatus, *Damascum* cepit. A. M. 3242. Transjordanam regionem *Galilæam* & *Gileatidem* occupavit; Israëlitas cum Idumæis in servitutem abduxit.

3. SALMANASSAR, Filius. Moabitas perdomuit; Israëlitas evertit. A. M. 3263.

Hac ætate inter *Spartanos* & *Messenios*, jus sibi invicem denegantes, primum bellum Messenium exortum. A. M. 3241.

Nabonnassar novam Dynastiam *Babyloniæ* exorditur. A. M. 3237. Hic incipit *æra Nabonnassari.*

4. SENACHERIB, Filius, Tributum ab *Ezechia* Rege Judæ exacturus, *Hierosolymam* obsedit, sed magna strage à DEO repulsus est. A. M. 3270.

5. ASSARRHDDON, Filius. *Manassem* Regem captivum abduxit & *Babylonem* occupavit. A. M. 3294.

6. NABOPOLLASSAR, Filius, Subactum Regnum Assyriorum cum *Cyaxare* Medo partitus est. A. M. 3359. ob. 3377.

7. NEBUCADNEZAR, Filius, *Hierosolymam* cepit, 3385. iterumque 3395. atque Judæos *Babylonem* captivos abduxit. Ægyptios devicit, & per *Africam* usque ad oras *Hispaniæ* penetravit; tandem maniâ fuit correptus. A. M. 3420.

8. EVILMERODACH, Filius, fraude *Neriglissaris* affinis sui fuit peremptus. A. M. 3424.

9. NERIGLISSARES, Imperium raptum citò cum vita deseruit. A. M. 3428.

10. LABOROSOARDOCH, mox iterùm fuit occisus. A. M. 3429.

11. BELSAZAR, aliis *Nabonidus*, Filius *Nebucadnezaris* minimus natu; à *Cyro* Persa victus & Regno privatus fuit. A. M. 3446.

12. DARIUS Medus, permittente *Cyro* Regnum obtinuit, mox rebellis, *Caramanniæ* fuit præfectus. A. M. 3446.

Itaque Regnum Babylonicum, transiit in Persas.

GESTA SUB PERSIS.

Vid. Xenoph. Κυρο-παιδ. lib. 1. Herodot l. 1. Hist.

CYRUS *Asytagis* Medorum Regis, ex filia *Mandane* nepos, ab avo injuste expositus, ope *Harpagi* Persiam, & victo Avo, Mediam occupavit. A. M. 3425. *Cræsum* Lydorum Regem ditissimum, captis *Sardibus* subjugavit. A. M. 3440. *Babylonem* expugnavit, atque sic Monarchiam potentissimam fundavit, A. M. 3446. Judæos servitute liberavit; Tan-

Tandem in bello cum *Scythis* interiit. A. M. 3455.

2. CAMBYSES, Filius, *Psammenitum* Ægypti R. victum cepit. A. M 3459. Ægyptiorum quoque diis bellum indixit, & idola confregit. Crudelis & ebriosus, proprio gladio saucius interiit. A. M. 3462. Imp. 11.

3. DARIUS, *Hystaspis* Filius, ex compacto Procerum, hinnitu equi eligitur. A. M. 3463. Regnum divisit in XX. *Satrapias*; hasque in alias Regiones subdivisit, quibus certum annuum tributum imposuit. *Babylonem*, quæ sub *Cambyse* defecerat, ope fidelis *Zopyri* reduxit. A. M. 3474. Inde bello Græciæ illato, in campo *Marathona* nobilissimo prælio victus est. A. M. 3494. Triennio post Ægyptus defecit. Obiit. A. M. 3499. Imp. 34.

4. XERXES I. Filius, Ægyptios reduxit. Stupendo exercitu 700000. peditum & 400000. equitum, Græciam invasit. A. M. 3504. Sed victus à *Themistocle*, *Aristide* & *Pausania*, solus ferè in *Asiam* exiguo lembo trajecit; ubi ab *Artabano* Patruo fuit interfectus. A.M. 3519. Imp. 20. Diodor. Sic. lib. 11. c. 79.

5. ARTAXERXES I. Longimanus, *Artabanum* Patris cæsorem punivit. Victus à *Cimone* Atheniensi Cyprum amisit, quam pace facta recuperavit, ea conditione ut Græcas in *Asia* Civitates liberas declararet. Obiit, A. m. 3559. Imp. 40.

Diodor. Sic. lib. 12. c. 64. 6. XERXES. II. à *Sogdiano* fratre notho, unà cum matre *Damaspia* interfectus est, mense secundo.

7. SOGDIANUS partum fratricidio Imperium mox iterùm amisit, ab *Ocho* Bactriano in cineres conjectus, mense septimo.

8. DARIUS II. Nothus, anteà dictus *Ochus*, Judæis templi restaurandi licentiam renovavit. Bello Peloponnesiaco, inter Athenienses & Spartanos flagrante, his sociatus, Græcas in *Asia* Civitates recuperavit. Medos rebelles domuit. Ægyptios jugiter deficientes dereliquit. Obiit. A. M. 3579. Imp. 19.

9. ARTAXERXES II. Mnemon, Filius, ante Patris dignitatem natus; *Cyro* fratri post Patris dignitatem nato, fuit ab isto prælatus. Undè *Cyrum* rebellem cæsit. A. M. 3583. Græcos operâ *Antalcidæ* pacavit. *Evagoram* Cypri R. castigavit. Defectionem *Mausoli* Cariæ, *Ariobarzanis* Ponti & *Datamis* Ciliciæ Præfectorum passus, obiit. A. M. 3618. Imp. 40.

Eo regnante, *Lysander* Spartanus, Athenarum muros dejecit, & 30. Tyrannorum violentia cœpit; quam finivit *Thrasybulus*. A. M. 3583. *Epaminondas* Spartanos vicit ad Leuctram A. M. 3613. Dein ad Mantineam, quo prœlio ipse occubuit; Spartani verò ad incitas redacti sunt. A. M. 3621. Ælian. lib. 12. & 14.

16. ARTAXERXES III. Ochus. Homo crudelis & sævus, fratres & agnatos plurimos,

mos, metu conjurationis interfecit. Sidonem urbem, *Mentoris* proditione captam, evertit. A. M. 3633. *Nectanebum* Ægyptium superavit. Apim Ægyptiorum Numen mactavit & assum comedit. Tandem à *Bagoa* Eunucho, cum omnibus Filiis, excepto *Arsete*, fuit trucidatus. A. M. 3644. Imp. 26. Diodor. Sicul. lib. 16, & 17. Justin. lib. 10.

Eo regnante *Philippus*, *Amyntæ* Macedoniæ R. Filius, inclarescere cœpit. Illyrios superavit. Scythas devicit. Thraciam submisit. Philippos condidit. Phocenses Sacrilegos punivit.

11. ARSES, Filius. Itidem à *Bagoa* interfectus. A. M. 3648.

In Græcia *Philippus* Rex, fusis & fugatis ad Cheronæam Atheniensibus & Thebanis, Græciæ libertatem eripuit. A. M. 3646. Mox autem in nuptiis filiæ *Cleopatræ* cum *Alexandro* Epiri R. à *Pausania* quodam fuit occisus. A M. 3648.

12. DARIUS III. CODOMANNUS, Armeniæ Satrapes, *Bagoam* venenum sibi propinatum exhaurire coëgit. Hinc bellum Macedoniæ & Græciæ præparans, ab *Alexandro* R. præventus, triplici prœlio victus est, in quorum ultimo à *Besso* suo purpurato confossus, obiit. A. M. 3654. Imp. 6.

Ita Persicum Imperium in Græcorum manus pervenit.

GE-

GESTA SUB GRÆCIS.

Cæſo *Dario*, *Alexander*, Magni cognomine clarus, totam *Perſiam* ſub jugum miſit, *Indiamque* tentavit. Armorum Virtute inſignis, ſuis quoque claruit vitiis, dumque *Babylone* comeſſationibus indulgeret, fuit properato letho extinctus. A. M. 3660.

Ducibus quemnam ſucceſſorem ſibi denominaret rogantibus, reſpondit, *Optimum*. Annulum poſteà digito detractum *Perdiccæ* dedit.

Reliquerat *Herculem* filiolum, *Roxanem* Uxorem prægnantem, *Olympiadem* Matrem & *Aridæum* fratrem, quem *Meleager*, *Perdicca* & *Ducibus* invitis, ſolio impoſuit.

Mox *Perdiccas*, *Meleagrum* interemit; à reliquis verò iterùm interemptus.

Eurydice, *Aridæi* Uxor, *Olympiadem* acriter perſecuta in Epirum ejecit. Sed hæc à Macedonibus revocata, *Eurydicem* ad ſuſpendium adegit; *Aridæum* verò captum, ſtimulis minutis excruciatum necavit. A. M. 3666.

Antipater Macedoniæ Præfectus, Athenienſes victos libertate donavit, *Munichiam* tamen præſidio firmavit; hoc in bello *Demosthenes* ſumpto veneno expiravit.

Cæterùm Duces inter ſe colliſi, & *Olympias* à *Caſſandro* interfecta, A. M. 3668. qui Regna cum reliquis diviſit. A. M. 3672.

Seleu-

Seleucus itaque nactus est Syriam; *Antigonus* Asiam; *Cassander* Macedoniam, & *Ptolomæus* Ægyptum & Arabiam.

Undè totidem Regna orta sunt.

DE REGIBUS SYRIÆ.

Regnum Syriæ sequentes habuit Reges, (quorum Numos exhibuit *Dn. Vaillantius.*)

1. SELEUCUS I. Nicanor. *Babyloniam* vi expugnavit. *Seleuciam* & *Antiochiam* urbes extruxit. A. M 3689. *Antigonum* Asiæ R. superatum occidit, ejusque Filium *Demetrium Nicanorem* Asia ejecit, hancque occupavit. Occisus tandem à *Ptolomæo Cerauno.* A. M. 3702. Ætat. 77. Regn. 30.

2. ANTIOCHUS I. SOTER, Filius. Gallos *Brenno* & *Belgio* Ducibus *Asiam* infestantes castigavit. *Zypætem* Bithyniæ R. sensit Victorem; cladem tamen ejus Filio *Nicomedi* regessit. Mox iterùm ab *Eumene* Pergami R. victus, obiit. A. M. 3724. Imp. 21.

3. ANTIOCHUS II. Theos, Filius. Bellum cum Ægyptiis, *Berenices* Conjugio, sedatum, quæ cùm Laodiceæ priori Uxori gravis esset, hæc maritum interemit. A. M. 3757. Imp. 13. postquàm *Arsaces* cum Parthis, & *Theodotus* cum Bactris defecissent.

4. SELEUCUS II. Callinicus, Filius ex *Laodicea*, *Berenicem* novercam cum puello interfecit. Undè à *Ptolomæo Evergete*, hujus fratre, Regno fuit pulsus. A. M. 3739. A fratre

tre quoq; *Antiocho Hierace* infestatus ob. 3757.

4. SELEUCUS III. Ceraunus, Filius; Veneno fuit interemptus. A. M. 3760.

6. ANTIOCHUS III. Magnus, Frater *Callinici*. A *Ptolomæo Philopatore* ad *Raphiam* fugatus, Syriam plerunque amisit. Mox verò, *Achæo* rebelle castigato; recuperavit. A. M. 3768. Dein *Ptolomæum Epiphanem* aggressus, à Romanis victus est, totaque Asia Minore cis Taurum montem cessit. A. M. 3792. Tandem in Syria cùm *Beli* templum diriperet, occisus fuit. A. M. 3797.

7. SELEUCUS IV. Philopator; Filius, Templum Hierosolymis spoliare frustrà est conatus. Periit insidiis *Heliodori* Eunuchi sui. Imp. 12. A. M. 3809.

8. ANTIOCHUS IV. Epiphanes, Frater *Philopatoris*, Syriam & Judæam invasit: *Hierosolymam* dolo cepit, 80000. Judæos occidit, totidem in servitutem abripuit, Templum profanavit, donec à *Juda Maccabeo* reprimeretur. A. M. 3814. Hinc Ægyptum premens, Romani Legati *Popilii* jussu indè excessit. Tandem Phtiriasi putidus periit. Imp. 11. A. M. 3820.

9. ANTIOCHUS V. Eupator, Filius, à *Demetrio Sotere* interfectus est. A. M. 3822. Imp. 2.

10. DEMETRIUS I. Soter, *Seleuci IV.* Filius. Cum Judæis cæso *Nicanore* societatem fecit. Interfectus ab *Alexandro Bala* homine,

mine, juxtà *Livium*, ignoto. A. M. 3833. Imp. 11.

11. ALEXANDER I. Bala. Homo Spurcus & ignavus, in prælio contrà Socerum *Ptolomæum Philometorem* cecidit. A. M. 3838.

12. DEMETRIUS II. Nicanor, *Demetrii* Fil. Regno pulsus à *Diodore Tryphone*, Seleuciam aufugit, tandem à Parthis captus. A. M. 3843.

13. ANTIOCHUS VI. Entheus, *Alexandri* Fil. & DIODORUS Tryphon, Tutor; hic Pupillum fraude interemit, sed talionem accepit ab *Antiocho Sidete*. A. M. 3845.

14. ANTIOCHUS VII. Sidetes. Interemptus ab *Alexandro Zebenna*. Demetrius II. Nicanor. iterum. A. M. 3854.

15. ALEXANDER II. Zebenna. A. M. 3859. Hunc *Antiochus Gryphus* occidit. A. M. 3860.

16. ANTIOCHUS VIII. Gryphus. *Demetr. Nicanor.* Fil. Periit insidiis fratris *Antiochi Cyziceni*. A. M. 3872.

17. ANTIOCHUS IX. Cyzicenus. *Antiochi Sid.* Fil. à *Seleuco Gryphi* Filio victus & occisus est. A. M. 3890.

18. & 19. SELEUCUS V. & ANTIOCHUS X. Fratres Grypho geniti, sublati ambo ab *Antiocho Eusebe*, *Cyziceni* Fil. A. M. 3891.

20. ANTIOCHUS XI. Eusebes, Regno ejectus

ejectus à *Philippo* & *Demetrio Seleuci* V. Fratribus, ad Parthos confugit.

21. 22. 23. PHILIPPUS I. DEMETRIUS III. Eucærus & ANTIOCHUS XII. Dionysius. *Gryphi* Filii. Mutuis armis in sese invicem sævierunt.

Justin. lib. 40. Cap. 2. Unde Syri fatigati tot Sceleribus, 24. *Tigranem* Armeniæ R. evocarunt, eique Sceptrum tradiderunt. Posteà *Tigrani*, bello Mithridatico involuto, *Syria* adempta & Romana provincia facta est, circà A.M. 3918.

Juxtà Calculationem Petavii incepit hoc Regnum A. Per. Jul. 4402. desiit. A. 4648. duravit annis 247.

DE REGIBUS ASIÆ.

Asiæ Regnum (quod hodiè *Natolia* est) occupavit. A.M. 3672.

1. ANTIGONUS. *Philippi* Maced. R. Filius Nothus. *Cleopatram* Alexandri M. Sororem necavit. Cùmque potentia auctior fieret, reliquos Duces s. Reges metus armavit, atque hic in prœlio commisso, annos natus 80. cecidit.

2. DEMETRIUS Poliorcetes, Filius, à *Seleuco* Syriæ R. victus, Asiam amisit. A. M. 3683. Itaque in Macedoniam confugit. obiit A. M. 3697.

Asia verò *Syria* conjuncta fuit.

DE

DE REGIBUS MACEDONIÆ.

Macedonia in divisione cecidit. A.M. 3672.

1. CASSANDRO. *Antipatri* Filio, qui multis cædibus commissis, à vermibus fuit corrosus. A.M. 3686.

2, PHILIPPUS I. Filius, obiit ex Phthisi. 3687.

3. & 4. ANTIGONUS I. & ALEXANDER Filii, de Regno certantes, ambo illud amiserunt. Ille à Socero *Lysimacho* in auxilium evocato obtruncatus. Iste verò à *Demetrio Poliorcete* Asiæ R. qui Macedoniæ Regnum sibi vindicavit, A. M. 3690.

DEMETRIUS I. Poliorcetes, Asiæ R. pulsus. Cui tamen *Pyrrhus Epirota* Macedoniam iterùm eripuit, A. M. 3696. hunc pepulit *Lysimachus*, A. M. 3702. quo à *Seleuco* interfecto; *Ptolomæus Ceraunus*, *Seleuci* cæsor Macedoniam arripuit. Occisus verò à Gallis, A. M. 3704. Successores habuit, *Meleagrum*, *Antipatrum*, *Sosthenem*, quorum unus alterum deturbavit; donec *Pyrrho* in obsidio *Argi* interfecto, Regnum recuperaverit. A M. 3712.

ANTIGONUS II. Gonatas, *Demetrii* Filius, A. M. 3712. qui Gallos pepulit, obiit A. M. 3742.

DEMETRIUS II. Filius, Epirum occupavit & amisit. ob. A. M. 3752.

ANTIGONUS III. Doso. Tutor datus à *Demetrio*, Filio suo *Philippo*, ducta Regina vidua, ipse Sceptrum præripuit & tenuit annis 12. *Spartam* primus omnium expugnavit, *Cleomene* R. victo, A. M. 3762.

PHILIPPUS II. *Demetrii* Filius. Romani nominis & potentiæ osor maximus; Societatem cum *Hannibale Afro* iniit. Sed ab illis aliquoties victus, pacem petiit. Ob. A. M. 3805.

PERSEUS Filius, Odium Patris in Romanos habuit velut hæreditarium; unde rupta pace, horum arma in se concitavit; Victus itaque, à *Paulo Æmylio*, & captus *Romam* fuit abductus, A. M. 3816.

Sicque Macedonia Imperii Romani Provincia facta est.

. *DE REGIBUS ÆGYPTI.*

Ægyptus secuta est Sceptrum.

1. PTOLOMÆI I. Lagi f. Magni. Cujus posteri omnes, *Ptolomæi*, item *Lagidæ* fuerunt vocati. *Hierosolymam* Sabbatho dolosè cepit, & 100000. Judæos in Ægyptum abduxit, A. M. 3734. *Ptolomæum* natu minorem, Successorem vivens fecit; Dicens; *Pulchrius esse*, *Regis esse Patrem*, *quàm Regem.* Dissuadente licèt *Demetrio Phalereo.*

Joseph. Antiqq. Jud. lib. 12. C. 2. 2. PTOLOMÆUS II. Philadelphus, Filius, Fratres interfecit. Bibliothecam *Alexandrinam*, à Patre, exemplo *Aristotelis*, in-

choatam, 700000. Volum, auxit. Biblia Sacra in Græcum Idioma verti curavit, quæ versio Septuagintaviralis dicitur. Judæos captivos dimisit.

3. PTOLOMÆUS III. Evergetes, Filius, *Seleucum Callinicum Syrum* castigavit, ac propterea *Hierosolymis* DEO Israelis dona & sacrificia obtulit. Attamen ab *Onia* negante, tributum 20. Talent, extorsit.

4. PTOLOMÆUS IV. Philopator, Patrem, Matrem & Fratres sustulit. *Antiochum M.* ad *Raphiam* fugavit. In Ægypto Judæos elephantis obterere, & Templum DEI ingredi, sed frustrà conatus est. Euseb. in Chron. Olymp. 140. a. 1.

5. PTOLOMÆUS V. Epiphanes f. Illustris, Filius. Romanorum tutelâ contrà *Antiochum M.* & *Philippum Macedonem* defensus, liberis suis impuberib. moriens, Pop. Rom. testamento substituit hæredem.

6. PTOLOMÆUS VI. Philometor, Filius à Matre Prælatus Fratri *Physconi*, *Antiochum Epiphanem* habuit hostem; quem Romani, minis *Popilii Lænatis* ejecerunt terris. Pulsus à Fratre *Physcone*; Romanorum interventu fuit restitutus, concessis fratri *Cypris*. Tandem cum generero *Alexandro Bala* Syriæ R. dimicans, ex vulneris in caput accepti terebratione obiit, A. M. 3910. Justin. lib. 34. cap. 3.

7. PTOLOMÆUS VII. Physcon, Frater, Crudelis & Tyrannus, cunctorum odium meruit. Unde Regno profugus, Sceptrum

Cleopatræ Uxori datum eſt, in cujus rei vindictam, filium ex hac ſuſceptum, in fruſtra ſectum, Matri pro ſtrena transmiſit. Tandem ad meliorem mentem converſus, & Uxori reconciliatus eſt.

8. PTOLOMÆUS VIII. Lathyrus, Phyſcon. fil. *Alexandrum Jannæum* Judæor. R. ab obſidione *Ptolomaïdis* rejecit, atque Judæam vaſtavit.

9. PTOLOMÆUS IX. Dyoniſius v. Auletes, Flagitiis, luxui, fiſtularum ſtudio deditus, gravibus ſubditos exactionibus oneravit. Odioſus itaque Populo, Regno fuit ejectus, & *Berenice* filia Regina creata. Ille *Romam* fugiens, ingentibus largitionibus, eò rem perduxit, ut à *Gabinio*, juſſu *Pompeii* in Ægyptum reduceretur.

10. PTOLOMÆUS X. Dyoniſius, Filius *Pompejum*, poſt amiſſam aciem Pharſalicam, in Ægyptum profugientem, conſilio *Theodori* & *Achillæ*, capite truncavit, *Cæſarique* inſecuto obtulit. At cum & iſti inſidias ſtrueret, à *Cæſare* Navali dimicatione fugatus, in Nilo periit.

11. CLEOPATRA Soror, à *C. J. Cæſare* in Regno fuit confirmata. Poſteà *Anthonium* Triumvirum in Orientem ſuum venientem, adeò faſcinavit hæc, ut repudiata *Octavia* Sorore *Auguſti*, hanc duceret. Victus verò ab *Auguſto* apud *Actium Anthonius*, moxque *Alexandriæ* obſeſſus, de pace deſperans, victam

vitam ferro abrupit. *Cleopatra* hac morte ſibi renunciata, triumphum Romanum reformidans, aſpidibus mammellis admotis periit, communi cum *Anthonio* tumulo uſa.

Ita Ægyptus Sceptrum ſuum Romanorum aſcibus ſubmiſit; qui jam Univerſo ferè be erant potiti, & novæ Monarchiæ gloiam adepti.

Juxta calculationem Petavii hoc Regnum œpit. A. Per. Jul. 4390. deſiit. A. 4684. uravit annis 285.

HISTORIA ROMANA.

Romanorum Hiſtoria, ut pleniùs pateat, Trojanorum bello repetenda eſt.

Cauſa hujus belli erat raptus *Heſiones, Laodontis* Trojani Regis filiæ, ab *Hercule* & *lamone* Argonautis factus.

Hanc cùm *Priamus* Frater, per *Antenorem* ſtrà repeteret; *Paris Priami* Filius, ad rapn in Græciam emiſſus, *Helenam Tindari* m, *Menelao* Spartanorum R. nuptam, abam *Trojam* perduxit, A. M. 2790.

Menelaus cùm Uxorem ſuam, per legatos ſos obtinere non poſſet, acto Græcorum ncilio, claſſe advectus Trojanam urbem dit, & poſt decennium, ſtratagemate am, ſolo æquavit, A. M. 2800.

neas cum filio *Julo* & *Trojanorum* manu, us, poſt varia diſcrimina in *Italiam* per-, ad Regem Latinorum; cujus Filiam

Laviniam duxit; occisoque in duello *Turno* Rutulorum R. Socero in Regno successit, A. M. 2803. ob. 2807. Ejus Stirps longa Serie post mortem suam regnavit, usque ad *Amulium*.

Hic enim, *Numitorem* Fratrem natu majorem, contrà ultimam Patris voluntatem, Regno pepulit, & in agro suo privatam vitam agere coëgit.

Filiam ejus *Rheam sylviam*, quo prolis spem adimeret, Virginem Vestalem legit; Verùm hæc, in luco Martis compressa, gemellos *Romulum* & *Remum* edidit, A. M. 3214.

Indignatus *Amulius*, sibique metuens, Virginem, ex lege Vestalium, Vivam in Antro defodi, gemellos autem, in profluentem *Tyberim*, abjici jussit.

Puelli ab undis sublati & in locum ripæ uliginosum delati, vagitu suo, *Faustulum* pastorem attraxerunt, qui pietate motus, infantulos sublatos, ad *Acciam Laurentiam* Uxorem suam, vulgò *Lupam* dictam, detulit, à qua fuerunt enutriti & educati.

Facti adolescentes, ortum suum & injuriam *Amulii* audientes; collecta Pastorum & Latronum turbâ, *Amulio* ad *Albam* interfecto, avum *Numitorem* restituerunt, A. M. 3230.

Vid. Jacob. Hugo in lib. de Origin. Latii.

Non desunt tamen Scriptores gravissimi, quibus tradita de *Romulo* & *Remo* non probantur. Ex Veteribus *Fabius Pictor, Cajus Sempronius, Sallustius, Plutarchus*. Ex recentioribus

ribus novi, *Photium*, *Gronovium*, *Salmasium* & *Philippum Cluverium*.

Ne verò Historiæ ordinem turbemus, comuni opinioni cursum heic relinquimus.

Romulus & *Remus* itaque, *Alba* avo relicta, novam urbem condiderunt, *Romam* à *Romulo* dictam; cujus novi muri, *Rem* cruore fuerunt conspersi, quippe fratris edictum contemnens, illos saltu trajecerat, A.M. 3231.

Itaque *Roma* ab initio parebat Regibus, quorum fuerunt Septem, ordine sequenti.

1. *Romulus*, Primò constitutis Sacris, legum Jura sanxit, circà se lictores cum securibus posuit, quo feroces & pastorii Cives, aliquo signo externo terrerentur. *Asylum* aperuit, complendæ urbis gratiâ. Senatum instituit. Cives in 30. Curias divisit. Sabinorum Virgines & puellæ è spectaculis raptæ. Inde bella orta, harum interpositione, fuerunt composita, Sabinis & Romanis adunatis, unoque nomine, Quirites, vocatis. Ceninenses, Fidenates, Vejentes domuit; Tandem ad *Capreæ* paludem habita Concione disparuit, & posteà *Julii Proculi* suasu, sub nomine *Quirini*, Divino honore fuit affectus, A.U.C. 38. Regni 38. A.M. 3269.

2. *Numa Pompilius*, Sabinus. Post interregnum quinorum dierum successit. Annum in 12. menses fuit partitus. Pacem & Sacra coluit; Vestales in urbem introduxit, Deorum colloquio se uti asseruit, ut horum

timor & religio, truces Civium animos, ad mitiora flecteret. *Jani* templum condidit, obiit. A. U. C. 82. Regni 43. A. M. 3313.

3. *Tullus* Hostilius, Romulo fuit animosior. Bellum cum Albanis ortum, paucorum cruore fuit finitum, vincentibus Romanis. Tres enim *Horatii* Romanorum, totidem *Curiatiis* Albanorum commissi, & Albani Romanis subjecti fuerunt. Cœlium montem intrà mœnia clausit. Periit fulminis ictu A. U. C. 114. Regni 32.

4. *Ancus Martius.* Ad sacra & bella erat paratus. Janiculum collem urbi adjecit. Pontem sublicium *Tyberi* imposuit. Latinos expugnato *Politorio* debellavit *Hostiam* in littore maris extruxit, obiit. A. U. C. 137. Regni 24.

5. *Tarquinius Priscus*, Hetruscus. Circum erexit. Urbem muro lateritio circuit. Latinos & Gabinos superavit, ab *Anci* filiis occisus est. A. U. C. 175. Regni 37.

6. *Servius Tullius*, Vejentes & Hetruscos domuit. Censum primus instituit, quo & paci & bello opportuna redimerentur, unde lustrum in Campo Martio introduxit. Viminalem collem cum Quirinali urbi inclusit. A filia *Tanaquil* & genero *Tarquinio* fuit nefandè occisus. A. U. C. 219. Regni 44.

6. *Tarquinius Superbus*, *Tullii* gener. In Patres Sæviens, omnia ad libitum agere, occidere, carcerare, spoliare, sui juris fecit.

Filius

Filius *Sextus Tarquinius*, *Lucretiam Collatini* Uxorem per vim ſtupravit, quæ opprobrium proprio ſanguine ablutura, cultro pectus tranxfixit. Unde *Romæ* tumultus & conſpiratio; *Tarquinius* cum tota familia pulſus à *Junio Bruto*, atque ita Regia poteſtas fuit abrogata, inſtitutis Conſulibus añuis, A. U. C. 244. Regni 25. A. M. 3475.

GESTA SUB CONSULIBUS.

Exactis Regibus ſub Conſulum annuo Imperio Romanæ Res fuerunt annis 464.

Primi Conſules creati, *L. Jun. Brutus* & (poſt *Sp. Lucretium Tricipitinum* atque *M. Horatium Pulvillum*) *P. Valerius Poplicola.*

Sed licuit à Conſulibus ad populum provocare, & in caput Civis Romani animadvertere, iis fas non erat.

Dictatorum verò poteſtas erat abſoluta, ſed ſaltem ſemeſtris.

Multis bellis obruebatur *Roma*, in quibus tamen Victrix extitit. Notabiliora ſunt.

1. Bellum cum Tarquiniis exactis; quorum in partes *Porſenna* Thuſciæ R. tractus, *Romam* obſedit: Sed *Horatii Coclitis* & *Mutii Scævolæ* Virtutibus, abſcedere fuit coactus.

2. Bellum cum *Coriolano* Cive in exilium acto; quòd Tribunitiæ poteſtatis noviter introductæ fuiſſet oſor. Cujus hoſtilem animum, tandem preces Matris *Veturiæ* & Uxoris *Volumniæ* mulſerunt, repudiatis priùs Le-

gatis Civium & Sacerdotibus. A. U. C. 264.

3. Bellum cum Vejentibus; in quo 306. *Fabii* ad *Cremeram* ad unum fuerunt cæsi, unico impubere domi relicto. A. U. C. 277.

4. Bellum cum Volscis; in quo *App. Claudius* Cos. militem fustibus decimavit. Tandem *L. Quintus Cincinnatus*, ex agricola Dictator factus, qui post XVI. dies de Volscis sub jugum missis, triumphum egit, atque ad aratrum rediit. A. U. C. 294.

5. Bellum cum Gallis Senonibus (gens ex Germania collecta) qui Duce *Brenno*, Italiam invaserunt, atque Cæso ad *Alliam* fluvium *C. Fabio*, vacuam Civibus *Romam* occuparunt & accenderunt. Capitolium 6. mensibus prementes: anserum strepitu & *M. Manlii* Virtute fuerunt repulsi; mox, dùm jam pacisceretur Capitolium, à *Fur. Camillo* Dictatore, magna strage planè rejecti. A. U. C. 365.

M. Manlius posteà, Dictaturæ inhians, Populum contrà Senatum concitavit. Sed captus & ab hoc desertus (ut fieri assolet) Tarpejo Saxo fuit dejectus, nomine suo damnato. A. U. C. 372.

M. Curtius Nobilis adolescens, in voraginem pestiferam, medio in foro apertam, Oraculi Consultum secutus, armatum se præcipitans, Patriam peste liberavit. A. U. C. 383.

Galli Italiam iterùm turbantes, castra ad *Anienem* fluvium sunt metati. *T. Manlius* ex Juven-

Juventute Romana, Gallum in ponticulo Romanos provocantem, duello vicit, occisoque aureum Torquem detraxit, unde *Torquatus* dictus. Galli verò hoc exemplo territi, noctu clàm submotis castris, dilapsi sunt. A. U. C. 394.

Pauco tempore interjecto redeuntes, agrum Romanum vastarunt. *L. Fur. Camillus* Filius, Dictator creatus, cum 8. Legionibus iis ob viam ivit. Ubi eodem modo *M. Valerius* Gallum, Corvi auxilio superavit, unde *Corvinus* dictus; proximo anno Consul factus est, cum non nisi XXIII. Ætatis annum ageret. Galli spoliantem impedituri, acie profligati sunt. A. U. C. 406,

6. Samnites Italiæ populi (qui tractus hodiè vocatur *Abruzzo* Campaniæ finitimus) Campanos adorti, Romanos habuerunt hostes. A. U. C. 412. Posteà Campani perjuri & rebelles, Samnitibus sese adjunxerunt, unde atrox bellum diu ductum. *T. Manlius* Consulis Filius, contrà interdictum Patris, *Genutium Metium* duello vincens, à Patre securi fuit percussus. *P. Dec. Mus.* Cos. se pro exercitu Diis Manibus devovens, fuit cæsus. A. U. C. 415.

Exercitus Romanus *T. Veturio* & *Sp. Posthumio* Cos. à Samnitibus ad furcas Caudinas, ex pacto Cos. sub jugum fuit missus datis 600. Equitibus Roman. obsidibus. A. U. C. 433. quam ignominiam *L. Papyrius Cursor* anno

anno ſequenti abluit, atque obſidibus receptis, Samnites iterùm ſub jugum miſit.

P. Decius Filius, exemplo Patris, ſeſe Diis Manibus devovens, morte ſua victoriam redemit. A U. C. 458.

Fracti tandem variè à *L. Papyrio Curſore*, *Fabio Maximo* & *Curio Dentato*, Samnites, Faſces Romanorum, cum omnibus circumjectis populis agnovere.

7. Occaſione dein Tarentinorum, Gentium Jus in Romanis violantium, *Pyrrhus* Epiri R. exercitum & primos Elephantos contrà Romanos Italiæ induxit, atque *P. Valerium* Coſ. fugavit. A U. C. 473. At victus ſecunda pugnâ mox quoque tertiâ, Italiam reliquit. A. U. C. 479.

Hactenùs Romani arma extrà Italiam non extulerunt. Carthaginenſium cauſa verò, his temporibus illud factum eſt; quippè cum quibus tria acria bella, quæ *Punica* vocantur, geſſerunt.

Primum bellum Punicum, exortum eſt ob Mamertinos in Sicilia ab *Hierone* Syracuſarum R. laceſſitos. A. U. C. 489. In hoc *Cn Duilius* Coſ. primus omnium Ducum Romanorum, Navalis Victoriæ duxit triumphum. A. U. C. 493. *Attilius* quoque *Regulus* nomen fàmoſum fecit. Finem bello impoſuit *C. Lutatius* Dictator, Victoriâ navali ad *Ægates Inſulas* reportata. Unde *Hamilcar* cum *Catulo* pacem concluſit. A. U. C. 513.

Hinc

Hinc Galli Insubres domiti, eorumque Dux *Viridomarius* cæsus. A. U. C. 532.

Secundum bellum Punicum ortum inde habuit. Quòd *Hannibal* Pœnus Hispanias invasisset & *Saguntum* oppidum evertisset. A.U.C. 536. *Hannibal* per Saltum Pyrenæum & Alpes Grajas in Italiam irrupit; Romanos aliquoties cæsos, ad *Cannas* in Apuliæ planè obtrivit, cæsis 45000. quos inter *L. Æmylius Paulus* Cos. Senatores 80. Consulares Prætorii aut Ædilitii 30. *Hannibal* haud ampliùs 3000. suorum desideravit. Sed Victoria segniter utens, in Campaniam movit, ibique deliciis emolliri cœpit.

In Sicilia *Cl. Marcellus* Cos. *Syracusas*, triennio obsessas, expugnavit, ubi quoque *Archimedes*, egregius Mechanicus, Regio Sanguine satus, fuit interfectus. A. U. C. 546. lugente multùm *Marcello*.

Tandem *P. Cornel. Scipio* año Ætatis XXIV. Consul factus, in Hispaniam trajecit, itaque feliciter ibi rem gessit, ut *Hannibal* domum reverti cogeretur; ubi ad *Zamam* fugatus à *Scipione*, pacem impedire non potuit, qua conclusa, Pœnis classem habere fuit interdictum. A. U. C. 553. Scipio *Africani* nomen inde traxit.

Philippus Macedoniæ R. interim Societatem cum *Hannibale* inierat in perniciem Romanorum, & Illyricum invaserat. Sed aliquoties superatus, imprimis à *T. Qu. Flaminio* ad

Cyno-

Cynoscephalos in *Thessalia*, pacem petiit & obtinuit, concessa Græciæ Civitatibus libertate. A. U. C. 556.

Mox *Hannibal Antiochum M.* Syriæ R. Romanis commisit; qui Græciam invadens, *Eubœam Insulam* occupavit. Sed variis prœliis superatus, imprimis à *L. Cornel. Scipione* Africani fratre pacem ea conditione obtinuit, ut omnibus in Asia provinciis cis *Taurum* montem cederet. A. U. C. 564. Scipio, *Asiaticus* indè fuit cognominatus.

Dein *Perseus* Macedoniæ R. pacem à Patre *Philippo* quondam pactam fregit, quem tamen *L. Æmylius Paulus* in Macedoniam missus, victum & captum, *Romam* in triumpho antè currum, cum tribus filiis duxit. Macedonia verò provincia Romana facta est. A. U. C. 586.

Tertium bellum Punicum exinde ortum. Carthaginenses metum *Masanissæ* Regis caussati, Navalem materiam atque classem, contrà pacis articulos, compararunt, contraque Romanorum obtestationes, Masanissæ arma intulerunt. Itaque legiones Romanæ in Africam trajectæ sunt. A. U. C. 602. *Carthago* obsessa; à *P. Cornel. Scipione Africano Æmyliano*, prioris Africani Nepote adoptivo, per partes capta atque funditùs eversa fuit. A. U. C. 608.

Inde Achæi subjugati; *Corinthus* solo æquata; *Thebæ* & *Chalcis* dirutæ. A. U. C. 609.

In Hispania *Viriatus* turbas dedit; Numan-

mantini ad desperatam mortem adacti, A.U.C. 621.

In Sicilia bellum Servile ortum, Authoribus *Euno Syro* & *Cleonte*; quos tamen victos *M. Aquilius* in ergastula rejecit.

Romam Lex Agraria factionibus concussit, lata à *T. Sempronio Gracho*, quapropter à Primatibus in Capitolio fuit jugulatus.

Bellum deinde cum *Jugurtha* Numidarum R. gestum. A. U. C. 643. quod *Calpurnius Bestia* infeliciter inchoavit. *Cæcil. Metellus* verò & post eum *C. Marius* ex voto finivit. *Jugurtha* captus, in triumpho ductus & in carcere necatus fuit. A. U. C. 647.

Cimbri (gens Borealis) his temporibus, relicta sede sua, per Germaniam ad *Danubium* venerunt, atque in Illyricum irruperunt, profligatis ubique Romanis. A. U. C. 645. *Tigurini Helvetii*, *L. Cassium* Cos. cum legionibus occiderunt, Cimbrisque juncti *C. Manlium* & *Servilium Cepionem* tanta strage ad *Rhodanum* obtriverunt, ut cum *Manlio* & duobus ejus filiis 80000. militum, & 40000. calonum & lixarum cæsa fuerint. A.U.C. 648. In Hispaniam & tandem in Italiam penetrantes, à *C. Mario* ad *Aquas Sextias* duobus proeliis superati sunt, cæsis 200000. & *Theutoniodo* Rege cum 90000. capto. Nihilominus Alpes conscendentes, *Catulum* fauces defendentem, fugarunt; Sed huic junctus *Marius*, signis tertiùm collatis, Cimbros victos

ctos obtrivit, cæſis 140000. captis 60000. A. U. C. 653. reliquiæ Cimbrorum, per ſaltus in *Helvetiam* dilapſi, ibi paſſim conſederunt.

Inde bellum cum Populis Italicis, Picentibus, Veſtinis, Marſis, Pelignis, Lucanis, Samnitib*us* &c. Authore *Liv. Druſo* Tr. Pleb. flagravit. A. U. C. 663. quibus tamen paulatim in deditionem redeuntibus, Arma fuerunt adempta.

Mithridates Ponti Rex victus & Regno exutus eſt à *Cn. Pompejo.*

Hujus belli occaſione, ſimultas & contentio orta inter *C. Marium* & *L. Syllam*, Romam penè deſolavit, ſciſſam in has duas factiones. A. U. C. 667. *C. Marius* Pater & Filius hoſtes à Senatu judicati, urbem ceperunt; cædibus Nobilium, rapinis, ruinis impleverunt; Domus *Syllæ* diruta. Reverſus ex Ponto *Sylla*, Marianam factionem, Victoriis potitus, oppreſſit, proſcripſit, & non ſolùm Romam ſed & totam Italiam cædibus & ſanguine implevit. Tribunos Plebis abrogavit, quos tamen poſteà *Pompejus* reſtituit.
pag. 124. Abſumpſit hoc bellum, juxtà calculum *Pauli Diaconi*, CLM. hominum. Cauſa fuit ambitio.

In Hiſpania *Q. Sertorius* à *Sylla* proſcriptus, bellum excitavit, nec aliter vinci potuit, quam proditoria morte; quippè in Convivio à Conjuratis fuit interfectus.

In Judæa post obitum *Alexandræ* Reginæ, *Hircanus* & *Aristobulus* Fratres de Regno contenderunt; *Hircanus* ope *Arethæ* Arabiæ R. *Hierosolymam* obsedit. *Cn. Pompejus* hac occasione arrepta, in Judæam movit; *Hierosolymam* captam destruxit, templum profanavit, *Aristobulum* captum *Romam* abduxit, ac Judæam subegit.

Romæ Conjuratio à *M. T. Cicerone* detecta, cujus Author fuit *L. Catilina* nobilis generis adolescens, sed quoque nobilis sceleribus. Ast cum Sociis cito oppressus periit A. U. C. 692.

C. Julius Cæsar Consul factus A.U. C. 695 Societatem iniit cum *Cn. Pompejo* M. & *M Crasso*, atque Roma paulatim ad Monarchiam fuit informata.

Helvetii & *Rauraci*, relictis & combustis suis pagis & oppidis XII. ingenti manu *Genevam* & *Provinciam* versus profecti, transitum à *J. Cæsare* petierunt, quo denegato, per Sequanos (hodiè *Comitatus Burgundiæ*) usque in Heduos (*Ducatus Burgundiæ*) penetrarunt, ubi eos consecutus *Cæsar*, pertinacissimo omnium prælio victos, in patriam rejecit. A. U. C. 696.

Ariovistus Germanorum R. *Rhenum* transgressus, Sequanis contrà Heduos suppetias tulit. Victis autem his, & illos oppressit. Vocatus in auxilium *Cæsar*, Germanos trans *Rhenum* repulit.

Dein omnes Galliæ Populos, cum X. Legionibus, quæ 4000. militum Italorum habuerant, post varios conflictus atque rebelliones, decimo anno subegit, & Gallias Provinciam Romani Imperii fecit.

In *Britanniam*, anteà Romanis ignotam, pariter trajecit, & *Britones* sub 4. Regibus viventes, post dubias & pertinacissimas pugnas, maximam partem subjugavit.

Suevos exin Ubios lacessentes, ad *Mosellam* inopinato prœlio prostravit. Hinc *Rhenum*, facto ponte, haud procul *Confluentia*, transcendit; Sicambrorum pagos exussit; sed insidias metuens, post 18. dies, in Ubios rediit.

M. Crassus Parthis in Asia oppositus, *Euphratem* trajiciens, cum exercitu à *Surena* Parthorum Duce fuit cæsus. *Cassius* verò Parthos in Syria cecidit.

Mox bellum Civile, inter *Cæsarem* & *Pompejum*, rei Romanæ fuit funestum. *Pompejus* enim *Cæsaris* æmulus, hunc per injuriam supprimere, eique potestatem abrogare, fuit annisus; quam hic, rem præsentiens, cum exercitu retinuit. Ventum ad arma. *Cæsar*, *Pompejum* Italia & Hispania exutum, in Macedoniam fugientem fuit insecutus, & acie Pharsalica victum, in Ægyptum propulit, ubi fuit à *Ptolomæo* interfectus.

Cæsar rebus in Ægypto compositis in Syriam transiit, & profligato *Pharnace* Ponti R.

intrà

intrà quintum diem, totam Asiam sibi subjecit. Unde dein in Pontico triumpho, inter pompæ fercula, hunc notum trium Verborum titulum, prætulit: *Veni, Vidi, Vici.* Postea in Africam veniens, *P. Scipionem, M. Catonem*, & *Jubam* Mauritaniæ Regem cum reliquis Pompejanis, una ad *Tapsum* acie prostravit, totamque Africam occupavit.

Confectis ita bellis Civilibus, & pacata Republica, maximi honores à Senatu ipsi fuerunt delati; Pater Patriæ fuit vocatus; Dictaturam perpetuam gessit. Fastos correxit & annum in 365. dies divisit. Mensi Julio nomen dedit. Pœnas facinorum auxit. Jus laboriosissimè ac severissimè dixit; mitem se omnibus præbuit; admisit ad honores & proscriptorum liberos. Nihilominus conspiratione adversus eum facta, ab invidis & æmulis, *M. Bruto* & *D. Bruto*, *C. Cassio*, *C. Trebonio* & 60. aliis, Idibus Martii in Curia Pompejana, ad pedes Statuæ *Pompeji*, 23. vulneribus fuit confossus. A. U. C. 710.

At libertatem Roma propterea non habuit, quam Conjuratores, ad speciem prætenderant. Unde plebs sæva in illos ruit, novusque Triumphiratus inter *Cn. Octavium* Cæsaris adoptivum, *M. Antonium* & *M. Lepidum* contractus; qui tamen priori haud fuit felicior.

Octavius Cæsar, primus omnium pro Republica arma sumpsit, & quinque successivè bella gessit.

 (1) *Mu-*

Vid. Flor. lib. 4. Cap. 4. (1) *Mutinense* contrà *M. Antonium* quem ſuperavit; mox autem, reconciliante *Lepido*, in gratiam recepit. Anno 18. Conſul factus, cum videret, & alios Duces pro Patribus conſentire; Optimatium partes deſeruit, legemque tulit de quæſtione in percuſſores Patris habenda, qua *M. Brutus* & *C. Caſſius*, abſentes fuerunt damnati.

(2) *Philippenſe* contrà *Brutum* & *Caſſium*; quorum iſte mortem voluntariam ſibi conſcivit. Ille cum exercitu cæſus fuit. *Cæſar* caput ejus amputatum, *Romam* miſit, *Cæſaris* ſtatuæ ſubjiciendum. In captivos verò immiſericors ſæviit, manibus *Julii* Patris, his Victimis litaturus. A. U. C. 712.

(3) *Peruſinum* contrà *L. Antonium*, *M. Antonii* fratrem, quem victum in gratiam recepit.

(4) *Siculum* contrà *Sext. Pompejum* quem inter *Mylas* & *Naulochum* claſſe victum, Sicilia ejecit.

(5) *Actiacum* iterùm contrà *M. Antonium*. *Lepidus* enim Circejos in perpetuum à *Cæſare* fuerat relegatus, quo ad *Actium* promontorium victus claſſe *Antonius*, *Alexandriam* aufugit. *Cæſar* inſecutus, *Alexandriam* cepit, *Antonium* & *Cleopatram* ad mortem adegit, atque Ægyptum ſibi ſubjecit.

GESTA

GESTA SUB IMPERATORIBUS.

1. *Cn. Octavianus Augustus.*

Totius Orbis Romani arbiter factus; cunꝺta discordiis Civilibus fessa, sub nomine *Principis* accepit. Rempublicam quassatam restituit. *Dalmatas* domuit. *Pannoniam*, *Dalmatiam* cum *Illyrico* Imperio adjecit. Signa quondam *Crasso* à Parthis erepta recepit, in cujus memoriam numum cusit. *Tiberius* & *Drusus* in Germaniam missi, Vindeliciam atque Rhætiam occuparunt, ripas *Danubii* atque *Lyci* castellis muniverunt. Sylvam Herciniam via facta aperuerunt. Sed *Lollius* & mox *Quintilius Varus*, à Germanis Duce *Arminio*, cum 3. Legionibus & omnibus auxiliis, cæsus est, duabus aquilis amissis. Diem cladis *Augustus* mœstum quotannis habuit. Eo regnante JESUS CHRISTUS, generis humani Redemptor atque Salus, natus est. A. M. 3984. Ille obiit *Nolæ* in Campania, in eodem Cubiculo, quo Pater ejus *Octavius*. A. Chr. 14. Imp. LVI. Ætat. 76.

2. *CLAUDIUS TIBERIUS NERO.*

A. Chr. 14. † 39. *Imp.* 23. *Ætat.* 78.

Auxilio Matris *Liviæ* Imperium obtinuit. *Posthumium Agrippam* Augusti Nepotem, quasi hujus jussu, interemit. Fuit simulator dolosus ac insidiator planè periculosus. Ani-

mi mensa nunquàm aperuit. Senatum, ad speciem veneratus, verum habuit mancipium. Crudelis plurimos Nobilium interfecit. Nulla à pœna hominum cessavit dies. Roma relicta, in *Capream Insulam* sese contulit (forsan conspirationem metuens) ibique latitans, spurcissimam vitam egit. Adeò Vinolentus fuit, ut indexo nomine, *Biberius Calidus Mero*, vocaretur. Eò mortuo universa Urbs læta exclamavit. *Tiberium in Tiberim.*

In rebus bellicis nil memorabile gessit. Parthi Armeniam occuparunt. Daci Sarmatique Moesiam. Germani Gallias intrarunt.

Act. Apost. Cap. 7. 8. & 9. Sub eo JESUS CHRISTUS fuit Crucifixus, anno Imperii XVIII. *Pontio Pilato* Judææ Præside. *Stephanus* Martyr lapidatus. *Saulus* miraculosè conversus.

3. *CAJUS CALIGULA A. Chr. 39. † 43. Imp. 3. Mens. 10. Ætat. 29.*

Tiberio venenum miscuisse creditur. Laudabile habuit initium, & adeò gratus fuit populo, ut proximis 3. mensibus, ac ne totis quidem CLXM. Victimæ, pro ejus salute passim cæsæ fuerint. Delatoribus se aures habere negavit. Sed posteà in horrendum monstrum degeneravit; Divinos honores expetiit.

Equum suum Sacerdotem fecit, atque ad Consulatum destinavit. Fratrem *Tiberium* interfe-

terfecit. Aviæ *Antoniæ* Venenum dedit. *Silanum* Socerum ad mortem compulit. Tres Sorores incestu polluit. Senatorum complures trucidavit. Tragicum illud, *Oderint dum metuant*, subinde jactabat, & optabat; *Utinam Pop. Rom. unam Cervicem haberet.* Prodigus extitit summo gradu, ultrà 675. auri tonnas abligurivit. Lupanar in Palatio instituit. Tandem facta conjuratione, Vulneribus 30. confossus interiit.

In bellicis rebus nil gessit memorabile, præter expeditionem risu dignam, cùm in Belgii ora maritima exercitum Conchylia legere jussit.

Eo regnante *Christianorum* nomen innotescere cœpit.

4. *TIBERIUS CLAUDIUS. A.Chr. 43.† 56. Imp. 13. Ætat. 64.*

Audito de fratris cæde nuntio, in Solario post vela se abscondit. Princeps fuit per se nec bonus, nec malus; Varius & differens in suis actionibus, modò sagax satis & prudens, modò ridiculus & stultior. Vino deditus. Inter XX. edicta, quæ uno die proposuit, etiam hæc duo erant: *Ut uberi vinearum proventu, dolia benè picarentur:* Alterum: *Nihil æquè facere ad Viperæ morsum, quam Taxi arboris succum.* Urbis annonæque curam semper sollicitissimè gessit. Congiaria Populo sæpè distribuit. Militiam imagi-

nariam, quæ vocatur, *Suprà Numerum*, & ſtipendia primus inſtituit. *Druidarum* religionem apud Gallos penitus abolevit. *Meſſalina* Uxor, eum ut mancipium rexit, pluſque imperarunt Miniſtri, quam ipſe Imperator. Occiſa dein *Meſſalina*, duxit *Agrippinam*, adoptato hujus filio *Nerone*, quæ ipſum boleto venenato ſuſtulit.

In rebus bellicis, Expeditione in Britañiam *Plautio* Duce ſuſcepta, hanc in ordinem redegit, indeque triumphum duxit. Judæos urbe expulit.

Eo Imperante *Herodes Agrippa Magnus* Judææ R. *Ariſtobuli* Filius, à vermibus fuit corroſus. A. Chr. 44. poſtquàm *Jacobum* Apoſtolum gladio interemiſſet. Mater quoque Domini vivere deſiit, teſte *Nicephoro*. A. Chr. 48. *Philippus* Apoſtolus *Hierapoli* Phrygiæ fuit lapidatus.

5. *CLAUDIUS DOMITIUS NERO. A. Chr.* 56. †. 70. *Imp.* 14. *Ætat.* 32.

Excluſo Fratre *Britannico*, aſtu *Agrippinæ* Imperium obtinuit. Optimus ab initio fuit Princeps & omnibus gratus. Primo luſtro Matri *Agrippinæ* ſummam omnium rerum publicarum & privatarum permiſit. Vectigalia graviora, partim abolevit, partim minuit. Senatores re familiari tenui, ſalario ſublevavit. At poſteà in monſtrum horrendum degeneravit. Hiſtrionem & Citharœdum

dum, in Scenis & Theatris egit publicè, aurigavit quoque plurifariàm. Ebrietati & libidini publicè erat addictus. *Rubriæ* Virgini Vestali vim intulit. *Britannicum* fratrem interemit. Matrem occidit. *Octaviam* & *Poppæam Sabinam* Uxores interfecit; ut taceam reliquos Nullam vestem bis induit; piscatus est rete aurato, purpura coccoque funibus nexis. Soleis mulas præmunivit argenteis. Itaque ab omnibus tandem desertus & hostis Patriæ judicatus, jugulum ipse, post multam trepidationem abscidit.

In rebus bellicis, Parthi Armeniam invaserunt & clades in Britannia accepta. *Flavius Vespasianus* contra Judæos rebellantes missus.

Eo Imperante Persecutio. I. Christianos pressit. A. Chr. 65. in qua *Petrus* & *Paulus* martyrium passi sunt. *Menander* (Neronis Amicus) *Simonis Magi* discipulus sese Servatorem jactitavit. *Nicolaus Diaconus* Author fuit *Nicolaitarum* Sectæ, quæ Uxorum communionem inducebat, forsan ex libris *Platonis* haustam. Euseb. Histor. Eccles. lib. 3. Cap. 26.

6. *SERVIUS SULPITIUS GALBA. A. Chr.* 70. †. 71. *Imp. Mens.* 7. *Ætat.* 74.

Nunquam in grandi fuit Authoritate; Ministrorum arbitrio cuncta rexit. Liberalitates *Neronis* revocavit; Ipse verò passus est, Pædagogos suos, cuncta vel pretio vendere,

vel gratiâ donare, usque ad Vectigalia, Immunitates & pœnas. Militibus promissa à Præpositis largiora donativa præstare renuit; dicens; *Legere se militem, non emere consuesse.* Inde contraxit odium Militum, qui deficientes *Othonem* elegerunt, *Galbæque* à gregario milite amputatum Caput, non sine ludibrio castris fuit circumlatum.

Numi ejus sunt rarissimi, & magni comparantur, sicubi inveniantur.

7. *M. SALVUS OTHO. A. Chr.* 71. †. *Eod. Imp. Mens.* 4.

Particeps quondam Scelerum & Consiliorum *Neronis*, inter tumultum Militum & strictos gladios, Imperator fuit salutatus. Nomen *Neronis* assumpsit, eidemque statuas posuit. Interim *Vitellius* ab exercitu Germanico electus, Alpibus transcensis, eum ad *Bebriacum* victum, ad spontaneam mortem compulit.

Numi ejus quoque in magno pretio habentur.

8. *AULUS VITELLIUS. A. Chr.* 71. †. 72. *Imp. Mens.* 8. *Ætat.* 57.

Flamen quondam Dialis à *Nerone* factus, insolenter & turpiter sese in Imperio gessit. Ubi ad *Bebriaci* campum venit, quo fuerat pugnatum, quosdam cadaverum tabem abhorrentes, detestabili hac voce confirmavit: *Optimè*

Optimè olere occisum hostem, & meliùs Civem. Prætorianas dein cohortes, ut pessimi exempli, omnes exauctoravit. Sese perpetuum Consulem fecit. *Neroni* in medio Campo Martio Inferias dedit, hujusque exemplum fuit imitatus. Luxuriæ atque gulæ maximum fuit mancipium. Crudelis fuit suprà modum; homines coràm interfici jussit, dicens: *Velle se Oculos pascere.* Tandem exercitus Mœsiarum, Pannoniæ, Syriæ & Judææ, ab eo deficientes, in verba *Vespasiani* jurarunt, qui cum iis in Italiam profectus est. Ubi *Vitellius*, religatis post terga manibus, injecto cervici laqueo ac discissâ veste seminudus, à militibus in forum tractus, minutissimis ictibus confossus, & unco prehensus atque in Tiberim pertractus est.

9. T. FLAVIUS VESPASIANUS. *A. Chr.* 72. †. 82. *Imp.* 10. *Ætat.* 69.

Princeps fuit bonus. Rem Romanam primus post *Augustum* restituit primò, deinde ornavit. Militum grandem licentiam refrænavit, disciplinam reduxit; bonas leges partim revocavit, partim tulit. Mitis & Clemens semper fuit, solis hostibus acer. Procuratores rapaces promovit quidem, sed posteà damnatos bonis exuit, dicens: *Se iis pro Spongiis uti.* Vectigalia quoque & tributa invenit, postulante ita Imperii necessitate. Urinam quoque taxavit; addens: *Lucri bonus*

odor

odor ex re qualibet. Mercaturam quoque exercuit & quidem sordidam. Cæterùm tamen fuit liberalissimus. · Bonas quoque literas adamavit & earum Professores remuneratus est. Jam lethali lecto incumbens, Legationes audivit, dicens: *Imperatorem vel stantem mori oportere.*

In rebus bellicis, Judæos castigavit; *Josephum* Historicum & Ducem Judæorum captum vita donavit, quod sibi Solium prædixisset. libros ejus VII De bello Judaico, sibi oblatos, retinuit. Belli perficiendi curam Filio suo *Tito* comisit, qui cæsis ubique Judæis, Hierosolymam obsedit circà tempus Paschatis, A. Chr. 74. atque post obsidium 5. mensium durissimamque famem, summa vi expugnatam, funditus delevit. Judæos à gladio & fame reliquos, in Servitutem partim abripuit, partim fugientes dispersit; Itaque Vaticinium Christi fuit impletum. Posteà Splendidum de Judæis egit triumphum; Numus propterea cusus adhuc extat, cum legenda; *Judæa Capta.* Cœtus Fidelium *Hierosolymis*, Divino monitu, ante obsidionem emigravit, atque *Pellam* trans Jordanum sese contulit.

Joseph. de Bell. Jud. lib. 7. C. 24. Eo Imperante, Romæ *Linus* & *Cletus* Ecclesiæ curam gesserunt. Hæresis *Ebionitarum*, Judaismum Christianismo miscentium, viguit.

10. *TI-*

10. *TITUS VESPASIANUS. Filius* *A. Chr.* 82. †. 84. *Imp.* 2. *Menſ.* 2. *Ætat.* 42.

Jam vivente Patre particeps Imperii fuit, cui Virtutibus non ſolùm non ceſſit, ſed quem etiam ſuperavit. Unde amor & delitiæ generis humani fuit appellatus. Abſtinuit alieno. Conjuratores non caſtigavit aliter quàm monendo: *Poteſtates dari, fato.* Sæpiùs dixit: *Se periturum potiùs, quàm perditurum.* Neminem ſine ſpe à ſe dimiſit petentem; reprehenſus proptereà à domeſticis reſpondit. *Non oportere quemquam à Sermone Principis triſtem recedere.* Cùm finitimæ gentes, ob Victoriam de Judæis partam, ipſum pro more, coronare vellent, renuens dixit: *Non ſe eſſe tantorum operum Authorem, ſed DEUM Judæis iratum. Domitianum* Fratrem apertum expertus inſidiatorem, ſubindè lachrymis & precibus oravit, ut deſiſteret & fraterno ergà ſe eſſet animo. Videtur tamen ex hujus inſidiis periiſſe.

In rebus bellicis, *J. Agricola* res in Britannia claré geſſit.

11. *FLAVIUS* D*OMITIANUS.* *Frater. A. Chr.* 84. †. 99. *Imp.* 15. *Ætat.* 45.

Neronis & *Caligulæ* imitator, bonum principium turpi fine fœdavit, Quæſtorium Virum,

rum, quòd gesticulandi saltandique studio teneretur, Senatu movit. Probrosis feminis, jus capiendi legata atque hæreditates, etiam lecticæ usum ademit. Solitus fuit dicere; *Princeps, qui delatores non castigat, irritat.* Mox celer ad sævitiam decurrit. Consulares & Senatores complures trucidavit. Bona vivorum & mortuorum usquequaque, quolibet & accusatore & Crimine corripuit. Statuas sibi non nisi aureas & argenteas posuit. In Edictis & Epistolis usus fuit hac formula. *Dominus & DEUS noster sic fieri jubet.* Aliterque vocari noluit. Tandem omnibus invisus, in cubiculo fuit occisus.

In rebus bellicis, Cattos lacessivit. In Sarmatas quoque movit, quòd Legatum Romanum cum legione concidissent: *Oppidus Sabinus* adversus Dacos infeliciter pugnavit, eos tamen domuit *Cornelius Fuscus.* De his & de Cattis Triumphavit.

Eo Imperante, *Christiani* Persecutionem II. passi sunt. In qua *Johannes Evangelista*, sine damno oleo bullienti immissus, in *Pathmum Insulam* fuit relegatus, ubi Apocalypsin suam scripsit; indè Imperante *Nerva* reversus, *Ephesi* diem supremum obiit. A. Chr. 102. *Marcus Evangelista* Alexandriæ obiit. A. Chr. 85. Romæ *Clemens* I. in *Insulam Pandatariam* fuit translatus.

Euseb. Histor. Ecclef. lib. C. 12 & seqq.

12. COC-

12. *COCCEJUS NERVA. An. Chr.* 99. †. 100. *Imp.* 1. *Menſ.* 4. *Ætat.* 68.

Laudabilis fuit Princeps. Omnes *Domitiani* Statuas & Conſtitutiones abrogavit, relegatos revocavit. In Curia juravit; *Neminem Senatorum, ſuo juſſu, occiſum iri. Trajanum* in Filium adoptavit. Obiit ex febri.

Eo Imperante floruit *Cornelius Tacitus* Hiſtoricus.

13. *M. ULPIUS TRAJANUS. Hiſpanus. A. Chr.* 100. †. 119. *Imp.* 19. *Ætat.* 64.

Optimè ſe geſſit in Imperio. *Saburano* Præfecto Prætorio, dùm ei gladium, porrigeret, dixit: *Accipe hunc gladium, eoque, ſi rectè imperavero, pro me, ſi malè, contrà me utitor.* Senatores Patres ſuos appellavit, ſeſe eorum Filium. Omnibus fuit Comis & mitis. Milites vulneratos, ſumma benignitate fuit allocutus, cùmque lintea, obligandis vulneribus deficerent, proprium paludamentum in eos uſus reſcidit. Hoſtibus Serenitatem Severitate miſcebat. Mortuo, Sepulcrum intrà mœnia contigit, erecta Columna ingenti, ac poſt eum, ſequentibus Principibus à Populo fuit acclamatum. *Sis felicior Auguſto, ſis melior Trajano,*

In rebus bellicis, Germanos fregit, atque Ger-

Germaniæ aliqualem provinciæ formam dedit. Dacos domuit in Pannonia, ubi *Danubium* ponte sumptuosissimo stravit, *Dacici* cognomen inde assumpsit *Cosroëm* Parthum Armenia depulit, & Assyriam occupavit, resque in Oriente confirmavit.

Eo Imperante tamen *Christiani* Persecutionem III. sustinuerunt. Ad hanc autem motus fuit ex ratione politica. Nocivum quippè credidit Reipl. religionis dissensum inter subditos; quod quidem ita est, modò conscientiis vis non inferatur. Accedebat quoque superstitio. *Plinius Junior* Bithyniæ Præfectus, epistola ad *Trajanum* scripta, pro *Christianis* intercessit, & aliquam mitigationem obtinuit. lib. 10. Epist.

14. *ÆLIUS ADRIANUS. A. Chr.* 119. †. 140. *Imp.* 21.

Princeps fuit bonus, Ingenii & memoriæ felicissimæ, multarumque artium peritus; callebat Græcam linguam & Geometriam, Rempublicam rexit ex Consilio JCtorum, ascitis ex Senatu in contubernium optimis. statim ab initio Imperii populo remisit debita fiscalia ad 27. auri milliones, combustis in foro syngraphis. Sua quidem habuit vitia, quæ tamen mira arte & dexteritate abscondit. Uxorem *Sabinam* adulterii, cum *Suetonio Tranquillo* Historico, insimulatam, ad voluntariam mortem adegit, Magia fuit infamis.

famis. *Hierosolymæ* restauratæ murum circumdedit, atque *Heliam* à se vocavit. *Romæ* sibi superbam molem extruxit, in loco qui nunc vocatur *Angeloburgum*.

In rebus bellicis, Judæos *Barchochabo* Duce rebelles obtrivit, cæsis 60000. Hierosolymis expulit, & ne quidem è specula, illam intueri permisit, nisi semel in anno, datis pro hoc nummis. Sarmatas rebelles coercuit. Assyriam, Mesopotamiam & Armeniam liberas dimisit, posito Imperii fine Euphrate. *Adrianopolim* condidit. Germanis Regem dedit, & omnes Imperii sui provincias ipse peragravit.

Eo Imperante, *Christiani* Persecutionem IV. senserunt, pro quibus variæ apologiæ prodierunt. Romæ *Alexander* I. Lustralem aquam & panem Azymum introduxisse scribitur. *Sixtus I.* Trisagii decantationem & *Telesphorus I.* Quadragesimale Jejunium.

15. *ANTONINUS PIUS. Gener. & Filius Adoptivus. A. Chr.* 140. †. 163. *Imp.* 23.

Ita pacis, concordiæ & Justitiæ fuit studiosus, ut etiam exteri Reges ipsum fuerint venerati. Solitus fuit dicere: *Melius esse Civem conservare, quàm mille hostes perdere.* Conjuratione evulgata, inquiri in participes, monitus à Senatu, noluit; ajens: *Se malle scire numerum Amicorum suorum, quàm inimico-*

rum. Indè *Pius*, inde *Divinus* vocabatur & *Pater Patriæ*. Nil otio pejus habuit, illudque pestem plebis, subinde vocavit.

In rebus bellicis, Marcomannos (hodie *Moravi* & *Bohemi*) & Quados (hodiè *Silesii*) devicit, ope Legionis fulminantis, vel potius cohortis militum Christianorum Legionis XII. precibus suis sitienti exercitui pluviam, hostibus verò fulmina obtinentis cœlitùs. Unde supplicia *Christianorum* ubique cessare jussit.

16. & 17. *M. ÆLIUS ANTONINUS Philosophus & L. ÆLIUS Commodus Verus. Divi Fratres dicti.* *A. Chr.* 163. *Ille* †. 182. *Imp.* 19. *Iste* †. *A.* 173. *Imp.* 10.

Benè sub iis fuit Imperio. *Veri* ferocitas, prudentià *Antonini* temperabatur; Verus quidem, dùm cum fratre in expeditione contrà Parthos esset, ex Apoplexià obiit. Adeoque *Antoninus* Filium suum *Commodum* in Imperii curas ascivit. A. Chr. 178. Semper in ore habuit: *Tum demùm florere Rempl. ubi Principes essent Philosophi. Collatino Froni oni* Præceptori suo Statuam posùit. Urbi & Civibus afflictis proprio rei suæ familiaris detrimento succurrit. Filium suum inter amicos exhortatus dixit: Nec divitias Principis Voluptates defendere, nec arma ulla Princi-

pem

pem tueri, nisi habeat benevolentiam suorum subditorum; Tyrannidem non diu stare, cùm quilibet eum, quem timet, aversetur, & omni laude dignum esse, non peccare, ubi peccandi libera potestas sit.

In rebus bellicis, Germanos, Quados, Marcomannos & Parthos repressit.

18. *ANTONINUS COMMODUS Filius. A. Chr.* 182. †. 195. *Imp.* 13. *Ætat.* 32.

Planè fuit Princeps incommodus, Patrisque doctrinæ contemptor. Cujus Amicos & Consiliarios pios expulit, & nequissimum quemque amicitiâ sibi junxit. Vestalibus vim intulit. *Lucillam* Sororem necavit; Alteram stupravit; *Crispinam* Uxorem interfecit. Nobilissimos Senatorum ac Nobilium trucidavit. Patrem abdicavit, pro Jovis filio haberi & *Hercules* vocari voluit, atque Athletæ Nobilissimi nomen ambivit. Tandem à *Narcisso* fuit confossus.

19. *ÆLIUS PERTINAX. A. Chr.* 195. †. *Eod. Imp. Mens.* 6.

Ab exercitu Imperator fuit salutatus invitus; posteà à Senatu confirmatus. Laudabiliter sese gessit atque modestè. Militibus autem non satis visus fuit liberalis; unde conjuratione facta, à *Juliano* JCto fuit occisus.

20. *DIDIUS JULIANUS. A. Chr.* 195. †. 196. *Imp. Menſ.* 2.

Vitæ fuit diſſolutæ; Ambitioſus & atrox. Militum odium incurrit, quod largiter promiſſa, avarè præſtiterit. Senatus autem & Populi invidiam contraxit, tùm cæde *Pertinacis*, cùm vitæ enormitate Quare Imperio ſemotus ac à populo interfectus eſt.

21. *SEPTIMIUS SEVERUS, Afer. A. Chr.* 196. †. 213. *Imp.* 18.

Ab imo gradu dignitatis militaris, usque ad ſummum Imperii faſtigium ſucceſſivè fuit evectus. Imperavit ſeverè, non tamen crudeliter; unde tale judicium tulit Senatus: *Eum vel non debuiſſe naſci, vel non mori.*

In rebus bellicis, *Peſcennium* ab Exercitu Syriaco in Aſia, & poſtea *Albinum* in Gallia Imperatores proclamatos, felici celeritate oppreſſit. Arabes ſubjugavit, aſſumpto indè *Arabici* cognomine; Parthos repulit. Germanos repreſſit; Britanniam rebellem ad officium reduxit.

Chriſtiani PerſecutionemV. paſſi ſunt. Hoc tempore *Tertullianus* Apologiam conſcripſit.

22. *ANTONINUS BASSIANUS CARACALLA. Filius. A. Chr.* 213. †. 219. *Imp.* 6. *Ӕt.* 43.

Egregias Juventutis virtutes & ſpem omnium

nium indè conceptam, turpi vitiorum cumulo fefellit. Fratrem *Getam* placidi ingenii Virum, in amplexibus Matris transfixit, atque *Papinianum* JCtum, facinus excusare renuentem & dicentem: *Faciliùs esse fratricidium committere quàm excusare*, interemit. Erat libidinosus, crudelis, impius, injustus, prodigus & rapinis deditus. Undè omnibus gravis, cùm in Mesopotamia in itinere, equo descendens, urinam redderet, à quodam *Martiale*, fraude *Opilii Macrini*, fuit interfectus.

In rebus bellicis, continuè rem habuit cum Parthis, quos aliquoties vicit.

23. *OPILIUS MACRINUS. Libertus. A. Chr.* 219. †. 221. *Imp.* 1. *Mens.* 2.

Fuit crudelis, gulosus & avarus; Una mensâ comedit 100. Persica mala 10. Pepones 500. ficos & 400. Ostrea & hanc habet laudis summam; Milites ob avaritiam suam habuit offensos, quare ab iis desertus, cùm in Parthos moveret, *Chalcedone* cùm Filio suo *Diadumeno*, instinctu *Heliogabali* fuit occisus.

24. *M. AURELIUS ANTONINUS HELIOGABALUS Filius Nothus. A. Chr.* 221. †. 225. *Imper.* 4.

Anteà fuit Flamen Dialis & Solis. Omnis honestatis & Virtutis inimicus; Jovem se vendi-

venditavit; Templum sibi construxit juxtà Palatium & sacrificia humanorum Corporum sibi exegit. Matrem *Semiamiram*, Senatui inductam, prima in sede collocavit. Libidini & incestui fuit deditus, si alius unquam; undè maceratus & debilitatus feminis, sibi exsecuit, & Deæ *Vestæ* perpetuam castitatem vovit per ludibrium, ac pro femina haberi voluit. Prodigus fuit & magni sumptûs; nil nisi aureum argenteum & gemmatum admisit. Solitus fuit dicere: *Nil esse expeditius, quàm sui ipsius, Uxoris & liberorum esse hæredem.* Tandem & Senatui & militi intolerabilis factus, orta Seditione in latrina fuit occisus cum Matre, per urbem tractus, ac in *Tiberim* abjectus.

25. *AURELIUS ALEXANDER SEVERUS. Filius Adoptivus.*
A. Chr. 225. †. 237. *Imp.* 13. *Ætat.* 29.

Jam antè *Heliogabalum* electus, isti cesserat. Princeps fuit bonus. Studiis liberalibus maximè incubuit. Usus fuit *Ulpiano* & *Paulo* JCtis Consiliariis. Symbolum ejus erat, *Quod tibi fieri non vis alteri non feceris.* Historiæ fuit grandis amator & gestorum Veterum curiosus. *Christum* Servatorem in larario suo coluisse scribitur. Adulationis fuit impatiens, atque disciplinæ militaris severus assertor. Verùm *Mammeæ* Matris suæ consilio & suggestio-

geſtione, parùm fuit liberalis; undè militum odium ſibi comparavit, à quibus *Moguntiæ*, Authore *Maximino*, fuit obtruncatus.

In rebus bellicis, *Xerxem* Perſarum Regem magna clade affecit, captis multis Elephantis. Expeditionem in Germanos mors præpedivit.

26. *MAXIMINVS*, *Thrax*. *A.Chr.* 237. †. 240. *Imp*. 3.

• Ex milite gregario usque ad hoc faſtigium aſcendit. Tyrannicè ſe geſſit. Omnes, quibus ignobilis ſuus ortus notus erat, trucidavit. Nobiliſſimos variè ſuſtulit. Tantus erat heluo, ut una cœnâ 40. carnis libras devoraverit, & 10. vini cantharos ingurgitaverit. Denique hoſtis Patriæ & generis humani declaratus à Senatu, & *Gordianus* contrà eum electus fuit; qui verò, audita Filii & exercitus cæde, à *Capeljano* Mauritaniæ Præſide ad *Carthaginem* illata, laqueo gulam fregit.

Senatus autem alios creavit Imperatores, *Maximum* & *Balbinum*, iisque ſubſtituit *Gordianum*, Adoleſcentem, *Gordiani* Nepotem ex filia. Contrà hos *Maximinus* veniens, in obſidione *Aquilejæ* cum filio periit.

In rebus bellicis, acerrimè cum Germanis, inter medias Germaniæ Sylvas & paludes conflixit, & in *Franconiam* usque penetravit.

Chriſtiani ſub eo Perſecutionem VI. habuerunt.

27. 28. *MAXIMVS PVPIENVS & BALBINVS. A. Chr.* 240. †. 241. *Imp.* 1.

In his apparuit Imperium non pati Socium. *Maximus* quippè, quod Fabri Filius esset, à *Balbino* fuit contemptus, ceu tanto fastigio indignus. *Balbinus* non minùs despiciebatur à *Maximo*, ceu piger & Socors, ac proin tanto fastigio impar. Simultas hæc ad mutuas usque excrevit insidias, sed ob Satellitum Germanorum (qui tùm magni fiebant) vigilantiam & custodiam, utrinque imperfectas. Milites tamen clàm facta conjuratione, dum spectaculum ederetur, utrumque trucidarunt.

29. *GORDIANVS*, *Junior. A. Chr.* 240. †. 247. *Imp.* 7. *Ætat.* 22.

Probè se gessit & ferè suprà Juventutem. Principum sortem subinde deploravit; quod nunquam iis daretur Veritatem nudam cernere. Studiorum maximus fuit Patronus & Bibliothecam LXIIM. Volum. habuisse scribitur. *Philippum* Arabem habuit insidiatorem, qui fraude & dolo Imperii particeps factus, tandemque *Gordiani* societatem fastidiens huic omnem potestatem ademit, & tandem vitam licèt precato & supplici Juveni promissam eripuit.

In rebus bellicis, *Saporem* Persarum, & *Arta-*

Artaxerxem Parthorum Reges vicit; captaque *Antiochia*, Thraciam, Mœsiam & Syriam Imperio restituit.

30. *PHILIPPUS*, *Arabs. A. Chr.* 247. †. 252. *Imp.* 5.

Omnes *Gordiani* percussores morte affecisse scribitur, vel quod eadem timeret, vel ut omnem facinoris suspicionem à se amoveret. Annum Millenarium ab U. C. magna pompâ, sed non sine incendio, celebravit. Religionem Christianam accepisse, adeoque primus Imperator Christianus fuisse, à nonnullis scribitur. Verùm in Communionem Sanctorum non venit; neque Sacramentis fuit usus, aut ulla in re Christianam fidem fuit testatus; nisi quòd *Fabiano* Episcopo multa donaverit. Interfectus fuit à *Decio* Præfecto Prætorio.

Vid. Johan. Frider. Spanhe. & Christophor. Cellar. in disquis. de Primo Princ. Christia.

31. *MESSIUS* DECIUS. *Pannonius. A. Chr.* 252. †. 254. *Imp.* 2.

Non malè imperavit, quamquàm non diu. Namque *Gothi* gens Borealis in Thraciam irrumpentes, eum acie fugarunt, itaque fugiens in palude interiit. Thraciam Gothi occuparunt.

Sub eo *Christiani* Persecutionem VII. passi sunt. In qua VII. dormitorum historia contigisse narratur.

32. *VIBIVS GALLVS HOSTILIANVS. A. Chr. 254. †. 256. Imper. 2.*

Filius ejus *Volusianus* factus fuit Cæsar. Cùm verò exercitus in Mœsia *Æmylianum* Imperatorem proclamasset, à suis militibus unà cum *Volusiano* fuit interfectus; quos paucis mensibus pòst *Æmylianus* fuit secutus.

Bellum cum *Gothis* in pacem ignominiosam transmutavit.

33. *P. LICINIVS VALERIANVS. A. Chr. 256. †. 262. Imp. 6.*

Ille ab Exercitu Alpino, & *Romæ* à Senatu Filius ejus *Galienus* fuit electus; adjungentes sibi *Valerianum* Juniorem, *Galieni* Filium. Imperium verò malè auxit, & denique à *Sapore* Persa, in Mesopotamia victus, captus & catenis oneratus est. Cœnante *Sapore* sub mensa jacere & ossa rodere, atque equum conscendenti, dorsum admovere fuit coactus.

Sub eo *Christiani* Persecutionem VIII. sustinuerunt.

34. *GALIENVS cum VALERIANO Filio. A. Chr. 262. Iste †. 267. Ille †. 270. Imp. 8.*

Ignavè & satis malè imperavit. Imperium nutare cœpit, atque à barbaris gentibus paulatim subrui. Hujus tamen curam nullam habuit. Ne quidem Patrem captivum curavit,

vit, dicens: Hominem fuisse, adeoque humanæ sorti subjectum. Allato nuncio, Ægyptum defecisse, respondit: *Numquid non posset vivere absque limosa Ægypto?* Item nuncianti Galliam rebellasse, dixit: *Numquid Imperium non possit subsistere, absque vestitu Gallorum?* libidini, luxui & luxuriæ unicè incubuit, & tandem *Mediolani* fuit occisus.

In rebus bellicis nil egit. Germani in Italiam irruperunt, cædem & ruinam *Ravennam* usque ferentes. Passim in Imperio XXX. simul sibi Imperium sumpserunt, qui *Tyranni* vocantur; quos inter, *Posthumus* in Germania, & post eum *Victorinus*, *Odenatus* in Syria & Mesopotamia. *Tetricus* in Aquitania.

35. *Fl. CLAUDIUS. A. Chr.* 270. †. 272. *Imp.* 2.

Modestus fuit ac temperans, Justitiæ tenax & Virtutum amator. Imperium quassatum & lacerum magna Virtute & laude satis restauravit, unde auream Statuam in Capitolio meruit. Tyrannos suppressit.

In rebus bellicis, *Gothos* in Macedonia ingenti strage obtrivit. Germanos pari felicitate ad lacum *Benacum* in Silva Lugana profligatos, Italia expulit. Ægyptum sub suam potestatem redegit.

36. *AURELIANUS. Pannonius. A. Chr.* 272. †. 277. *Imp.* 6.

Justitiam probè administravit. Vitia coër-

cuit.

cuit. Disciplinam militarem asseruit, edixitque; *Oportere militem vivere ex suo Stipendio & manubiis, non verò ex sudore & lachrymis provincialium.* Crudelis tamen fuit & Violentus, multosque ex Senatu & Nobilibus interemit. Medicis non est usus, sed morbos diæta abstinentia propulsavit. Vini magis quam Veneris amator. Interfectus fuit à *Mnestheo*, quem Senatus propterea ad bestias damnavit.

In rebus bellicis, Tantum triennio perfecit, quantum *Alexander M.* XII. aut *J. Cæsar* XIV. annis. Germanos triplici clade affectos Italiâ depulit. *Tetricum* Tyrannum in campis *Catalaunicis* victum cepit. Sicambros ad *Moguntiam* profligavit, Galliamque reduxit. Gothos ad Danubium cum *Canaba* Rege prostravit. *Zenobiam* Odenati viduam *Palmiræ* obsessam cepit, totumque Orientem sub suas leges revocavit. Ægyptum rebellem in officio continuit; de quibus gestis celeberrimum Romæ egit triumphum, in quo *Zenobia* & *Tetricus* currum præcesserunt.

Sub eo *Christiani* Persecutionem IX. senserunt, in qua *Cyrilla* Decii Imp. Filia Martyrium fuit adepta.

37. *ANNIVS TACITVS. A. Chr.* 277. †. 278. *Imp. Mens.* 6.

Cum summa laude imperavit. In omnes *Aureliani* percussores animadvertit, eique ut aurea

aurea ſtatua poneretur, Senatum monuit. Literis erat maximè deditus & Architecturam adamavit. *Cornelii Taciti* Annales frequenter deſcribi juſſit & in omnes Bibliothecas diſtribuit. Militibus verò non placuit, qui eum in Ponto trucidarunt.

38. *PROBVS. Pannonius. A. Chr.* 278. †. 284. *Imp.* 6.

Probè imperavit. Percuſſores *Aureliani* & *Taciti*, ſupplicio affecit. Militibus, cuique ferè in ſua Patria, agros diviſit, brevi ſe pacem & aurea ſecula reducturum, atque arma in ſtivas verſurum, promiſit. Quo ſermone ingratus militibus & inviſus, ab iis Sceleſtè fuit interfectus, cum *Sirmii* in Patria degeret.

In rebus bellicis, Germanos Galliâ depulit. Sarmatas & Gothos in Illyrico & Thracia compeſcuit. *Saturninum*, *Bonoſum* & *Proculum* Anticæſares cæſit. Totum Orientem pacavit, ita ut vulgò diceretur; *Mures rebelles nullum audire.*

39. *CARVS. Gallus Narbonenſis. A. Chr.* 284. †. 286. *Imp.* 2.

Per omnes militaris dignitatis gradus Virtute vectus eſt. *Carinum* & *Numerianum* Imperii participes fecit. Illi Galliam, Italiam, Hiſpaniam, Britanniam, Africam & Illyriam regendam dedit; reſervato ſibi ſummo arbitrio, *Numerianum* autem ſecum in Orientem

tem duxit. Ibi cum in Castris, juxtà *Tigrin* ageret, fulminis ictu periit.

Numerianus, occiso Patre, Persas vicit dein *Antiochiam* pervenit, ubi Ecclesiam Christianorum introiturus, prohibentem *Cyrillum* Episcopum transfixit. Romam revertens, periit insidiis *Apri* Soceri, A. Chr. 28- *Aper* verò Imperium affectans, mox à *Diocletiano* fuit trucidatus.

Carinus Frater, omnibus vitiis erat immersus, scelerum fautor & omnibus bonis inimicus; ita libidinosus, ut præter innumera adulteria commissa, novem duxerit uxores, prægnantes verò repudiaverit. Interfectus fuit à *Diocletiano*. Anno Eod.

40. *DIOCLETIANVS, Dalmata*, *A. Chr.* 287. *abdicavit. Imp.* 306. *Imp.* 19.

Consortem Imperii fecit, *Maximinianum Herculeum* ex Pannonia obscurè natum. Multiplicatis dein in Imperio seditionibus, ut in Italia, Asia, Ægypto, Africa, duos adhuc Imperii Socios asciverunt, *Constantium* & *Galerium*. Tandem bini illi priores, nescio quo consilio moti, Imperium abdicarunt, *Diocletianus* Nicomediæ & *Herculeus* Mediolani, posteà Seniores AA. dicti. Post triumphum de Oriente, *Diocletianus* Jovis cognomen assumpsit, & ut DEUS coli voluit.

In

In rebus bellicis, *Bagaudæ* in Gallia, ducibus *Amando* & *Æliano*, suppressi sunt.

In Britannia, quidam *Carausius*, sumpta Purpura, regnum occupavit 7. annis, Ejus nummi adhuc extant, cum legenda, IMP. CARAUSIUS. Interfectus fuit ab *Alecto*, qui Britanniam tenuit triennio; hunc interfecit Successor *Scleopiodorus*; Exinde *Constantius*, Britanniam iterùm subjugavit. Vid. Ezech. Spanh. Diff. VII. de Præst. & Usu numor.

Sub eo *Christiani* Persecutionem ultimam passi sunt, quæ duravit usque ad tempora *Constantin M.* & omnium fuit longissima.

41. & 42. *F. CONSTANTIVS CHLORVS A. Chr.* 306. †. 308. *Imp.* 2.

GALERIVS MAXIMINVS. A. Chr. 306. †. 313. *Imp.* 7.

Imperii administrationem ita diviserunt, ut *Constantius* Italiam, Galliam reliquumque Occidentem regeret. *Galerius* verò Illyricum Asiam & Orientem. *Constantius* provinciarum & negotiorum multitudine prægravatus, Italiam & Africam spontè cessit *Galerio*, qui post *Severum*, Italiæ præfecit *Licinium*, & *Maximinum* Orienti. Intereà *Romæ* milites Prætoriani, *Maxentium*, Herculei Filium, Imperatorem salutarunt.

Constantius in Gallia & Hispania strenuè se gessit, Francos & Germanos magna clade affecit. *Bagaudas* rebelles planè perdomuit.

Ex

Ex *Helena* Angla ſuſcepit Filium *Conſtantinum*.

Galerius in Oriente rerum ſuarum ſatis laudabiliter ſategit. At in *Chriſtianos* fuit ſævus, tandemque à vermibus putreſcens corroſus.

Maxentius turpis & crudelis fuit Tyrannus, Magiæ addictus; Honeſtiſſimas matronas & Virgines ſtupravit. Tandem ſuperatus à *Conſtantino M.* in *Tiberi* fugiens periit. A. Chr. 315.

Maximinus in Oriente Tyrannum egit. *Chriſtianos* acerbè perſecutus eſt; eorum ſanguine, pacem, tempeſtatem frugiferam & omnem felicitatem, redemptam eſſe dixit. Mox verò dira & peſtis & fames, ex calidiſſimo æſtu orta eſt. A *Licinio* Tarſi obſeſſus, fœdo morbo fuit abſumptus. A. Chr. 319.

Licinius proſpero initio fuit gaviſus, ductaque *Conſtantia*, Sorore *Conſtantini*, pacificè cum hoc imperavit; Mox ex Imperii Societate naturaliter ortum diſſidium, hos duos comiſit. Itaque *Conſtantinus Licinium*, nocturno prœlio ad *Cybalem* oppreſſum & caſtris exutum, fugavit; In Bithyniam, fugientem inſecutus vicit, & ad abdicandum Imperium adactum, *Theſſalonicam* relegavit, ibique poſteà interfici juſſit, A. Chr. 326.

IMPE-

IMPERATORES CHRISTIANI.

1. Fl. VALERIUS CONSTANTINUS M. Ann. Chr. 325. †. 337. Imp. 32. Ætat. 63.

Filius fuit *Constantii* & *Helenæ* Britannicæ. Post obitum Patris, Româ (ubi *Galerio* obses fuit datus) in Britanniam profugiens, ope *Croci* Germanorum R. Imperator fuit factus, & dein à Senatu contrà *Maxentium* evocatus.

§. 1. Vulgò de eo fuit dictum; Decennium fuisse *bonum Principem*; Decennium *homicidam*, & tertium Decennium *Mendicum*.

§. 2. Justitiæ fuit tenax & bonarum Artium amator. *Byzantium* Thraciæ oppidum, ampliavit, instauravit, ac spoliis, Romæ aliarumque urbium exornavit; Undè *Romam Novam* & *Constantinopolim* vocavit, atque sedem Imperii, Româ relicta, eò transtulit. Ann. 329. magno sanè Imperii damno.

§. 3. Primus Imperatorum Christianam fidem publicè fuit amplexus. Occasio fuit signum Crucis ☧ quod ipsi in castris contrà *Maxentium* degenti, repentè media die de cœlo apparuisse scribitur. Cum Inscriptione; *Hoc signo Victor eris.* ut habet ejus numus. Quando autem & à quo fuerit baptizatus, concors Scriptorum non est opinio. Quidam tradunt, baptisma accepisse ab *Eusebio*

Vid. Adol. Occo. in Num. Impp. Rom. p. 552.

Episc. Nicomediæ Arriano, jam lethali lecto decumbens. Alii scribunt, Romæ fuisse baptizatum cum filio *Crispo* à *Sylvestro* Episcopo. Quicquid sit, vitæ verè Christianæ, nulla in eo vestigia deprehenduntur.

§. 4. *Crispum* Filium *Cæsarem* factum, falsâ Novercæ *Faustæ* delatione accusatum interfecit; ut nova *Roma* alterius *Remi* sanguine initiaretur. Falso posteà detecto, *Faustam* fornace candenti punivit. In aliis quoque rebus crudelitatem non abhorruit.

§. 5. *Sylvestro* Papæ & Clero multa donavit; Romam tamen aut ullam Jurisdictionem nunquam concessit. Eorum arbitrio sese planè permisit.

§. 6. Contrà *Arrium* Presbyterum Alexandrinum, Divinitatem Christi & Existentiam ab æterno negantem, *Concilium* coëgit *Niceæ* in Bithynia, A. Chr. 325. in quo 318. Patres convenerunt; qui omnes (exceptis XVII.) *Arrii* impietatem damnarunt, & Ὁμουσίαν Christi Servatoris asseruerunt. In hoc Concilio Imperator, ad infimum Scamnum consedit, loco Præsidi pudendo.

§. 7. Morti proximus, magnum erravit errorem, dividendo Imperium inter filios suos; *Constantino* data sunt Regna trans Alpes, *Gallia, Hispannia* & *Britannia*. *Constanti*, *Italia, Illyricum, Græcia* & *Africa*. *Constantio* quicquid terrarum est à Freto Propontidis usque ad Orientem ultimum. *Dalmatius* Fratris

Filius

Filius obtinuit *Thraciam*, *Macedoniam* & *Achajam*. Hic autem non diu post obitum Imperatoris, in Thracia à Militibus fuit interemptus.

§. 8. Persas Imperium vastantes profligavit; Sarmatas Duce *Rausimodo* grassatos superavit. Cùm Gothis verò pactionem fecit, agros in Pannonia concessit & 40000. in suum stipendium recepit; errore prioribus haud leviore. Jornand de Reb. Goth. Cap. 21.

§. 9. *Helena* Mater Imperatoris, Crucem Sacram *Hierosolymis* inter fodiendum reperisse scribitur.

2. 3. & 4.

Fl. CONSTANTINUS II. Ann. 337. †. 340. Imp. 3.

CONSTANS. Ann. 337. †. 350. Imp. 13.

CONSTANTIUS. Ann. 337. †. 361. Imp. 24.

§. 1. *Constantinus* Francos in suis Sedibus debellavit. Cùm verò fratris *Constantis* portionem anhelans, Alpes trajecisset, in prœlio ad *Aquilejam* commisso, vitam & victoriam amisit, Regnis suis fratri relictis.

§. 2. Mox *Magnentius*, exercitui ad *Augustam Vindelicorum* Præfectus, Imperium affectans, *Constantem* in Venatu ex insidiis trucidavit, & ab exercitu Imperator fuit saluta-

tus. Ann. 350. *Nepotianum* Romæ purpuram ſumentem occidit.

§. 3. *Conſtantius* in Oriente, *Gallum* Patruelem *Cæſarem* fecit, eique ob crudelitatem dein ſecuri percuſſo Ann. 354. *Julianum* ſubſtituit. *Arrio* fuit addictiſſimus, unde Orthodoxi miserè afflicti, *Athanaſius* pulſus; Ipſe Papa *Liberius* in caſtra *Arrii* tranſiit, non una cædes commiſſa.

§. 4. *Hormisdam* Perſam novennali bello repellere non valens, pacem cum eo pepigit. Ann. 349. *Vetravionem* in Illyrico purpuram ſumentem, in deditionem accepit, Ann. 351.

§. 5. *Magnentium* ejusque Filium *Decentium Cæſarem*, magnis utrinque cladibus victum, ad ſpontaneam mortem adegit An. 352. Similem ferè ſortem expertus eſt *Sylvanus* illorum partes ſuſtinens, quippè *Coloniæ Agrippinæ* à propriis militibus ad hoc corruptis, fuit interemptus.

§. 6. Judæos Antiochiæ rebelles per *Gallum* Cæſarem caſtigavit. Quados & Sarmatas repreſſit. Ann. 358.

§. 7. Germanos *Chonodomario* Duce *Rhenum* transgreſſos, per *Julianum* Cæſarem ad *Argentuariam* (haud procul eo loco quo nunc *Colmaria* ſita) cum cæde Ducis victos, repulit. *Julianus* hoc facto inclareſcens, ab Exercitu Imperator fuit ſalutatus. *Conſtantius* à *Sapore* Perſa profligatus, dùm in Occiden-

tem adversùs *Julianum* properat, morti succubuit.

5.

Fl. CLAUDIUS JULIANUS. A. 361. †. 363. Imp. 2. Ætat. 31.

Uti Princeps erat omni Studiorum adminiculo instructus, ita erat prudens, strenuus, callidus, subtilis, temperans; sed blasphemo Apostasiæ peccato infelix. Seductoribus *Ecebolio* Apostata, *Libanio* Sophista & *Maximo* Philosopho.

§. 2. Itaque *Christianis* Templa, Scholas, Oratoria & omnia officia publica ademit, bona eripuit, tributa gravia imposuit, respondens Evangelium & Galilæum (Christum putans) ipsis paupertatem & patientiam commendare. Jus ipsis reddi prohibuit, addens: Fas illis non esse litigare. Alios Sophismatum subtilitate, præmiis, honoribus, pollicitationibus seduxit. Ipse contrà Evangelium scripsit, refutatus à *Cyrillo*.

Vid. Theod. in Hist. Trip. lib. 10. C. 42.

§. 3. *Arrianos* cæterùm & omnes hæreticos libenter toleravit. Judæis restaurandi templi permissionem dedit, sed opus inchoatum, cœlitùs fulmine & terræ motu fuit conturbatum.

☞ §. 4. Magiam adamavit, qua suadente, Persicam expeditionem suscepit, at miserè deceptus fuit; quippè à malefido exploratore in insidias pertractus, & in desertis locis vagabundus, sagittâ, incerta manu emissa, per-

cuſſus eſt; deliquium animi ſibi ſentiens, exceptum cava manu ſanguinem cœlum verſùs projecit, addens blaſphemè; *Viciſti tandem, Galilæe, viciſti*, ac ita impiam animam exhalavit.

§. 5. *Romæ* præfuit *Liberius*. Floruerunt hoc tempore *Sidonius Apollinaris* & *Gregorius Nazianzenus*, Poetæ Chriſtiani.

6.
JOVINIANUS. Ann. 363. †. 364. Imp. Menſ. 8. Ætat. 33.

Ab exercitu electus, Imperium recuſavit, quòd paganis ſubditis imperare nollet; Undè cuncti iterùm Chriſto nomina reddiderunt. Pulſis à *Juliano* exilium abrogavit.

§. 2. Bellum cum Perſis à *Juliano* inchoatum, turpi quidem at neceſſaria pace terminavit in XXX. annos. atque V. provincias, à *Galerio* quondam trans *Tigrim* occupatus *Sapori* reſtituit. Quod primum eſt exemplum.

7.
VALENTINIANUS I. Ann. 364. †. 375. Imp. 11. Ætat. 55.

Per gradus militiæ ab infima ſorte ad ſummum dignitatis faſtigium aſcendit. Fratrem *Valentem* Collegam Imperii fecit, *Gratianum* Filium *Cæſarem* legit. An. 367.

§. 2. Manu fuit fortis, magnanimus, Conſilii potens, Avaritiæ inimicus, ſed intemperans,

rans, Bigamiam ſimultaneam, ducta *Severa* & *Juſtina*, amavit, eamque lege lata liberam permiſit, Paganis aliàs fuit infenſus, & ſub *Juliano*, flamini aquas luſtrales aſpergenti, colaphum impegit.

§. 3. Bellum habuit contrà Saxones, Suevos, Burgundos & Alemannos. In Britannia Pictos & Scotos per *Theodoſium Seniorem* domuit. Dùm verò in Sarmatas & Quados moveret, nimio ſanguinis vomitu exanimatus obiit.

§. 4. Romæ *Liberio* †. 366. ſucceſſit *Felix II.* quem mox occiſum excepit *Damaſus I.* Ann. 367. contrà quem electus *Urſicinus Diaconus*, res ad armavenit, & orationum loca ſanguine fuerunt repleta. Tandem coactus *Urſicinus*, *Damaſo* ceſſit & Epiſcopatum Neapolitanum accepit. Floruere, *Baſilius* Epiſc. Cæſarienſ. & *Ambroſius* Epiſcopus Mediolanenſis.

8.
VALENS. Frater. Ann. 375. †. 378. Imp. 3.

Exercitus Italicus *Valentinianum II.* Filium defuncti elegit, *Valente* & *Gratiano* invitis, poſteà tamen approbantibus.

§. 1. Ab *Eudoxio* Epiſcop. Conſtantinopol. Anabaptizatus, ad *Arrii* hæreſin defecit, cui ad extremum vitæ halitum adhæſit. Orthodoxos crudeliter habuit; Omnes Clericos

etiam Eremitas vi ad militiam coëgit. Tandem omni religionis curâ abjectâ, promiscuè Christianis, Judæis, paganis, liberum concessit cultum.

§. 2. Anticæsares, *Firmum* in Mauritania, per *Theodosium Senior.* & *Constantinopoli Procopium* oppressit. Gothos in Thracia Arrianismo commaculavit; Cùm autem duros nimis Præfectos iis præponeret, hi ad arma convolarunt, Imperatorem fugatum & saucium, in tuguriolo, quo confugerat, concremarunt.

9. & 10.

GRATIANUS. Filius Valentiniani I. ex Severa. Ann. 378. †. 383. Imp. 5. Ætat. 28.

VALENTINIANUS II. Ejusdem Filius ex Justinâ. Ann. 378. †. 392. Imp. 14. Æt. 20.

§. 1. Princeps fuit prudentissimus *Gratianus* & maximè Christianus, Pontificalem stolam Impp. hactenùs Ethnico more usurpatam deposuit.

§. 2. *Theodosium* Senioris Filium, Ducem strenuum, Cæsarem fecit. Ipse verò ab *Andragathio* Cubiculario, impulsu *Cl. Maximi* Britanniæ Præsidis. interfectus est.

§. 3. Inde *Cl. Maximus* (Sedatis Britannis) occupata Gallia, purpuram sumpsit; & Alpibus trajectis contrà *Valentinianum* venit, qui

in

in Galliam profugit. *Theodosius* verò, *Maximum* Aquilejæ obsessum & cum urbe captum interemit. Ann. 388.

§. 4. *Valentinianus* dein *Viennæ* ad *Rhodanum*, scelere *Arbogasti* Franci, Comitis sui & *Eugenii* Grammatici, noctu in Cubiculo obtruncatus est.

§. 5. *Romæ Damasum* excepit *Syricius*, An. 386. Floruerunt, *Hilarius* Episcopus Pictaviens. *Augustinus* Manichæus primò dein ab *Ambrosio* conversus. *Hieronymus* Bethlehemi in Judæa docuit. *Epiphanius* & alii. *Symmachus* Præfect. Mediolanens. apud Imperatorem pro Ethnicismo intercessit. Sed frustrà, impediente *Ambrosio*.

II.

THEODOSIUS I. Major. Ann. 392. †. 395. Imp. 3. Ætat. 60.

Sanguinem duxit à *Trajano* Imp. cui os animumque similis fuit. Lupanaria diruit, & in adulteras severus fuit. Arcta *Augustini* Amicitia fuit usus, unde ab hoc summis laudibus evehitur. Iracundior tamen fuit, quàm par erat. De Civitat. Dei. lib. 22.

§. 2. Thessalonicos Cives, Præfectos tumultu facto necantes, spectaculi prætextu adunatos, ad 7000. contrucidari jussit. A. 390. nulla insontium distinctione. Quare excommunicatus ab *Ambrosio*, 8. Menses in Ecclesiam non venit. Tandem lachrymis

pœnitentiam teſtatus, iterùm fuit admiſſus.

§. 3. Hinc legum omnium nimiam aſperitatem mitigavit, & lege lata edixit, ne in poſterùm damnati, ante 30. diem ſupplicio afficerentur, atque conſulente *Ruffino*, iratus nihil dixit aut fecit, niſi repetita bis Alphabetha.

§. 4. Gothos cladibus fractos, bonitate magis quàm vi, ſub fœdus ſuum redegit. Cum Perſis pacem concluſit. *Eugenium* & *Arbogaſtum* rebelles caſtigavit, illo cæſo, hoc ad ſpontaneam mortem adacto. *Theodoſius* repentino vento adjutus victoriam reportavit. Ann. 394.

§. 5. Contrà *Macedonium* EpiſcopumConſtantinopol. Divinitatem Spiritus S. negantem & *Apollinarium* Epiſcopum Laodiceæ, docentem; Chriſtum in Natura humana animæ loco Verbum habuiſſe, *Concilium* habuit *Conſtantinopoli* 180. Epiſcoporum. Ann. 381. qui confirmato Concilio Niceno, illorum dogmata damnarunt.

§. 6. Mediolani morbo implicitus, Imperium inter filios diviſit. *Arcadio* Orientem tribuit addito Tutore *Ruffino*. *Honorio* Occidentem, dato Tutore *Stilicone*. *Gildonem* verò Africæ præpoſuit.

§. 7. Romæ, *Syricius*, Sacerdotibus Conjugio primus interdixit. Imaginum uſus Hiſtoricus cœpit. *Priſcillianus* novæ ſectæ Authbor decollatus eſt, refragante *Martino* Epiſcopo

ſcopo Turon. In Oriente Confeſſionis ritus fuit abrogatus à *Nectario* Patriarcha, & Statutum, ut quilibet peccata ſua DEO confiteretur. Occaſio fuit Diaconus, ſub ſpecie hujus confeſſionis, matronam in Eccleſiâ polluens.

12. & 13.

ARCADIUS. In Oriente. An. 395, †. 408. Imper. 13.

HONORIUS. In Occidente. An. 395, †. 423. Imp. 28.

§. 1. A Tutoribus nequiſſimis fuerunt circumacti miſerè. *Ruffinus* Imperio inhians. *Alaricum* Veſtro Gothorum R. ſubmiſſa clàm pecuniâ, ut Græciam invaderet, inſtigavit; Conſilio autem evulgato, capite fuit truncatus. An. 399.

§. 2. *Gildo* in Africa turbas dedit, ſed à militibus in *Capraria Inſula* deſertus & ſtrangulatus eſt.

§. 3. *Arcadius* moriens, reliquit Filium *Theodoſium* Succeſſorem, quem tutelæ *Isdegerdis* Perſiæ R. commendavit, quam hic fideliter geſſit.

§. 4. In Britannia *Gratianus* quidam & poſt hunc occiſum *Conſtantinus* miles gregarius, ſumpta purpura rebellionem moverunt. At eum compeſcuit *Honorius*.

§. 5. Longobardi hoc tempore in Pannoniam accedentes, Vandalos pepulerunt; qui *Godgi-*

Godgiſelo R. junctis ſibi Alanis, Suevis & Burgundis, Rhenum deſcendentes, in Galliam irruperunt, *Argentoratum* & *Moguntiam* diruerunt & *Treverim* ceperunt. An. 407. Burgundi tractum ad *Rhodanum* occuparunt, & à ſe *Burgundiam* vocarunt. Vandali, Suevi & Alani Aquitaniam occuparunt, indeque trajectis Pyrenæis in Hiſpaniam irruperunt.

§. 6. Franci quoque Belgii tùm habitatores, cæſo *Godgiſelo*, Galliam *Marcomiro* & poſteà *Pharamundo* Ducibus, ſubjugarunt. A. 419

§. 7. *Stilico* interim genero & Pupillo ſuo *Honorio* Imperium ablaturus, atque in Filium ſuum *Eleutherium* translaturus, maximam nequitiam exercuit. Quippè, ut turbas excitaret, Author eſt *Honorio*, ut Gothis ſtipendiariis, ſtipendia denegaret. Hujus rei injuſtitia moti Gothi, Rhadagaſto D. Italiam ſunt populati; eos tamen *Stilico*, ut nomen & favorem ſibi compararet, inter *Florentiam* & *Apenninum* aggreſſus concidit.

§. 8. Mox *Alaricus* Veſtro-Gothorum R. novo exercitu in Italiam transducto, ab *Honorio* aut pugnam aut agros popoſcit; *Stilico*, ſpecioſo ſanè Conſilio, ſuadet *Honorio*, ut Galliam *Alarico* permitteret. At poſteà, *Alaricum* in Gallias moventem, & ad *Placentiam* caſtra metatum, nocturno prælio perfidè opprimit, verùm magna clade repreſſus, novas copias ab *Honorio* poſtulat. Hic autem fraude & Conſilio detectis, illum cum filio occidi juſſit. An. 409.

§. 9.

§. 9. *Alaricus* cum Gothis furibundis, pede relato, *Romam* obsedit (*Honorius Ravennam* aufugerat) captamque diripuit. An. 410. incensurus quoque, nisi *Placidiæ* delinimentis captus, pepercisset. *Flavium Priscum Attalum* ibi imperare jussit, ipse in Campaniam exercitum deduxit, inde partim in Siciliam trajectum, Hispaniæ minatus.

§. 10. Successor ejus *Adolphus Placidiam* sibi matrimonio conjunxit; quam tamen hujus Successor *Vallius Honorio* remisit, pace renovata. Indè *Honorius* illam elocavit *Constantino* Duci, huncque consortem Imperii fecit; qui junctus *Valliæ* in Hispaniam profectus est, Vandalos & Suevos fregit, ac in ultimam Hispaniam rejecit. Itaque *Vandali* habebant Lusitaniam, *Suevi* Galatiam, *Gothi* Vasconiam; *Constantinus* reliquum; donec tandem *Gothi*, reliquis pulsis, totam occuparint.

§. 11. *Constantinus* non diù post mortuus reliquit ex *Placidia* Sorore *Honorii* Filium *Valentinianum*. Hinc *Ætius* exercitui fuit præfectus; qui Burgundos domuit & Francos aliquoties repressit.

§. 12. His temporibus gladiatoria munera fuerunt abrogata. Romæ *Syricium* excepit *Anastasius I.* An. 407. qui corporis vitio laborantes à Ministerio DEI exclusit. Ei successit *Innocentius I.* An. 410. qui infantibus Eucharistiam dedit, & Sedem Romanam

Univer-

Universalem asseruit. *Pelagius* Monachus & *Cœlestinus*, novam orsi hæresin, docuerunt; liberum arbitrium in homine potentius esse gratiâ Divina, & quod homo sua Naturâ bona operari possit. *Johannis Chrysostomi* libri Cpoli damnati, Schisma 32. annor. inter Orientalem & Occidentalem Ecclesiam caussarunt. *Thalmud* Judæorum compilatum est.

14.

THEODOSIUS II. Minor. Filius Arcadii. A.408.†.450. Imp.42.

Vid. Socrat. Histor. Ecclef. lib. 7. cap. 22.

§. 1. Sub cura Sororis *Pulcheriæ* & *Anthemii* piè fuit educatus, & tùm vulgò fuit dictum: Non solum Regiam ejus similem esse asceteriis Monachorum, sed & urbem velut in templum commutatam, visam fuisse.

§. 2. Justitiæ magnam curam egit & *Codicis Theodosiani* Author est. An. 435. *Eudoxia* Uxoris ingenio feroci, instinctu, *Pulcheriam* administratione movit, & *Johannem Chrysostomum* in exilium misit, quòd *Eudoxiam*, in homilia quadam, *Jezabellam* appellasset.

§. 3. Contrà *Nestorium* Episcopum Constantinopol. docentem, duas esse in Christo personas, humanam à Matre acceptam, & Divinam à DEO ob meritum infusam, *Concilium* 200. Episcop. egit *Ephesi*. A. Chr. 431. quo hæresis *Nestorii* fuit damnata. Ei se imprimis opposuit *Cyrillus Alexandrinus*.

§. 4. *Valentinianum*, *Constantini* Filium Occi-

Occidentis Imperatorem fecit. A.425. Hunnos Pannoniam & Thraciam inundantes, solutis 6000. libr. auri, vix à mœnibus amolitus est. An. 441.

§. 5. Romæ *Anastasium* excepit *Sozymus*, An. 412. cui successit *Bonifacius I.* An. 418. de sede certans cum *Eulalio*; ad *Honorium* Imp. inter alia hæc scripsit verba: *Ecclesiæ mihi Deus Sacerdotium, Vobis res humanas regni deputavit.* Successorem habuit *Celestinum I.* An. 423. qui Novatianis conventus ademit; Eum excepit *Sixtus III.* Ann. 433. & hunc *Leo I.* An. 440. Floruerunt, *Eutropius Epitomator*, *Cyrillus*, *Theodoretus*, alii.

15.
VALENTINIANUS III. Filius Constantini & Placidiæ. Ann. 425. †. 455. Imp. 30.

§. 1. Turbulentum & Lacerum habuit Imperium. *Castinum* Tyrannum sustulit per *Bonifacium* Africæ Præsidem. A. 426.

§. 2. Mox *Bonifacius* ipse Imperium anhelavit, & fusis *Valentiniani* copiis, pacto cum *Genserico* Vandalorum R. facto, hos ex Lusitania in Africam evocavit; qui pulso quoque *Bonifacio*, illam soli occuparunt, *Valentiniano* decepto.

§. 3. Britannia quoque Imperio fuit abscissa. Namque Britonum Rex *Vortigernus* à Pictis & Scotis pressus, post frustrà implo-

ratum

ratum *Ætii* auxilium, *Anglo-Saxones* (tum *Angriam* & *Westphaliam* incolentes) armis claros in auxilium advocavit ; qui *Hengisto* & *Horsto* Ducibus, Britonibus juncti, Scotos & Pictos acie superatos in Septentrionalem Insulæ angulum rejecerunt, qui nunc *Scotia* nuncupatur. Posteà ipsos *Britones* aggressi, primò in *Walliam* omnes rejecerunt, tandem illis planè ejectis, totam Insulam possederunt & à se *Angliam* vocarunt. *Britones* expulsi, opposita Galliæ littora & illum terræ tractum occuparunt, qui adhuc *Britanniæ minoris* nomen ab ipsis retinet.

§. 4. Dum *Ætius* cum Burgundis rem habet, Franci Rege *Clodio* & *Merovæo* Galliam planè subjugarunt, atque ita Imperio subtraxerunt.

§. 5. *Attila* Hunnorum R. paludem Meotidem trangressus Pannoniam occupavit (quæ post *Hungaria* fuit appellata) multisque regionibus devastatis, *Flagellum DEI* ipse appellari voluit. Adjunctis sibi Gepidis, Herulis, Ostrogothis &c. per Bavariam ad *Rhenum* pergens, cunctaque diruens, in Galliam irrupit. Ubi ab *Ætio, Merovæo* Franco & *Theodorico* Gotho (qui Galliam Narbonensem tenebat) fœderatis, in campis Catalaunicis, propè *Tholosam*, pertinacissimo prælio superatus, pedem retulit. Refectis in Hungaria viribus, Italiam conquassavit, *Aquilejam, Paduam, Veronam* & totum illum tractum

funditus

ruinis deformavit; *Romam* tamen precibus *Leonis* donavit, & in Hungariam rediit. Hoc tempore & hac occasione *Venetiæ* fuerunt conditæ.

§. 6. *Valentinianus* verò Sedem Imperatoriam transtulit *Ravennam*. *Ætium* propria manu trucidavit. Ipse verò fraude *Anicii Maximi* (cujus Uxorem adulteraverat) interfectus est.

16.

MARTIANUS. Thrax. An. 450. †. 457. Imp. 7.

§. 1. Humili loco natus, Imperium cum *Pulcheria* Sorore *Theodosii II.* accepit. Ille LIII. Illa L. annos nata.

§. 2. Pacem coluit, dicens: *Non esse movenda arma, si pace frui liceat.* *Nomades* & *Blemyas* gentes Æthyopicas irruentes, per *Florum* repressit. Italiam verò motibus suis permisit.

§. 3. Princeps fuit Pius & Orthodoxus, contrà *Euthychem* Archimandritam Cpolitan. nova hæresi docentem: Divinam & humanam Naturam in Christo, ceu compositum sibi esse permixtas, coëgit *Concilium Chalcedone* 600. Episcoporum. Ann. 453. in quo *Euthychiani* damnati. Monachis & Clericis Politicarum rerum cura interdicta, & bina beneficia simul possidere prohibitum

17.

LEO I. Thrax an Dacus. An. 457. †. 474. Imp. 17.

§. 1. *Leonem* Nepotem ſuum ex Filia *Ariadne* Cæſarem fecit. Primus Imperatorum, Coronam & Conſecrationem à manu Patriarchæ accepit; Unde *Simplicius* Papa ei ſuccenſuit, & hic Certamen funeſtum *de Primatu* & Titulo *Oecumenici* initium habuit.

§. 2. In Italia, *Majoranus* conſenſu *Leonis* Imperium capeſſivit. An. 457. Sed mox fuit occiſus. A. 460. Eum excepit *Severus*, mortuus A. 463. Hinc à *Leone* fuit ſuffectus *Anthemius*, qui *Genſericum* irruentem cum Vandalis in Africam rejecit. *Richimerus* Suevus Militiæ Magiſter, capta Roma *Anthemium* interfecit. A. 472. Sed tertio menſe poſt, hunc fuit ſecutus. Ei ſucceſſit *Anic. Olybrius*, cujus Imperium ſaltem V. menſes duravit. Hunc ſecutus *Glycerius* in tumultu intruſus, quem *Leo* depoſuit, ſuffecto *Julio Nepote*. An. 473. Illi Epiſcopatus *Salonæ* fuit datus.

§. 3. Romæ *Leoni I.* ſucceſſit *Hilarius I.* A. 462. qui Sacerdotibus Uxores Virgines permiſit. Viguit *Acephalorum* hæreſis ſtatuentium; Unam tantùm in Chriſto eſſe Naturam. Huic ſucceſſit *Simplicius I.* A. 467. rixatus cum *Acatio* Patriarcha Cpolitano de Primatu.

18. & 19.

18. & 19.

LEO II. An. 474. †. Infans.

ZENO. An. 474. †. 491. Imp. 17.

§. 1. *Zeno* à Filio *Leone* Collega assumptus, hoc in infantia mortuo, solus imperavit. Sed erat ferox, agrestis, ebriosus, & palàm commessari Regium putabat.

§. 2. Eo in itinere absente, *Basilius* Frater Imperator salutatus est. A. 476. quo nuntio accepto, in *Isauriam* exulatum abivit, de Regno contendere nolens. A Cpolitanis tamen fuit revocatus, & *Basilius* cum Sociis exactus.

§. 3. Ab Orthodoxia tandem deflexit; Cùmque una die nimio mero oppressus, vel acutiore morbo, exanimi similis esset, jussu *Ariadnes* Uxoris, vivus fuit tumulatus. Procop. lib. 1. Histor. Vandal.

§. 4. In Italia dominabatur *Nepos*. Hic *Orestem* Gothum Exercitus Ducem in Galliam misit; At iste, ut *Ravennam* pervenit, Filium suum *Augustulum* Imperatorem proclamavit. *Nepos*, re audita, in Dalmatiam profugit. A. 475. ibique *Odoacrum* Herulorum R. in auxilium evocavit; qui occasione arrepta, in Italiam veniens, *Orestem* ad *Ticinum* Victum & captum propria manu obtruncavit. *Momyllus Augustulus*, Patris internecione perterritus, abjecta purpura, in exilium profugit. A. 476.

§. 5. *Odoacer* captis *Roma* & *Ravenna*, to-

tam Italiam ſubegit; *Romæ* Conſules abrogavit, urbem *Odoacriam* appellari voluit, & Sede *Ravennæ* conſtitutâ, Regem Italiæ ſe dixit; ne quicquam Romani nominis ſupereſſet.

§. 6. *Theodoricus* Oſtrogothorum in Pannonia R. Socius & Amicus *Zenonis*, felicitatem *Odoacri* indignatus, petiit à *Zenone*, ut Italiam ſibi potius permitteret, expulſo *Odoacro*, tanquam beneficium poſſidendam. Annuente *Zenone* in Italiam veniens, *Odoacrum* aliquot præliis fractum *Ravennæ* per triennium obſedit, captum tandem cum urbe An. 493. ſocietatem ſimulans, mox interemit, ſibique Italiam occupavit.

Jornand de Reb. Get. cap. 57.

§. 7. Romæ *Simplicio* ſucceſſit *Felix III.* An. 483. qui *Acatium* Cpolitan. & *Petrum Moggum* Alexandrin. Epiſcopp. damnavit. *Petrus Fullo* invocationem B. Mariæ precibus tàm publicis, quàm privatis miſcuit. In Africa, ſub Vandalis Arrianis, Orthodoxi dura ſunt paſſi.

19.

ANASTASIUS I. Dicorus. Epirota. An. 491. †. 518. Imp. 27, Æt. 88.

§. 1. Munerum Venditionem Rebuspubl. exitialem ceſſare juſſit. Sed *Eutychis* hæreſi infectus, Orthodoxos duriter habuit. Legationem *Hormisdæ* Papæ peſſimè accepit, navique impoſitam ſolutili, ad terram appellere in Italiam usque prohibuit.

§. 2.

§. 2. Ad tonitrua & fulmina maximè exhorruit, unde tholotum ædificium sibi expreſsè exſtruxit; fulmine tamen periit.

§. 3. Bulgaros in Thraciam irruentes repreſſit. An. 502. *Vitalianus* Thraciæ Comes, arma arripuit, Orthodoxos contrà *Anaſtaſium* defenſurus, ſed bis victus, & claſſis ejus Cpolim premens, à *Marino* profligata, pars quoque à *Proclo* Mathematico Speculis Cauſticis exuſta eſt. An. 514.

§. 4. In Italia *Theodoricus* res turbatas iterùm reſtituit, Sede partim *Veronæ*, partim *Ravennæ* conſtituta. Bulgaros in Pannonia cecidit; Francos proſtra vit.

§. 5. Romæ *Felici* ſucceſſit *Gelaſius I.* An. 492. qui Primatum refulcivit. Manichæos *Româ* expulit; Vandalos in Africa Anathemate ferilt. Eum excepit *Anaſtaſius II.* An. 495. qui *Eutychianis* adhæſit. Succeſſit *Symmachus* Ann. 498. qui de Sede cum *Laurentio* bello ita decertavit, ut ſanguine Clericorum & Laicor. replerentur viæ. Manichæorum libros exuſſit. Ei ſucceſſit *Hormisdas I.* An. 514.

20.

JUSTINUS I. Thrax. An. 518. †. 527. Imper. 9.

§. 1. Ex Subulco Imperator factus, *Juſtinianum* ſuum ex Sorore Nepotem adoptavit & *Cæſarem* fecit.

§. 2. Arrianos Cpoli exegit; Sed à *Theo-*

derico Rege Italiæ territus, mitiorem iis se iterùm præbuit. *Vitalianum* Thraciæ Comitem turbulentum, victum & captum interemit. A. 520.

§. 3. In Italia *Theodoricus* R. asperior factus, Arrianos suos tuitus est. *Johannem* Papam in carcere necavit. *Symmachum* & *Boëtium* Viros Clarissimos, affectati Regni arguit, in exilium misit, & reduces interfecit. An. 526. Quæ res propriam suam mortem acceleravit; territus enim capite piscis in mensa appositi, quasi *Symmachi* esset, phræneticus è vivis excessit. Suis moriens injunxit, ut Imperatorem Cpolitanum semper reverenter haberent. Ei successit *Athalaricus* Nepos ex Filia *Amalasuintha*.

§. 4. Romæ *Hormisdæ* successit *Johannes I.* An. 521, sub quo *Childericus* Vandalor. R. ad Orthodoxiam conversus fuit. Successit *Felix IV.* Ann. 526.

21.

JUSTINIANUS I. An. 527. †. 565. Imp. 38.

§. 1. Imperium restauravit, tàm legibus armavit, quàm armis decoravit. Diffusos quippè Jurisprudentiæ libros, in unum mediocre opus congessit, *Institutis*, *Pandectis* & *Codice* absolutum. Tria quoque instituit Gymnasia, *Romæ*, *Cpoli*, & *Beryti*. (pr. Procem. Instit.)

§. 2. Hoc solo fuit ingratus & crudelis, quòd

quòd *Belisarium* fortissimum Ducem, delatorum falsis accusationibus levis credens, excœcaverit innocentem.

§. 3. *Cabadem* & *Cosroëm* Persas vicit. Bulgaros repressit. Vandalos per *Belisarium* domuit, capto eorum Rege *Gilimero*, atque Africam iterùm Imperio adjecit. An. 533.

§ 4. In Italia *Athalarico* †. 530. successit *Amalasuintha* Mater (*Justiniani* quasi curæ commissa) hæc Regni participem reddidit *Theodahatum*, Patris sui *Theodorici* ex Sorore Nepotem. Sed iste ingratus, illam in lacum Volsunensem relegatam, mox in balneo necari curavit. An. 533. Itaque Justinianus, ansam hanc apprehendens, Siciliam per *Belisarium* occupavit. *Theodahatus*, rebus suis diffidens, pace facta, Siciliæ renuntiavit, auream quotannis coronam 300. libb. promisit, omnemque subjectionem spospondit.

§. 5. Gothi propterea irati, obtruncato *Theodato*, *Vitigem* substituunt invito *Justiniano*, qui *Belisarium* frustrà *Romæ* obsedit, & iterùm obsessus ab isto *Ravennæ*, captus & *Cpolim* abductus fuit. Italia verò maximam partem subjugata. Hinc Regem crearunt Gothi *Hildwaldum* cui mox interfecto successit *Eutharius*, quem antè annum interemptum excepit *Badwila* (comuniter dictus *Totila*. Extat tamen ejus Numisma, cum inscriptione; DN. THILO REX) qui Gothorum res restauravit, totamque Italiam recuperavit. An. Puteau. Histor. Insubr.

 543.

543. Romamque ſpectante *Beliſario* cepit, diripuit atque diruit.

§. 6. Miſſus dein in Italiam *Narſetes* Eunuchus, *Totilam* ad *Brixellum* acie victum interemit. An. 552. Gothi *Ticinum* fugientes, *Tejam* Regem crearunt, ſed & hoc ad *Nuceriam* à *Narſete* cum exercitu cæſo, Gothorum & nomen & Regnum in Italia deſiit, hæcque Imperio fuit reunita.

§. 7. Hoc tempore *Æra Chriſti* initium ſumpſit, Authore *Dionyſio* Abbate. An. 532. Sunt, qui *Juſtiniano* uſum primum *Globi Cruc*igeri attribuunt, ſed errant, nam jam ante ipſum ætate *Theodoſii* fuit in uſu ut patet ex Numis.

Adol. Occo. in Theſ. Numiſ. p. 568.

§. 8. Tres Fratres & Scytharum Duces, *Lechus*, *Zechus* & *Ruſſus*, in Sarmatiam irrumpentes, Regna *Poloniæ*, *Bohemiæ* & *Ruſſiæ* fundarunt.

§. 9. Romæ *Felix IV.* Extremam Unctionem ægrotorum ordinavit. Ei ſucceſſit *Bonifacius II.* A. 530. ſub quo *Benedictus Urſinus* Romanus Ordinem Monachorum inſtituit, qui ab ipſo *Benedictini* vocantur. Succeſſit *Johannes II.* An. 531. & huic *Agapetus* Ann. 535. quem excepit *Silverius* Ann. 536. à *Theodora* Auguſta pulſus, locum dedit *Vigilio* Ann. 537. Synodus V. Oecumenica Cpoli celebrata eſt, de tribus Capitulis i. e. tribus Neſtorianis. A. 553. Succeſſit *Pelagius I.* Ann. 555. & huic *Johannes III.* Ann. 560.

Sub

Sub quo *Armenii* fuerunt ad fidem conversi.

22.

JUSTINUS II. An. 565. †. 579. Imp. 14.

§. 1. Fuit *Justiniani* ex Sorore *Vigilantia* Nepos. Princeps vecors, melior auri custos, quàm Imperii, meliorque monitor, quàm Imperator; mulieribus magis, quàm bello aut retinendis à Justiniano partis addictus; ita ut tandem demens factus fuerit. *Sophia* Augusta cuncta muliebri impotentia rexit.

§. 2. Narsetem contumeliosè revocavit domum, scribens: *Rediret, ad tractandum cum puellis colum & fusum.* Hic irritatus illi rescripsit: *Talem se telam exorsurum, quam nec ipsa dùm viveret, neque maritus ejus retexere possent.* Nihilque cunctatus, *Alboinum* Longobardorum R. in Italiam delitiosam è Pannonia paupertina vocavit; qui adproperans, pauco tempore, totam Galliam Cis-Alpinam & Thusciam, *Roma, Ravenna* & quibusdam ad mare castellis exceptis, occupavit. Ann. 568.

§. 3. Sedem fixit *Veronæ*, ubi Convivium celebrans, Uxorique *Rosimundæ* ex cranio Patris *Cunimundi* Gepidarum R. à se victi propinans, hujus insidiis, à *Helmchildo* Nobile Longobardo Reginæ adultero, interfectus fuit. Ei successit *Clephes*, qui Regiam *Ticini* instituit.

§. 4. *Longinus*, qui *Narseti* Successor missus fuerat, *Ravennæ* sedit titulo *Exarchi* (undè tractus ille *Exarchatus Ravennensis* fuit appellatus) *Romæ* Consules abrogavit, creatis Ducibus; *Ravennam* aliaque loca opportuna præsidiis firmavit; atque ita ulteriori Longobardorum progressui moram injecit.

§. 5. Romæ *Johanni III.* successit *Benedictus I.* An. 573. & huic *Pelagius II.* An. 577. qui recordationem animarum demortuarum, primus in *Missa* celebrari jussisse dicitur. Scoti à *Columbano* ad fidem fuerunt conversi.

23. TIBERIUS CONSTANTINUS. An. 579. †. 583. Imp. 4.

§. 1. Princeps erat omnibus Virtutibus exornatissimus, Justus, Pius, Lenis, Prudens & Felix; Pauperibus liberalissimus, reprehensus propterea respondit; *Non defuturum Fisco pecuniam, quoad ipse in Cœlo Thesauros colligeret, egenorum fovendo defectus.* Hæc spes sanè pium non fefellit; Namque in aula Palatii sui exspatianti, sese obtulit Saxum humi defossum jacens, crucis signo insignitum; quod sublatum religionis motu, locupletissimum Thesaurum prodidit. *Narsetis* quoque divitias fuit consecutus.

§. 2. *Sophiæ* insidiatrici omnem potestatem abrogavit, solumque quotidianum victum reliquit.

§. 3.

§. 3. *Cosroëm* Persam per *Justinianum* profligavit, & *Ignem* Persarum DEUM cepit. Ann. 579. *Hormisdam* Filium per *Mauritium* prostravit. Ann. 581. Cujus consilio multa mancipiorum 1000. ab Hunnis aliisque gentibus coempta armavit, & instructa adversùs Persas felici eventu misit.

§. 4. In Italia *Clephes* multa loca expugnavit, sed ob crudelitatem fuit occisus. Hinc Longobardi Regum pertæsi, XXX. Duces constituerunt. Ex quibus *Arechis* Beneventanus D. *Romam* vana obsidione cinxit. Hoc tempore Latina lingua in Italia periit.

§. 5. Romæ *Pelagius II.* de Titulo Oecumenici cum *Johanne* Patriarcha Cpolitano litigavit.

34.

MAURITIUS, Cappadox. Gener, Tiberii, An. 583. †. 602. Imp. 19.

§. 1. Fuit Princeps Prudens, Strenuus, Gravis & Patiens, sed paululùm Avarus, Edicto cavisse scribitur: ***Ne quis in militum numeros relatus, DEO serviret & Christo militaret, ante impletum stipendiorum numerum, nisi vel vulnere vel morbo debilitatus.***

§. 2. *Johannes* Patriarcha habita Synodo, *Oecumenici Episcopi* titulum sibi attribuit. Cui se opposuit *Gregorius I.* Episc. Roman. hunc titulum Ethnicum vocans. Sed *Mauritius* ei impe-

imperavit, ut desisteret Patriarcham suum propterea molestiâ afficere. Ei regessit Gregorius: *Nec ipsum Petrum Principem Apostolorum, clavium potestatem peculiariter habentem, hoc titulo usum, & Coëpiscopum Johannem eo gloriari.* Utque vanitatem fastuosi Johannis magis rideret, se *Servum Servorum* primus appellavit.

§. 3. Infensus exinde *Gregorio* & Romanis *Mauritius*, Longobardorum furiis eos permisit. Exercitui nec Stipendium solvit nec vestibus providit, nec commeatum distribuit. Eorum XIIM. à *Cagano* Avarorum R. captos redimere abnuit. *Phocæ* Centurioni & Commeatus procuratori, pro militibus secum de injuria expostulanti, colaphos infligi & barbam evelli jussit. Unde exercitus, tumultu facto, *Phocam* Imperatorem salutavit, qui *Mauritium* vestibus mutatis fugientem, ex fuga retractum, *Chalcedone* cum V. Filiis capite truncavit. Exclamantem: *Justus es Domine & rectum Judicium tuum.* Scribitur, de hac morte *Mauritium* in somnio fuisse præmonitum.

§. 4. *Ravennæ Smaragdus* & post eum *Balduinus* rapinis & avaritiæ incubuerunt. Longobardi inter se divisi, arma sua non protulerunt. Itaque iterùm Regem crearunt *Autharim* eumque ob dignitatem *Flavium* appellarunt; Hic *Docrulam* Ducem ad Exarchum transfugam *Brixelli* obsedit, *Sigebertum*

tum Francorum R. (à *Mauritio* conductum) prælio fusum repulit. An. 590. Ab una parte Histriam occupavit, ab altera usque ad fretum Siculum effuse fuit populatus. Ei veneno sublato successit *Agilulphus* qui *Romam* diu sed frustra obsedit. An. 595. *Crotonem* vi expugnavit, 596. *Patavium* captum exussit, Ann. 600.

§. 5. Romæ *Pelagio II.* successit *Gregorius I.* An. 588. sub quo *Ethelredus* Angliæ R. cum gente sua baptizatus est. An. 596. Ordinavit litanias majores. In diebus jejunii carnis, lactis, casei & ovorum esum prohibuit, & *indulgentiarum* primus perhibetur Author. Eum excepit *Sabinianus I.* qui dicitur campanarum in Ecclesiis usum instituisse & libros *Gregorii I.* exussisse.

25.

PHOCAS. A. 602. †. 610. Imp. 8.

§. 1. *Bonifacio III.* Episcop. Rom. cædem *Mauritii* probanti, titulum *Oecumenici* tandem concessit. Ann. 606. *Constantinam* Mauritii uxorem cum 3. filiabus obtruncavit.

§. 2. Cæterùm fuit iners, vecors, crudelis, subditis tributo gravis; totam aulam in Persicum morem reformavit. Unde *Priscus* ejus gener, *Gregora* & *Heracleon* Africæ Præf. in eum conjurarunt. Hujus Filius *Heraclius* Cpolim obsedit, & captum cum urbe *Phocam* vita privavit.

§. 3.

§. 3. *Cosroës* fugato *Phoca*, Phœniciam, Armeniam, Moësiam occupavit. Ann. 602. Pax à *Cagano* Avarum R. ingenti tributo redempta. A. 609.

§. 4. In Italia *Agilulphus Mantuam* & alia complura loca occupavit, & persuasu *Theudelindæ* Uxoris Christianismum amplexus est. *Caganus II.* Avarum R. *Forum Julii Rombildæ Gisolphi* Ducis, viduæ proditione captum, pulsis Longobardis effusè fuit populatus.

§. 5. Romæ *Sabiniano* successit *Bonifacius III.* huicque *Bonifacius IV.* A. 608. qui *Pantheon* à *Phoca* obtentum, B. Virgini & omnibus Sanctis consecravit, & *Omnium Sanctorum* festum instituit.

26.

HERACLIUS A. 610. †. 641. Imp. 31.

§. 1. Suis claruit Virtutibus & Vitiis. Præmonitus ut sibi à Verpis caveret, Judæos intelligens, omnes, baptisma recusantes occidi jussit. Sed prædictio *Mahumethem* respiciebat, qui hac ætate in Arabia surrexit. Tandem ad Monothelitarum Sectam defecit. Italiam planè neglexit.

§. 2. *Cosroëm* Persam, postulantem, ut Deo Crucifixo abnegato, Solem adoraret, cum exercitu concidit, atque amissas provincias recuperavit. A. C. 629. ubi notandum; quod aurum templorum, ad hanc expeditionem adhibuerit atque Saracenos conduxerit. Cùm autem

autem posteà illis non solùm stipendia denegaret sed etiam *Canum* convitio efferaret, hi sub *Calipho Omar* seu *Othomar* Syriam Ciliciam (hodiè *Caramanniam*)& Ægyptum occuparunt; capta quoque *Hierosolyma*. A. C. 634. & seqq. Persiam quoque victo & occiso *Hormisda* armis acquisiverunt.

§. 3. Italia omnium rapinis erat exposita; & *Exarchi* Imperatorem vilipendentes, opum quærendarum solo studio immersi, omne fas nefasque miscebant. Undè Ravennates *Johannem* Exarchum interfecerunt; cui suffectus *Eleutherius*, *Johannem* Prætorem Neapolitanum (qui purpuram sibi sumpserat) victum occidit. Mox ipse, initis cum Longobardis X. annor. induciis, Imperatorium nomen assumpsit, sed à suis militibus capite truncatus fuit. Ejus Successor *Isaacius* aurum & argentum in Ecclesia Lateranensi (dùm *Severinum* Pontificem confirmaturus Romam pervenisset) reconditum, frustrà obnitente *Severino* ablatum, in usum belli convertit.

§. 4. *Rotharis* Longobardus, *Arialdi* Successor, Thusciam & Liguriam occupavit, *Massiliam* expugnavit & *Isaacium* profligavit. An. Chr. 637. 638. Consuetudines Longobardorum in unum volumen congessit, quod *Edictum* vocari voluit; Tandem ad *Arrii* castra defecit.

§. 5. Romæ *Bonifacio IV*, successit *Theodatus*.

tus. A. C. 618. qui prohibitionem nuptiarum inter Consanguineos Spirituales posuit. Ei successit *Bonifacius V.* A. C. 621. qui Ecclesiarum *Asyla* stabilivit; Hunc excepit *Honorius I.* A. C. 625. Huncque *Severinus*. A. C. 635. atque istum *Johannes IV.* A. C. 636.

§. 6. Floruit his temporibus, *Isidorus Hispalensis*. In Helvetia *S. Gallus* fidem prædicavit atque Cœnobium condidit. A. C. 617. In Hispania *Sisebuthus* R. Judæis imperavit ut baptisma susciperent qui tamen rigor à Synodo Toletana IV. fuit mitigatus, & Clericis Conjugium permissum. *Monothelitarum* hæresis procusa. A. C. 615. *Machometes* impiam suam & absurdam doctrinam procudit circà A. C. 630. adjutus ea in re à *Johanne* & *Sergio* Monachis, Arrianis.

27.

CONSTANTINUS III. Filius. A. C. 641. †. Eod. Imp. Mens. 4.

Hunc *Martinia* Noverca, ut *Heracleonem* Filium, matrimonio natum incestuoso, imponeret throno, participe sceleris *Pyrrho* Patriarchâ, veneno sustulit.

28.

HERACLEON, Filius Heraclii & Martiniæ. An. Chr. 641. †. 642. Imp. Mens. 7.

Matris arbitrio impubes fuit creatus, quæ cùm superbiùs atque impotentiùs sese gere-

ret,

ret, patefacto ſimul parricidio, ſimùl cum Filio *Heracleone* throno in tumultu fuit deturbata, eique lingua exſecta, *Heracleoni* naſus abſciſſus, & ambo in exilium fuerunt miſſi, ejurato Imperio. *Pyrrhus* verò Patriarcha, ex fuga in urbem retractus & ibi occiſus fuit.

§. 2. Saraceni ſub *Mehua* Sultano Ægypti, *Cæſaream Palæſtinæ* poſt VII. añor. obſidium, captam deſtruxerunt. An. C. 642. Occupata quoque *Rhodo Inſula*, æs omne à famoſo illo Coloſſo (qui ætate *Ptolomæi III. Evergetis* Ægypti R. conciderat) reliquum, 90. Camelorum ſarcinam (*Æneas Sylvius* ſcribit 900.) abſtulerunt & *Alexandriam* aſportarunt.

29.

CONSTANS II. Filius Conſtantini III. An. C. 642. †. 668. Imp. 26.

§. 1. A Senatu electus, admodùm malè imperavit; præter alios præclaros viros, fratrem *Theodoſium* interfecit, cujus umbra eum in ſomno ſæpiùs exterrefecit, calicem ſanguine plenum manibus tenens. Perſuaſu *Pauli* Patriarchæ, Monothelitis adhæſit & *Martinum I.* in Synodo Romæ habita, *Paulum* ejusque adhærentes damnantem, cepit & in *Cherſoneſum Ponti* relegavit, ubi in maxima rerum omnium inopiâ diem clauſit, A C. 649.

§. 2. Indè ingenti exercitu in Italiam tranſiit, non ut Imperator, ſed ut hoſtis; disjectis

in itinere multis oppidis; *Romam* profectus, ibi *Vitaliani* Papæ & omnis Cleri processionem habuit obviam; summoque honore in urbem inductus, omnia per speciem devotionis visitavit templa; mox effusis in omnia mandatariis, omne argentum, aurum & ornamenta pretiosa abstulit; Panthei tegulæ sublatæ; urbs omnibus ex ære ornatibus & columnis nudata; quæ spolia omnia navibus illata, in Siciliam transvexit; Sed ibi, omnibus invisus, dum *Syracusis* in balneo sederet, facta conjuratione, ab *Andræa Troilo* situla fortiter in caput impacta, obtruncatus est.

§. 3. *Mebua* Saracenus *Cyprum* subjugavit. A. C. 649. *Constantem* classe superatum fugavit. A. 654.

§. 4. In Italia *Olympius* & *Theodorus* Exarchatum successive tenuerunt, quorum iste *Martinum I.* cepit. *Rothari* successit apud Longobardos Filius *Rodoaldus*, huic verò *Aripertus* quem excepit *Grimoaldus*, qui *Pertheritem* & *Cunibertum Ariperti* Filios pepulit; *Chlodovæum* Francor. R. hos adjuvantem proëlio fugavit; *Constantem* Imp. ad *Beneventum* prostravit. Hinc *Lupus* Fori Julii Dux, Regnum affectans, *Avares* pecunia emptos ipsi immisit, quos prima acie superavit, dein verò victus & occisus est. *Arnefites* ejus Filius in Dalmatiam profugus, collecta ibi Dalmatarum multitudine, in Paternum Ducatum

catum rediturus, ad Natisen amnem à Victore Comite Vicentino victus occubuit.

§. 5. In Ecclesia Imperator Dispp. *Monothelitarum* sustulit, edito typo; quem rejecit *Theodorus I.* P. R. successor *Johannis IV.* An. C. 648. Eum excepit *Martinus I.* An. C. 648. atque hunc *Eugenius I.* An. C. 653. qui Episcopis jus carceris habendi dedit. Ei successit *Vitalianus I.* An. Chr. 658. qui Organa Musica in templa introduxit. Cæterùm superstitiones hoc tempore maximè crescere cœperunt & Templa Ethnicorum more ornari.

30.

CONSTANTINUS IV. Pogonatus, Filius Constantis II. A. C. 668. †. 685. Imp. 17.

§. 1. Benè se gessit. Ab initio quidem Patris exemplo exterritus, cuncta extimuit; *Heraclio* & *Tiberio* fratribus nasos abscidit, ne Collegas facere cogeretur; prout Populus postulabat.

§. 2. Instinctu *Agathonis* Episcopi Rom. Concilium Cpoli egit, in quo *Monothelitæ* damnati & Sacerdotibus matrimonium asseratum. A. C. 680. hoc fuit VI. Oecumenicum & Cpolitanum III. Vid. Sigebert. Gembl. ad A. 680.

§. 3. Porrò *Benedicto II.* permisit, ut prò ordinatione Papæ, nihil ampliùs solveretur Imperatori à Clero; ita tamen, ut ante Consecrationem, Imperatoris *Decretum* impetraretur

retur. *Platina* ſcribit; Eum remiſiſſe confirmationem; ſed fide dubia.

§. 4. *Miſeſſum* ſeu *Mizizium* Armenum, Anticæſarem à Legionibus Siculis creatum, prœlio Navali victum interemit. An. 669.

§. 5. Sarraceni, poſt cædem *Conſtantis*, *Abdalla* Calipha claſſe advecti in Siciliam irruperunt effusè populati; *Syracuſas* expugnarunt, ibique ſpolia Romana à *Conſtante* ablata occuparunt atque *Alexandriam* transtulerunt. A. C 671. Undè proverbio dicebatur: *Malè quæſita, malè perdita.* Hinc ipſam Cpolim obſederunt. A. 672. in quo obſidio, egregia fuit opera *Callinici* Mathematici, qui Græco igne naves Sarracenorum exuſſit. Tandem hoc bellum, pace 30. annor. fuit terminatum, hac lege, ut Sarraceni tributum annuum 3000. libr. auri, 50. mancipia Chriſtiana & 50. equos præſtarent. An. 678.

§. 6. Bulgaris Scythiâ egreſſis, gravi prœlio victus, tractum illum conceſſit qui hodiè (nomine ab ipſis accepto) *Bulgaria* vocatur. Ann. 679.

§. 7. In Italia *Grimoaldo* mortuo An. 672. ſucceſſit *Pertheris*, è Britannia (quo Exul confugerat) redux. *Alachis* Dux Tridentinus, victis Bavaris elatus, Regnum affectavit, *Pertheritem* bello laceſſens; Sed acie ſuperatus & *Tridenti* obſeſſus fuit; Urbs quidem capta, ſed *Alache* jam nocturno favore elapſo, Mox tamen ſupplex non ſolùm gratiam obtinuit,

ſed

ſed etiam *Ducatum Brixienſem* accepit. A.682.

§. 7. Romæ *Vitaliano* ſucceſſit, *Theodatus II.* Ann. 669. & huic *Donus I.* A. 673. huicque *Agatho.* An. 678. qui infallibilitatem primus affectavit. Illum excepit *Leo II.* A. 680. qui *Pallium* gratis dare voluit, ad multa mala tollenda. Succeſſit ei *Benedictus* II. A. 681.

31.

JUSTINIANUS II. Rhinotmetus, Filius Conſtantini IV. A.C. 685. Exul. 694. Imp. 9. reſtitutus An. 703. †. 711. Imp. 9.

§. 1. Princeps fuit præcipitis ingenii minusque circumſpectus; quod probat expulſio *Mardaitarum*, libano & reliquis montibus in illo terræ tractu inſidentium; verum contra Sarracenos propugnaculum; quod, cùm poſſeſſorum novorum vi, firmare indies, adversùs Barbarorum incurſiones, debuiſſet; expulſis leviter veteribus, planè denudavit.

§. 2. Bis fœdifragus & victus; proin Populi odium incurrit; quod auxit nimiùm indulgendo *Stephani* Præfecti Urbi licentiæ & criminibus.

§. 3. Synodum habuit Cpoli. A. 692. quæ Clericorum conjugia approbavit; cui Decreto cùm ſe opponeret *Sergius I.* Epiſcop. Roman. Imperator *Zachariam* Protoſpata-

rium suum *Romam* ablegavit, ut *Sergium* captum Cpolim adduceret; quam rem autem, impediente *Johanne Platina* Exarcho exequi non valuit.

§. 4. Ædem dein Sacram juxtà Palatium extructam demolitus, alio ædificio Areæ imposito, Palatioque adjuncto; *Callinicum* Patriarcham infestum habuit; qui, vocato in Urbem *Leontio*, (quem *Justinianus* anteà triennali carcere constrinxerat) & liberatis omnibus captivis, Imperatorem naribus truncatum, in *Chersonesum Tauricam*, exulatum misit. A. 694.

§. 6. In rebus bellicis, Sarracenos Calipho *Abimelecho* Lybiæ & Africæ nec non Hispaniæ maritimæ infesta inferentes arma, devicit, & ad tributum annuum adegit. A. C. 686.

§. 7. Bulgaros contrà fidem & religionem datam adortus, totum exercitum amisit, & vix cum paucis Cpolim incolumis dilapsus est; hinc pacem redimere & Sacramento firmare fuit coactus. A. C. 687.

§. 8. Sarracenis quoque, conductis è Slavorum gente 30000. armatis, nova arma, contra pacta, intulit. Illi in principio pugnæ inferiores, mox invocato DEO perjuriorum vindice & tabulis Pacis ex hastili pendentibus in Æthera latis, secedente quoque è prœlio Slavorum Duce, *Justinianum* horrenda clade affecerunt. A. 691.

§. 9. *Leontius* exulante *Justiniano* Sceptrum arri-

arripuit, & cum Sarracenis bellum continuavit. Mox verò exercitus tumultu facto, *Tiberium* Patricium Cpolitanum prædivitem, Imperatorem in Castris salutavit, qui captum cum Urbe *Leontium* & naribus truncatum, throno pepulit. An. 698.

§. 10. *Tiberius* itaque Imperio potitus *Theophilatium* in Italiam misit Exarchum, infestis & resistentibus Romanis. *Philippicum* Patricium in Exilium egit, quòd ei in somnis Aquila caput obtegere visa fuerit.

§. 11. *Justinianus*, cernens *Chersonesi* incolas in *Tiberium* esse pronos, indeque metuens, ad *Caganum* Avarum R. clam profugit, ibique ejus Filiam Uxorem duxit, inito de recuperando Imperio fœdere. Sed *Cagano* aureis *Tiberii* ad necem generi corrupto, hic ab Uxore monitus, ad *Trebellium* Bulgarum confugit; cujus fideli opera, contracto justo exercitu, Cpolim expugnavit, *Leontium* & *Tiberium* catenis gravatos, per vicos Urbis, ludibrii causa, circumduci jussit; dein solio insidens pedibus conculcavit, acclamante Populo ex Psalmo; *Super Aspidem & Basiliscum ambulabis.* (Tanta mobilis plebis est inconstantia & ad res novas semper prona levitas) Tandem cum aliis decollavit; *Callinicum* Patriarcham excoecavit, suffecto *Cyro* Abbate (cujus liberalitate in Exilio vixit) plurimos in Carceres conjecit, & quoties truncas emungeret nares, unum ex illis interfici crudelis jussit.

§. 12. *Trebellium* Bulgarorum R. sumpta de Finibus lite, bello summa ingratitudine adortus, immensam cladem accepit. A. 707. In Papam, sibi metuens, fuit propensior quàm olim. *Tiberium* Filium *Cæsarem* fecit.

§. 13. Incolas *Chersonesi* puberes omnes, immisso cum copiis *Mauritio* & *Helia*, miserè interfecit; horum partes defendens *Philippicus* supradictus, qui, *Justinianum* cum Filio *Tiberio* classe victum, capta Cpoli, interfecit utrumque. Itaque *Heraclii* stemma fuit extinctum.

§. 14. In Italia *Pertheriti* successit *Cunipertus*. A. 689. qui Successorem habuit *Luitpertum*. An. 701. quo summoto *Ragumbertus* Taurinorum Dux Regnum occupavit, quem excepit Filius *Aripertus*. Ann. 702. qui *Alpes Cottias* donasse *Johanni VI.* Papæ traditur; sed hæc Donatio in Jure Canonico *inter Paleam* refertur, & ipsi *Platinæ* est dubia.

§. 15. Romæ *Benedicto II.* successit *Johannes V.* qui ordinavit, ut Papæ electi consecrarentur à tribus Episcopis, Ostiensi, Portuensi & Veliterno; composuit quoque libellum *de Dignitate Pallii*. Eum excepit *Conon I.* & hunc *Sergius I.* quem secutus est *Johannes VI.* cui successit *Johannes VII.* huic *Sesymus*, quem mox excepit *Constantinus I.* A. 708. cui primo *Justinianus* Imp. in Orientem invitato & magnificè excepto, pedes est osculatus. *Sigonius* tamen Author est, *Sergium II.* hunc morem introduxisse demùm An. 847.

32.

PHILIPPICUS Bardanes. A. Chr. 711. †. 713. Imp. 2.

§. 1. *Cyro* Patriarcha in exilium misso substituit *Johannem* Monachum Monothelitam, à quo quoque hæresin hausit;

§. 2. Imagines Sanctorum in templis habere prohibuit; abrasis quæ in parietibus *S. Sophiæ* depictæ erant. Unde excommunicatus à *Constantino* Papa, mox adversarium habuit *Anastasium*, à quo captus, atque oculis & Regno privatus fuit.

§. 3. In Italia inter *Aripertum* & *Asprandum* de Regno certatum; Ille acie victus & fugiens in *Ticino* amne, auri pondere submersus est, A. 712. Eum post trimestre spatium secutus *Ansprandus*, successorem habuit *Luitprandum*.

§. 4. Saxones hoc tempore converti cœperunt, & Sarraceni Africam subjugarunt.

33.

ANASTASIUS II. Arthemius. Protonotarius Philippici. An. Chr. 713. summotus A. 714. Imp. 1. Occisus. Ann. 719.

§. 1. Hic Imagines in templa reposuit; cum Papa amicitiam coluit, ejusque *Decreta* confirmavit.

§. 2. Milites autem mox sibi infensos sensit; qui, occiso *Rhodi* Navarcha *Johanne Dia-*

cono, *Theodosium* Quæstorem Imperatorem fecerunt; à quo Urbs capta & direpta, ac *Anastasius* tonsus & in Monasterium Thessalonicæ detrusus est. Indè postmodum elapsus ad Bulgaros confugit, à quibus *Leoni Isauro* traditus & hujus jussu capite truncatus fuit, A. 719.

§. 3. Sarraceni à Comite *Juliano* inducti (cujus Uxorem *Rodericus* Rex Hispaniæ violarat) Hispaniam occuparunt, Gothis in *Asturiæ* montes rejectis. An. 714.

§. 4. Romæ *Constantino I.* successit *Gregorius II.* An. 713.

34.

THEODOSIUS III. Ann. 714. cessit 716. Imp. 2.

Papæ amicus, imagines defendit; mox verò *Leoni Isauro* cedere coactus, Cœnobium *Ephesi* cum Filio ingressus est.

35.

LEO III. Isaurus. Sutore aut Sartore Natus. Orienti Præfectus, Ann. 716. †. 741. Imper. 25.

§. 1. Princeps fuit prudens, Pius, Felix ac Magnanimus. Sub eo *Iconomachia* maximè ferbuit; Cùm lato Edicto omnes Imagines templis amovisset. A. 725.

§. 2. Huic se opposuit *Gregorius II.* Papa, actaque Synodo lateranensi, *Leonem* Imper. excommunicavit, & subditos à subjectionis nexu liberavit, A. 726.

§. 3.

§. 3. Tota Italia indè fuit commota; pars Imperatori, pars & quidem maxima Papæ paruit. Ravennates *Paulum* Exarchum cum Filio obtruncarunt, & *Eutychium Pauli* Successorem rejecerunt.

§. 4. *Leo* Imp. privatus à Papa Romæ & Italiæ reditibus, hunc proventibus Siciliæ & Calabriæ privavit. *Germanum* Patriarcham Idololatram exilio punivit, suffecto *Anastasio*.

§. 5. *Gregorius III.* Papa fulmen denuò evibrans, Imperatorem Imperio indignum & privandum judicavit. A. 732. (novus sanè, sed ad stabiliendam Papalem Dominationem in Temporalibus perutilis ausus) atque inito cum Franciæ R. fœdere, Italiam Orienti subtrahere cœpit.

§. 6. *Solymanus* Sarracenus ingenti classe Cpolim ab A. 718. usque ad 720. sed frustrà obsederat. Liberatus tam diro hoste *Leo*, pejorem in Italia castigaturus, classem eò ablegavit; Sed illa in mari *Adriatico* gravi tempestate fuit disjecta. A. 735.

§. 7. In Regno Longobardorum *Luitprandus*, *Ravennam*, post longam obsidionem expugnans, omnia ornamenta indè *Papiam* transtulit. A. 727. Astu tamen & auxilio *Venetorum* eam iterùm amisit. Indè dissidium Papæ cum Imperatore occasionem rei suæ satagendæ ratus, *Romam* obsidio cinxit, quod tamen precibus *Caroli Martelli* Majoris Domûs *Childerici III.* Francorum R. (cujus opem

opem Papa imploravit) iterùm solvit; conclusis ad decennium induciis. Hinc *Thrasimundum* Spoleti Ducem terris suis ejecit.

§. 8. In Hispania *Pelagius*, secundam Gothorum Dynastiam in *Asturiæ* montibus incepit. A. 717.

§. 9. In Hungaria, altera Dynastia *Hunnorum* sub VII. Ducibus cœpit. A. 744.

§. 10. Romæ *Gregorio II.* succellit *Gregorius III.* Ann. 731. Hoc tempore *Bonifacius* Monachus Germanis Christum prædicavit. *Inas* West-Saxonum in Anglia Rex, Regnum suum Papæ fecit Vectigale, imposito singulæ domui aureo Numo, qui dictus fuit, *Denarius S. Petri* An. 726. Floruit *Johannes Damascenus* Damasci, strenuus propugnator Imaginum, & *Beda* Historicus, qui Historiam suam dedicavit *Ceolvulfo* Northumbriæ Regi Ann. 731.

36.

CONSTANTINUS V. Copronymus, Filius. An. 741. †. 775. Imp. 34.

§. 1. Multa mala ipsi attribuuntur, Magia, Sortilegium, Libido, Crudelitas & omnis generis impietas, an ullo fundamento? non unus dubitat.

§. 2. Pontificum Rom. odium & fulmen incurrit, quòd Synodo Cpoli acta, *Monothelitas* & Imaginum usum damnasset, ea ratione;

ne; Chriſtum juxtà Divinam Naturam non poſſe pingi; Humanam autem ejus, cùm ſit exaltata, prout & Sanctorum, nullis quoque coloribus exprimi. An. 754.

§. 3. *Conſtantinum* Patriarcham cum multis aliis Iconolatris interemit, ſuffecto *Niceta* Eunucho, & Monachis Conjugium imperavit. A. 765.

§. 4. Bello fuit implicitus cum Sarracenis, quos profligavit & in Armeniam usque propulſavit. An. 746. *Artabasdam* Affinem Anticæſarem ab Iconolatris excitatum, victum excœcavit, & in reliquos rebelles ſeverè animadvertit.

§. 5. Apud Longobardos *Luitprando* ſucceſſit *Rachiſius*. A. 744. qui pacem cum Papa *Zacharia* renovavit & poſt quadriennium, ſepoſito ſceptro, Monachi habitum induit. Ei ſucceſſit *Aiſtulphus* Frater, qui violata pacis Religione, *Ravennam* obſedit, cepit & ita *Exarchatui* (qui ab An. 567. durarat annis 185) finem impoſuit, *Eutychio* ultimo Exarchorum Cpolim refugiente. An. 752.

§. 6. Elatus hoc rerum ſucceſſu, cuncta ſubjugavit, & licentiùs ſe gerere cœpit adversùs Papam *Stephanum II.* poſtulans annuum ſolidum in ſingula capita Romæ, Urbemque indies acriùs premens.

§. 7. Papa tanti Æmuli & ipſe impatiens, ac ab Imperatore Orientis deſtitutus (miſſis quippè Legatis auxilium ejus, ſed fruſtrà imploraplora-

Vid. Paul. Æmil. de Reb. Francor. pim. 51. plorarat) ad *Pipinum* Franciæ R. se convertit, opem ejus adversùs tyrannidem *Aistulphi* implorans.

§. 8. *Pipinus Stephano* auxilia promisit; priùs tamen æqui bonique viam tentavit, missis ad *Aistulphum* Legatis, qui peterent, ut *Exarchatum* & ablata Pontifici restitueret. Quibus Iste responsa dedit; se nihil, quod Pontificis esset, abstulisse, & Exarchatum Græco Cæsari, nunquàm Papæ paruisse.

§. 9. Quo responso accepto, *Pipinus*, Verⁿali tempore An. 754. per Insubres in Italiam movit, & *Aistulphum Papiæ* inclusum ad pacem coegit, adeò ut juramento promiserit, ablata reddere. Indè *Pipinus* in Franciam reversus, *Varrenum* apud Pontificem reliquit, qui pacis executionem urgeret.

§. 10. *Aistulphus* verò mox mentem mutavit, nihilque promissorum servavit, imò ipsam *Romam* obsedit, suburbia incendit ac diripuit, Papamque in summam anxietatem conjecit.

§. 11. *Pipinus* denuò imploratus; Italiam repetiit; *Aistulphum* acie vicit; *Ravennam* expugnavit, illumque ad pacem jam anteà Sigon de Regn. Ital. Lib. 4. in pr. conclusam implendam adegit, & interim ad radices Alpium substitit. Papæ *Exarchatum*, *Pentapolim*, *Ducatum Perusinum*, *Romanum*, *Tuscum* & *Campanum*, Jure Principatûs & ditione sibi retenta, quoad uusumfructum donavit, beneficii loco.

§. 12.

§. 12. Metuens jam *Pipinum Aistulphus*, omnia Papæ tradiderat, excepta *Ferrara* & *Faventia*; quas, cùm quoque evacuare pararet, inter venandum vitam amisit. An. 756. Regni 6.

§. 13. Hinc *Desiderius* Thusciæ, D. Longobardorum Regnum, *Ragisio Aistulphi* Fratri præripuit; qua in re Papam habuit Fautorem unde *Ferraram* & *Faventiam* ei tradidit.

§. 14. Mox *Stephano II.* An. 757. & *Pipino* Ann. 769. mortuo; *Desiderius* metu solutus, quæ hactenùs animo subdolè texerat, in apricum impudens produxit. *Paulus* Papa Successor *Stephani* fatis cesserat, & de novo eligendo consilia agebantur. *Desiderius* fratrem habuit *Constantinum*, quem licèt Laicum, si sedi Petrinæ imponere posset, felicem suorum consiliorum exitum augurabatur.

§. 15. Misso itaque *Totoni* Nepesino Duci *Romam* cum Copiis, in mandatis dedit, ut *Constantino* Papatum procuraret, pretio, precibus, aut tandem vi. Respondit voto eventus, *Constantinus* Papa fit pretio & precibus, vi in possessione defenditur, & deturbato *Philippo*, à *Gregorio* Episcopo Prænestino consecratur.

§. 16. Anno elapso, Romani moliminum hujus Papæ pertæsi, habita Synodo eum deponunt ac in Monasterium detrudunt, suffecto *Stephano III.* & Decretis Constantini abolitis. *Desiderius* dolorem animo celans, *Romani*

mam pervenit,& quasi gestorum ignarus,fratri *Constantino* succenset, quòd Laicus Papatum invasisset, & *Hadriano* Papæ amicitiam jurat.

§. 17. Cùm autem animadverteret, parùm fidei sibi haberi, Vulpina pelle rejecta, Leonis induit exuvias, & quæ Papæ ex pacto restituerat, iterùm ademit.

§. 18. *Hadrianus* ablata reposcit, sed frustrà; quippè ipsius *Romæ* obsidionem minitabatur *Desiderius*. Igitur Papa ad *Carolum* Francorum Regem *Pipini* Filium confugiens, auxilia & præsidium, flagitavit. *Carolus* missis ad *Desiderium* Oratoribus, rogat; ut ab incepto desisteret; Ecclesiæ quietem non interturbaret, eidemque injustè ablata restitueret; simulque summam XIV. M. solidorum liberali animo promittit; at Surdo cecinit.

§. 19. Hinc *Carolus* sui contemptu commotus, magno exercitu (cujus partem ipse per Montem Cenisium, partem Patruus suus *Bernhardus* per Montem Jovis transduxit) in Italiam pervenit, fugatumque *Desiderium Papiæ* obsedit, mox captum cum Uxore in Galliam transmisit.

§. 20. *Adelgisius* Frater *Desiderii Veronæ* obsessus, sed fugâ elapsus *Cpolim* venit, indeque classe instructa, in Italiam rediit, Regnum recuperaturus; sed à Præfectis Oppidorum à *Carolo* constitutis superatus, captus & trucidatus fuit.

§. 21. *Carolus* Papæ omnia, quæ Pater Pipinus

Pipinus donaverat, eodem modo confirmavit, aliaque adjunxit; Regiones autem Longobardorum ipse retinuit, ac REGIS LONGOBARDORUM titulum assumpsit. Sicque huic Regno finem imposuit. A. 774.

§. 22. Liberatus tanto hoste *Hadrianus*, & potentiâ auctus, pro tantis beneficiis *Carolo* condignam gratiam relaturus, acto Concilio, eum consensu Populi, PATRITIUM ROMANUM declaravit; quo titulo *Carolus* eminentia Jura fuit consecutus; Nempè, eligendi Papam & Investiendi Episcopos, omnemque Exarchalem potestatem An. 775.

§. 23. His temporibus *Turcarum* nomen primò fuit auditum, qui è Scythia per Caspias portas erumpentes An. 765. posteà *Saracenis* se conjunxerunt.

§. 24. *Pipinus* Major Domûs Franciæ Filius *Caroli Martelli*, assensu *Zachariæ* Papæ, *Childericum III.* è Merovingis ultimum, tondit & in Monasterium à Throno detrusit, ipseque ejus purpuram induit. A. 752.

37.

LEO IV. Chazarus. Filius. A. 775. †. 780. Imp. 5.

§. 1. Idolorum cultum improbavit, etiam in *Augustâ* Irene & in Aulicis; Sed turbas, exemplo Patris, metuens, mentem paulùm celavit.

§. 2. *Constantinum* Filium, ad petitionem

H Populi

Populi Cæſarem facere renuit, timens, tam teneram Adoleſcentis mentem, ab adulatoribus corruptum iri, acceptis autem reverſalibus, condeſcendit.

§. 3. Bellum habuit inteſtinum cum fratre *Nicephoro*, ſed eum cum Sociis mox oppreſſit. An. 776. Expeditionem quoque ſuſcepit in Syriam An. 779. contra *Sarracenos* ſeu *Turcas*, ſed inutilem. *Telericum* Bulgarum à ſuis pulſum hoſpitaliter excepit, eique Conſobrinam *Irenes* deſponſavit.

§. 4. Romæ *Gregorio III.* ſucceſſit *Zacharias I.* An. 742. qui Lampadum uſum in Eccleſias induxit. Tanta fuit hoc tempore Barbaries, ut inventus fuerit Presbyter quidam, infantes baptizans: *In Nomine Patria, Filia, & Spiritua Sancta.* Succeſſit ei *Stephanus II.* An. 752. qui primus humeris exaltatus fuit, & plumbo ſignare cœpit. Succeſſorem habuit *Paulum I.* A. 757. quem excepit *Stephanus III.* Ann. 768. qui Antipapam *Conſtantinum* excommunicavit. Decreta Synodi Cpolitanæ damnavit; Idolorum cultum aſſeruit. Succeſſit *Hadrianus I.* A. 772.

38.

CONSTANTINUS VI. Porphyrogenneta, Filius cum Matre Irene. Ann. 780. usque ad 797. Imper. 17.

§. 1. Sub tutela Matris infans adolevit. Hæc

Hæc Idololatriæ dedita, instigante *Paulo* Patriarcha & *Hadriano* Papa, Imagines per Templa restituit, & indicto Concilio Niceno. A. 788. earum usum publicè præcepit. Rationem Patres hoc disticho fuerunt complexi.

Nam DEUS est quod Imago docet,
Sed non DEUS ipsa.
Hanc videas; Sed mente colas, quod
cernis in ipsa.

hincque dici cœptum: *Imagines, Laicorum esse libros.*

§. 2 Soceri *Constantini V.* cadaver, quod is *Iconoclasta* fuerit, effossum, publicè fuit combustum. Quare *Constantinus* jam adultus, quorundam suasu, Matri Imperium abrogavit & ipse capessivit, moxque omnia templa imaginibus purgavit, abolitis Nicenæ Synodi Decretis.

§. 3. Idololatræ de alio Imperatore faciendo consilia agitare cœperunt; re autem patefacta, *Constantinus, Nicephorum, Christophorum* & *Nicetam* Patruos suos, luminibus orbavit. Hac crudelitate in pejus odium incurrit, ita ut Mater *Irene*, largitionum non parca, suffragio Populi, iterum ad solium revocata fuerit, quo facto Filium captum excœcavit. A. 797.

§. 4. Inde Imagines postliminiò restituit, ac Matrimonium cum *Carolo M.* Occidentis Imperatore creato contrahere studuit, pro-

xeneta *Leone III.* Papa. Sed *Nicephorus Logotheta* rem subolens, favore *Aëtii* Ducis & militum, tumultu facto, *Irenem* cepit, & indicatis Thesauris, in *Lesbum Insulam* relegavit, ubi mœrore animi, peccata deplorans, obiit, Ann. 803.

§. 5. Sicuti autem Orientalis Imperii splendor & potentia sensim diminuebatur, ita Occidens novo honore fuit auctus, & *Francorum* Gens supremum Majestatis fastigium fuit nacta.

Regino ad Ann. 757 Marian. Scot. ad An. 758. §. 6. In Germaniæ quippè parte Boreali incolebant Saxones, gens paganismo adhuc immersa, cæterùm bellicosa. Hanc *Pipinus* Franciæ Rex bello domuerat, imposito iis tributo annuo 300. equarum. An. 757. Illo verò è vivis sublato, hi ad ingenium suum rude & Barbarum redierunt, tributum solvere denegantes.

§. 7. Divisi erant in tres Populos; *Saxones Orientales*, quibus præerat *Hassino*; *Angarii*, quos ducebat *Bruno*, & *Westphali*, quorum Duces erant *Witichindus* & *Albion*.

Sig. Gembl. ad A 772 Fürstenberg. in Monum Paderb. pag. 103. seqq. §. 8. *Carolus* Rex, *Pipini* Filius, actis *Wormatiæ* Comitiis, bellum contrà illos decrevit, eos vicit; *Eresburg* castrum, ad *Dimolam Fluv.* in Abbatia Corbejensi cepit, *Irmensul* fanum & Idolum destruxit. Ann. 772. paganismum, quanta potuit opera, eradicavit, eoque Saxones adegit, ut *Paderbornam* vocati, pacem petierint & Christo nomen dederint. Ann. 777.

§. 9. *Wi-*

§. 9. *Witichindus* ſolus non ſolùm emanſerat, ſed etiam poſtero anno novam excitavit rebellionem; Sed victus iterùm & Saxones durius ſub jugum acti. An. 779. & 782. denuò tamen rebelles, iterùmque fugati, cæſis 4500. Saxonibus, in Nordmanniam auſugerunt *Witichindus* & *Aibion*.

§. 10. Tandem, ab ipſis Saxonibus, tot cladibus attritis, deſerti, fidem Chriſtianam amplexi ſunt & *Carolo* ſe ſubmiſerunt. A. 785. ſæpiùs tamen poſteà Saxones ad ingenium redire moliti ſunt, ſubindè refractarii, ita ut demùm A. 804. bello finis fuerit impoſitus. Saxones Trans Albiani in Franciam translati, pagique eorum Abotritis dati. Ita Saxonia Francis ceſſit.

Marian. Scot. ad An. 785. Sig. Gembl. ad A. 785 Fürſtenberg. d. Tr. pag. 151. Annal. Fuld. ad An. 804.

§. 11. Eadem fata mox ſubiit Bavariæ Regnum. *Taſſillo* quippè Bavariæ Dux, *Deſiderii* Longobardi gener, Uxoris inſtinctu, vocatis in auxilium Hungaris, bellum *Carolo* indixit. An. 780. Sed victus pacem petitam, mediante *Adriano P. R.* obtinuit. Mox tamen iterùm violavit; Inde evocatus *Wormatiam* ad Cauſam dicendam, fidem repetitam, Jurisjurandi religione & datis XII. obſidibus, obfirmavit; Nihil tamen ſervavit, furioſa apud impotentem Uxorem vindictæ cupidine.

Sig. Gembl. ad A. 780

§. 12. Hinc Anathemate percuſſus à Papa, triplicique à *Carolo* exercitu preſſus eſt, in *Valle Tridentina*, ad *Saringam* in ripa *Danubii*,

H 3 & ad

& ad *Augustam Vindeliciam*, ubi ipse præerat
Regino ad A. 787 & 788. *Carolus Tassillo* nimis impar tantis viribus, ad genua Regis supplex procumbens, perfidiæ veniam petiit, & juncto prioribus obsidibus filio, obtinuit.

§. 13. Cùm autem fidem nihilominùs non servaret, in Comitia *Ingelhemium* voca-
Cap. II. Tit. X. tus, ut causam diceret, ibi juxtà *Legem Bavaricam*, Ducatu privatus & Capitis damnatus fuit; sed mitigante pœnam *Carolo*, Monasterium *Lauris heimense*, cum filio *Theodone*, carceris perpetui loco obtinuit, reliquis suæ stirpis proscriptis. An. 789. Sic Bavaria *Carolo* submissa, atque Comitibus administranda data est.

§. 14. Hungari, quod huic bello impliciti erant, à *Carolo* similiter domiti & Pannonia superior (hodiè *Austria*) subacta An. 792. Ecclesiæ extructæ & *Marchiones* præpositi sunt. Tam opima ex Hungaria *Carolus* retulit spolia, ut exindè variæ Ecclesiæ in Germania & Francia, imprimis *Moguntina*, immodicè dotatæ & ditatæ fuerint.

§. 15. Dissidium dein *Romæ* inter *Leonem P. R.* & Populum ortum, qui Papam, solenni ritu procedentem, equo deturbatum verberarunt & in Carcerem conjecerunt, direpto & diruto Palatio. Ann. 799. sed ille quorundam fidelium ope *Spoletum* delapsus, ad *Carolum* in Franciam pervenit, claves *S. Petri* & Vexillum Urbis Rom. ei tradens, opemque ejus implorans.

§. 16.

§. 16. Miserat quoque Pop. Rom. Legatos ad eundem *Carolum R.* qui crimina Papæ exponerent; At irrito hoc fuit successu; Auxilium enim *Leoni* fuit promissum & is *Romam* præire jussus.

§. 17. Ei appropinquanti, universus Populus, iram *Caroli* metuens, cum Clero obviam ivit ad pontem usque Milvium, summaque cum lætitia in Urbem reduxit. Sic mobilitate viget plebs, & instar venti mutabilis, alienæ potentiæ minis facilè terretur.

§. 18. *Leonem* mox insecutus est *Carolus*, Romæque omni publicæ lætitiæ & honoris signo exceptus, Populum cum Clero convocavit, auditisque, omnium de *Leone* querelis, hunc, juramento sese ab imputatis purgantem, absolvit, ac Populo reconciliavit.

§. 19. Tanta in Sedem Populumque Romanum collata à *Carolo* ejusque Patre *Pipino* beneficia, condignam mereri remunerationem omnes æquissimè judicarunt. Quoniam itaque Imperatores Græci Italiam dereliquerant; Populus Romanus, quasi sibi relictus & pristinæ suæ libertati restitutus, gloriæ Imperii Occidentalis iterum reducendæ studiosus, Authore & Executore *Leone P. R. Carolum* Occidentis Imperatorem renunciarunt An. 800. Ipso Christi Die Natalitio. acclamantibus: *Carolo Augusto à DEO Coronato, Magno & Pacifico Imperatori vita & Victoria.*

DE IMPERIO ROMANO-GERMANICO.

Berof. lib. 4. *Germani* (lingua sua die Teutschen olim teutten) orti dicuntur à *Tuiscone* Filio *Noahi* ex *Araza* (*Arezia*) uxore post diluvium suscepto, qui A. M. 1788. partem Europæ à *Tanai* fluvio usque ad *Rhenum* tenuisse fertur. Cap. 2. num. 6. Unde etiam *Corn. Tacitus* memorat, Germanos *Tuisconem* inter Deos habere, & è Terra fuisse natos (i. e. Non esse collectitiam Gentem ex multis aliis, sed *Teutoniæ* merum genus inibi natum & enutritum) alii à voce *Teuth.* vel *Mercurio* dici scribunt. Ph. Cluver. in Germa. Antiq. lib. 1. c 9 & 26.

§. 1. Undè verò *Germani* & *Alemanni* dicti fuerint, adeò expeditum non est. Antiquitùs Græcis & Latinis nomine *Celtarum* & *Gallorum* vel etiam *Scytharum* fuerunt comprehensi. Denique in multos populos nomine distinctos se diviserunt; quæ diversitas nominum vel ex tractu Terræ, quem incolebant, ut *Longobardi*; vel à Ducibus, ut *Suevi* à *Suevo*; *Sicambri* à *Sicambra*; vel ex alio accidenti accessit. Vid. Berneg. ger. Qu. 7. in Tac. Germ. Lans. Orat. pro German. pag. 113.

§. 2. Libertatis semper fuerunt tenacissimi. Belli tempore suos elegerunt Reges seu Duces; quibus nec infinita, aut libera potestas fuit, & in Comitiis integri populi, Reges auditi, authoritate suadendi magis, quam jubendi potestate. Exemplo potiùs, quàm Corn. Tacit. de Mor. Germ. c. 7. & 11.

Impe-

Imperio; si prompti, si conspicui, si antè aciem egerunt, admiratione præfuerunt. Cæterùm neque animadvertere, neque vincire, neque verberare quidem, nisi Sacerdotibus (quos *Druidas* vocarunt) permissum; non quasi in pœnam, nec Ducis jussu, sed velut *DEO* imperante.

§. 3. Legum cura apud ipsos adeò magna non fuit; Justitiam enim colebant ingeniis, non legibus. Nobilitas non ex sanguine, sed ex virtute sola æstimata; meritis tamen Paternis aliquid attributum, si Filii eorum vestigiis insistebant. Venerem ante annum 30. ignorarunt; rati, robustiores & ad martem aptiores inde nasci viros. Adulterium severè punitum. Latrocinium verò & furtum laudi & honori ductum. Proditores paludibus vepreto obductis immersi, ne vestigium extet, quempiam Germanorum fuisse proditorem Patriæ. Venatio quoque eos exercuit assiduos. Maxima contumelia fuit, amisso clypeo, ex acie fugisse, res in omnem ætatem infamis; ita ut multi, suspendio vitam abruperint impatientes. Tempus numerarunt, non ex diebus, sed ex noctibus, & gravissima quæque noctu agebant; diem in pellibus stertendo ignavè transigentes; unde vox Bärrenhäuter.

Corn. Tacit. cap. 10. n. 6.

§. 4. Belli tempore, paulùm liberior fuit Ducum potestas; cuncti pro Ducibus, Duces pro Victoria & Gentis gloria pugnabant.

Res arduas & salutem omnium concernentes, pacis bellique negotia, in Comitiis totius Populi acta; ubi consederunt armati, ut turbæ placuit. Silentium per Sacerdotes imperatum. Mox Rex vel Princeps, prout ætas cuique, prout Nobilitas, prout bellorum decus, prout facundia fuerat, audiebantur. Si displicuit sententia, tremitu aspernabantur; sin placuit: trameas concusserunt. Sine vino tamen nihil fuit actum; inter pocula de publicis rebus disserebatur, bellum vel pax concludebatur.

§. 5. In iisdem Conciliis eligebantur Principes, qui Jura per pagos vicosque reddebant, & de minoribus rebus consultabant, de majoribus quoque prædeliberabant. Centeni singulis ex plebe Comites seu Senatores (vulgò schöppen) in quibus Consilium simul & authoritas, adfuerunt. Et ita apud eos obtinuit usque ad ætatem *Chlodovæi M.* qui proelio ad *Tolbiacum* Alemannos A. 499. & *Carolum M.* qui Saxones, subjugavit.

§. 6. *Carolo* Imperium arripiente, maxima potestas erat penès Imperatorem; ita tamen, ut Procerum & Principum Consensus & Comitia non negligerentur. Omnia *Regalia* solus possidebat Imperator. Ante ipsum, Duces erant integris Provinciis Præfecti, sub quibus erant Comites seu *Graviones*, singularum Civitatum Rectores. *Carolus* autem hanc differentiam sustulit, & Comitibus quo-

Altesser. de Duci. & Comi. Prov Gall. Cap. 4.

quoque integras Provincias ſine Ducibus regendas dedit, ut oſtendit judicioſus *Lehmannus*. Chron. Spir. lib. II. cap. 16.

§. 7. Epiſcopi, præter Eccleſiæ curam, nullam, vel Secularem Jurisdictionem, vel Feuda habebant. Inveſtituram non à Papa, ſed ab Imperatore per *Annulum* & *baculum* accipiebant. Ipſe Papa ab Imperatore ordinabatur. Succeſſio in Imperio ferè ex arbitrio Imperatoris pendebat; qui Succeſſorem ſibi declarabat, Principes cum Populo confirmabant, Poſteà deficiente *Carolina ſtirpe* Succeſſoris deſignatio, paulatim ad Principes potentia & Auctoritate auctos tranſiit. Ducatus, Comitatus hæreditarii facti. Jurisdictio & Feuda in Eccleſiaſticos collata. *Regalia* inferioribus conceſſa ab Imperatore. Denique *Electorum* Auctoritas & Numerus ſenſim invaluit; Ortæ Civitates Liberæ (quæ potiſſimùm magni Interregni tempore acciderunt) Tandem enatæ *Capitulationes* (ætate *Caroli V.* primùm ſcriptis comprehenſæ) atque ita Imperium Romano-Germanicum, in hodiernum mixtæ Reipublicæ ſtatum tranſiit, quòd jam Annis 275. in sereniſſima *Auſtriacorum* familia, manſit felix.

IM-

IMPERATORES
Ex
Stirpe Carolina.
I.

(1.) *Carolus I. Magnus*, *Filius* Pipini *Franciæ R.* & Bertradæ. *Nat. A.*742. *Rex Franciæ. An.*769. *Longobardiæ. A.*774. *Imperator. A.*800. †. *A.*814. *Imp.* 14. *Ætat.* 72.

§.1. De loco Nativitatis ejus disceptatur. Quidam *Ingelhemii* (qui locus est in *Rheni* ripa intra *Moguntiam*, & *Bingam*) natum scribunt, sed falsò. Alii *Leodium* nominant. Alii *Caroloburgum* in Bavaria. Neutri cum veritate. Natus enim fuit in Germaniæ Provincia Thuringia in loco *Vargalaha*, propè flumen *Unstrut*, vel ipso Imperatore teste, in Tabula quadam Donationum *Abbatiæ Fuldensi* factarum. Undè, tradente *Eginhardo*, lingua vernacula fuit usus, ventis & Mensibus, hodienum usitata nomina indidit; Imò hanc Francorum fuisse linguam, patet ex Manuscripto Evangelii Francica linguâ conscripti, à *Beato Rhenano* A. 1530. *Frisingæ* in Bibliotheca *S. Cordiana*, dùm reliquos *Livii* libros perquireret, reperto, ac Seculo X scripto, cujus initium,

Thom. Rheinef lib. 2. Var. Lect. Cap. 16.

Nu wil ich scriben unser heyl,
Evangeliono deil;
So wir nu hiar begunnon
In Frenkisga Zungon.

undè

undè etiam in Legibus Ripuariorum Francorumque frequentissima occurrunt nomina Germanica Romano-Barbarè inflexa.

§. 2. Sedem Imperialem imprimis *Aquisgrani* habuit, ob thermarum salubritatem, quibus frequentissimè post venatum fuit usus; Medicos prorsus aspernatus. Quæ de incantatione ab amasia quidam tradunt, fabulam sapiunt.

§. 3. Ecclesiasticis fuit liberalissimus, compluresque Ecclesias & Cœnobia fundavit, aut ditavit, & inter alia, Pagum Regium *Ulmam*, in *Danubii* ripa, donavit *Augiæ* (quæ est *Insula* & *Cœnobium* in *lacu Constantiensi*) multas ampliavit & exornavit Urbes; *Helmstadium*, *Dresdam*, *Hamburgum*, *Aquisgranum*, *Monasterium Westphaliæ* &c.

§. 4. Justitiæ magnus fuit Administrator, Legesque Francicas in unum congessit volumen. Per Westphaliam ordinavit *Judicium Vehmicum* contrà Saxonum desertiones, Judicibus occultis, quod tandem, à prima intentione degenerans, *Maximilianus I.* Imp. in Comitiis *Coloniensib.* An. 1512. abolevit.

Engelb. Werlich in Chro. August. P. 2. c. 14. Chytr. lib. 3. Saxon.

§. 5. Instinctu *Alcuini* Præceptoris *Scholam Parisiensem*, *Papiensem* & *Bononiensem* instituit. Ipse eruditus, Astronomiam amavit. *Synodum Francofortanam* 300. Episcoporum celebravit. An. 794. qua Imaginum cultus fuit prohibitus.

§. 6. Uxorem habuit *Hermingardim Desi-*

derii

derii Longobardi filiam, poſt annum tamen repudiatam, cujus rei cauſam ſupprimit *Eginhardus*. Secundam duxit *Hildegardim* Nobiliſſimæ Sanguinis Suevam, quæ ipſi peperit filios tres, *Carolum*, *Pipinum* & *Ludovicum*, totidemque filias, *Rothrutim*, *Bertham* & *Giſelam*. Tertiam habuit *Faſtradam* Francam, ſuperbæ & indomitæ mentis fœminam; quæ enixa eſt, *Thedradam* & *Hiltruthim*. Quartam ſibi deſponſavit *Luitgardim* Alemannam.

§. 17. Hac quoque mortua Concubinis uſus eſt; quarum Una, genuit *Emmam*, *Eginhardo* Caroli Imp. Secretario, poſt varia amotis fata, nuptam.

§. 8. Cæterum Longobardis in Italia reliquis, tractum illum inhabitandum conceſſit, qui adhuc *Lombardia* Italis dicitur. Exarchatum verò, in Romani nominis honorem, *Romandiolam* appellavit.

§. 9. *Pipinum* Italiæ Regem creavit; qui ea, quæ adhuc Græcis parebant in Italia, occupavit; *Ortonam* & *Nuceriam* expugnavit, ubi *Grimoaldum* Beneventi D. cepit, quem mox mœror abſtulit.

§. 10. Indè Siciliæ occupandæ bellum præparatum, transactione cum *Nicephoro* Imp. inita fuit impeditum; in qua tota Italia *Neapolim* usque *Carolo* relicta; reliquum cum Sicilia Græci Juris permanſit. An. 803. Ab altera parte Italiæ, termini utriusque Imperii poſiti usque *Venetias*, ita ut iſtæ in medio relinque-

Aventin Annal. Boj. lib 4. p. 263.

linquerentur liberæ & Juris neutrius. An. 810. Occiſo à Bulgaris *Nicephoro*, transactio renovata cum *Michaële* ejus ſucceſſore. An. 813. Amicitiam enim *Caroli* omnes ambierunt, vicinum habere abhorruerunt.

§. 11. Mortuo *Pipino* An. 811. *Bernhardum* ejus Filium Italiæ Regem fecit. *Ludovicum* verò Filium, convocatis *Aquisgrani* Imperii Principibus ac Conſentientibus, Succeſſorem ordinavit; mox ibidem pleuritide & febri ardente, ſeptimo poſtquàm decubuit die, fuit extinctus. An. Chr. 814.

In Oriente.

Ireni deturbatæ Succeſſit *Nicephorus I.* An. 802. qui victus fuit ab *Aarone* Damaſci Calipha, & pacem tributo annuo redemit. Ann. 806. Dein cum *Crunno* Bulgaro belligerans, in acie cecidit. An. 811. Imp. 9. Ei ſucceſſit *Michaël I.* Gener. poſt repudiatum *Stauratium* Filium. Pacem cum omnibus iniit; Filium *Cæſarem* proclamavit. Sed quoniam Idolorum erat Patronus, cum Filio throno depulſus in Monaſterio diem obiit. An. 813. Imp. 2.

In Eccleſia.

Romæ *Hadrianum I.* excepit *Leo III.* Ann. 796. qui *Canonizationis* eſt Auctor. In Synodo Francofortana, Imaginum uſus hiſtoricus approbatus, adoratio damnata. Cantus in Templis ordinatus & Textus Dominicales. Liturgia Ambroſiana in Concilio Turonenſi abro-

abrogata & Gregoriana ſeu Romana introducta. An. 812. Chriſtiani ab *Aarone* Damaſci Calipha ex Aſia pulſi.

II.

(2) *LUDOVICUS I. Pius.* Caroli M. ex Hildegardi *Filius. Natus Ann.* 778. *Imperator. Ann.* 814. †. 840. *Imp.* 26. *Ætat.* 62.

§. 1. Cognomen Pii meruit ex liberalitate in Clerum exercita & ex Pietate ergà Patrem obſervata. Scholam erexit in Cœnobio Corbejenſi.

Annal. Franc. ad A. 818. ſeqq. §. 2. Uxores habuit. I. *Hermingardim* Saxonicæ gentis, quæ peperit, *Lotharium*, *Pipinum* & *Ludovicum*. †. 819. *II. Juditham*, *Guelphi* Altorſiani Comitis in Suevia Filiam. An. 819. ductam, ex qua Natus *Carolus*, qui quaſi pomum Eridis ſecum in lucem attulit.

Regino ad A. 818. §. 3. *Ludovicus* Imp. Concilio *Aquisgrani* acto. An. 818. Clericos Juriſdictione ſeculari exemit. *Bernhardum* Italiæ R. quorundam Epiſcoporum ſeductione rebellem, ſed pœnitentem ac ſupplicem, Concilii ſuffragiis damnatum, excœcavit, undè obiit. Nobilium multi ſuppliciis affecti. Regnum quoque inter filios diviſit, *Lothario* Bojoariam (quam tamen mox iterùm ademptam *Ludovico* conceſſit) & Imperium, *Pipino* Aquitaniam dedit. Otto Friſing. lib. V. Chron. cap. 33.

§. 4. In Italia Pontifices Imperatorem nacti faci-

facilem, elatiores gerere Spiritus cœperunt & Italiæ Reges ægrè ferre. Sublato quippè *Bernhardo*, pulsa quies, ortæ rebelliones Civitatum, fautore Papa. Romani *Theodorum* Vicarium Imperatoris cum genero *Leone* trucidarunt, Pontifex suo Officio & Authoritate interpositis, facilè Imperatori Jus suum defensum reddere potuisset, & turbulentum Italiæ statum pacare; At consultò noluisse apparet, forsan, ne, quæ ipse adstruxit, destrueret. *Lotharius* Rex Patris auxilia imploravit. Pax tamen aliter haberi non potuit, nisi partem Italiæ, id est, Civitatem Romanam cum suo Ducatu & Suburbiis ac omnes Thusciæ partes, cum Jure eligendi Papam, *Paschali P. R.* cederet. Quo facto, subita quies, turbas & seditiones, ex Italiæ oppidis pepulit. Carol. Sigon. de Regn. Ital. lib. 4. p. 191.

§. 5. Saxones *Viromracho* Duce rebelles, hoc acie cæso, ad officium reduxit. An. 820. Eadem sors contigit *Lindevito*, quem Slavi & Hungari sibi Regem fecerant. An. 822. Vascones quoque coercuit.

§. 6. Mox filiorum rebellionibus impiè fuit vexatus; Ipse tamen, inconstantiâ sua & mutabili ingeniò, causam his præbuit. In Conventu ad *Vangiones* habito, *Carolo* filio ex *Juditha*, Alemanniam, Rhætiam atquè Burgundiam tradidit. A. 829. Et quamvis partibus reliquorum filiorum hac concessione, nihil decessisset, tamen hanc ægrè ferentes, instigatu quorundam Episcoporum & Pro- Sigeb. Gembl. ad A. 830 & seqq.

I cerum,

cerum, arma contrà Patrem extulerunt.

§. 7. *Juditha* adulterii accusata & in Monasterium detrusa, A. 830. innocentiam candenti ferro purgavit. Ipse *Ludovicus Imp.* Imperium abdicare & Monasterii claustra ingredi fuit coactus. An. 833.

§. 8. Altero verò Anno, Germanorum Principum ope, Imperium cum Uxore recepit, copiasquie contraxit, castigaturus temeritatem *Pipini*, qui tùm *Treveris* agebat, ubique jussu Imperatoris custodiæ fuit traditus. Verùm cautè elapsus, corraso exercitu, Patris copias necopinata pugna oppressit.

§. 9. Inter has turbas *Abotriti*, occasione arrepta, ab Imperio defecerunt. *Ludovicus* conventu ad *Theodonis Villam* habito. A.835. mortuo jam *Pipino*, novam divisionem inter reliquos filios fecit. Ubi prætерito *Lothario*, *Ludovico* Thoringiam, Ripuariam, Saxoniam & Frisiam Bavariæ adjecit; *Carolo* autem *Helvetiæ* partem inter *Rhenum* & *Ursam*, Provinciam, Delphinatum & Gothiam (quæ Galliæ Narbonensis pars erat) adjunxit. Postmodùm *Lothario* reconciliato, ea quæ antè acceperat, confirmavit.

§. 10. Deinde acto Conventu *Aquisgrani* An. 838. *Carolo* amplissimam Belgii partem tribuit, detractis quoque portionibus, ex *Lotharii* Regnis. Nova inde contentio. *Pipinus* quippè *Pipini* filius, & *Ludovicus*, hanc concessionem evertere sunt conati; Conventus indictus

indictus *Carisiacum* An. 839. Illi comparere recusarunt. Indè *Carolus* rursum novam portionem accepit, partem Neustriæ; *Ligeri*, *Sequana* & *Oceano* interceptam; *Lotharius* Austrasiam à *Mosa* fluvio. *Ludovicus* Sueviam adoritur, Pater verò, cum exercitu per *Rheni* ripam ascendens, *Moguntiæ* morbo implicitus, vitam cum Imperio deposuit.

In Oriente.

Successit *Leo V. Armenus.* An.813. Princeps Pius; Ecclesias Idolis rursus purgavit, conspirante *Michaële Balbo*, Nocte Diem Servatoris Natalitium præcedente, inter Sacra & Aram fuit trucidatus. Ann. 820. Imp. 7. Itaque purpuram assumpsit ipse *Michaël II.* Cui Sarraceni Insulam *Cretam* eripuerunt, *Candiamque* in posterum à Metropoli appellarunt. An. 823. frustràque obsessa *Cpoli*, Siciliam occuparunt: An. 828. Ille obiit. An. 829. Successore Filio *Theophilo I.* Princeps bonus & Justus; occisores *Leonis* est persecutus; *Theodoræ* Augustæ navim mercatoriam exussit; indignatus Eam dignitatis oblitam, mercimonium exercere. Bellum feliciter gessit cum Arabibus, sed à Syris & Sarracenis victus, mœrore fuit extinctus. An. 842. Imp. 13.

In Ecclesia.

Romæ *Leoni III.* successit *Stephanus IV.* An. 817. quem statim excepit *Paschalis I.* An. Eod. ejus locum subiit *Eugenius II.* An. 824. Cui successit *Valentinus I.* An. 827. & huic *Grego-*

rius IV. Ann. 828. qui Omnium Sanctorum Festum Germanis & Gallis persuasit celebrandum die 1. Novembr. Ann 836. *Dani* ad fidem conversi & *Haraldus* R. ab *Ansgario* Moguntino Præsule baptizatus est. An. 825. Imperatori in Synodo Aquisgranensi, titulus *Christianissimi*, datus. Floruit *Rabanus Maurus* Monachus, Prosa & Metro clarus. *Fridericus* Ultrajecti Episcopus, Frisiam ab Arrianorum hæresi purgavit; quoniam verò *Juditham* Augustam, ob viam licentiosam, liberiùs redarguisset, immissis Sicariis apud Altare occisus est. *Claudius* Episcopus Taurinens. omnes picturas & Imagines, Ecclesiis suæ Diœcesis ejecit. An. 820.

III.

(3.) *LOTHARIUS I. Filius* Ludovici I. & Hermingardis, *Natus. An.* 795. *Italiæ Rex An.* 822. *Imperator. An.* 840. †. 855. *Imp.* 15. *Ætat.* 60.

§. 1. Internecina cum fratribus *Ludovico* & *Carolo* gessit bella; Imperatoria quippè dignitate elatus, ac ita fratres antecellens (qui Ipsum comiter observare tenebantur) omnibus solus inhiavit. *Ludovico* præter Bavariam, & *Carolo* præter Aquitaniam, nihil concedens.

§. 2 Hujus rei indignitate commoti *L.*
Regino ad Ann. 841. seq. *dovicus* & *Carolus*, arma corripuerunt, inito fœdere *Argentorati*. Ventum est ad manus, & *Lo-*

& *Lotharius* acerrimo prœlio, in Ducatu Burgundiæ ad pagum *Antissiodorum* in loco *Fenthanith* (*Fontenay*) comisso A. 842. cum toto ferè Franciçæ Nobilitatis interitu, victus, *Aquisgranum* & indè *Viennam* in Delphinatu aufugit. Fratres insecuti, Lothariani Regni partem Alpibus interjectam, inter se sunt partiti. Anal. Franc. ad A. 842.

§. 3. *Lotharius* viribus fractus, mediante *Sergio* Papa & aliis Principibus, pacem conclusit in Conventu *Viroduni* Ann. 843. ubi talis tandem divisio placuit. *Lothario* relicta Imperialis Dignitas & præeminentia cum annexis, Italia, Austrasia & Belgium à *Mosa* usque ad *Rhenum* (hodiè *Provincia, Delphinatus, Burgundia, Lotharingia, Alsatia, Helvetia* &c.) *Ludovico* cessit, Germania magna, Bohemia, Moravia, Hungaria, cum nonnullis Civitatibus in citeriori Rheni ripa, nim. *Moguntia, Spira, Wormatia*, ob vini copiam. (Ubi notandum Germaniam jam peculiare Regnum & independens factum, ab illo tempore proprios sibi habuisse Reges) *Carolo* data, Franciæ pars Occidua, cui post mortem *Pipini* Junioris, Aquitania fuit conjuncta. Annal. Met. ad A. 843.

§. 4. In Italia *Ludovicus Lotharii* filius Rex creatus est. Sarraceni è Sicilia in Italiam diffusi & horrendùm populati, *Romam* obsederunt, at masculè propulsati & à *Ludovico* propè *Hostiam* magna clade affecti, recesserunt, Ann. 851.

§. 5. *Normanni*, ex *Dania* seu *Norwegia* accedentes, Galliam, Belgiumque deprædarunt. An. 845.

§. 6. Cùm *Leo IV. P. R.* accusaretur, nociva Imperatori Consilia agitare; *Lotharius* Romam, ut rem cognosceret, profectus est. An. 854. Illo autem juratò se purgante, Delatores supplicio affecit.

§. 7. Regna sua in Conventu Principum divisit inter filios. *Ludovico* tradidit Italiam cum Imperio. *Carolus* nactus est Provinciam & Burgundias. *Lotharius* accepit Tractum circà *Mosellam*, à se *Lotharingia* dictum. Ipse Imperator, relicto Seculo, *Cœnobium Prumiense* ingressus, ibidem obiit. A. 855. 3. Cal. Oct.

Regino ad An. 855.

§. 8. Ducatus, Comitatus & reliqua feuda, arbitrio Imperatorum hactenùs revocabilia, ad Nepotes ex filio primi acquirentis Vasalli, Jure hæreditario primus produxit.

In Oriente.

Michaël III. Theophili Filius, Tutrice Matre adolevit, quæ suasu *Methodii* Patriarchæ, Imaginum cultum restauravit. Ei tandem in Monasterium inclusæ omnem Potestatem abrogavit; Studiorum magnus fuit Fautor & Promotor, Consilio *Bardanis*, quem tamen occidi jussit.

In Ecclesia.

Romæ *Gregorio IV.* successit *Sergius II.* aliàs *Os porci* dictus. Ann. 844. qui primus morem mutandi nominis introduxit. Ei successit

Leo

Leo IV. Ann. 847. qui Episcopatus publicè vendidit, *Leoninam* exornavit & suo nomine insignivit. Successor *Johannes VIII.* An. 854. femina fuit, quæ in sua sanctitate imprægnata, ad Lateranensem Ecclesiam procedens pariens obiit ; Unde *Sedis Stercorariæ* usus invaluit, & nullus posthac Papa, hac via fuit usus. *Bulgari* ad fidem fuerunt conversi. *Gottschalcus* Monachus docuit ; *Esse prædestinationem & Reprobationem, nec Christum pro omnibus fuisse mortuum.* damnatus à *Rabano Mauro* Moguntino Episcopo & *Hincmaro* Archi-Episcopo Rhemensi.

IV.

(4.) *LUDOVICUS II. Filius* Lotharii & Irmengardis, *Natus An.* 829. *Imperator. An.* 855. †. 875. *Imp.* 19. *Ætat.* 46.

§. 1. Ut majori cum quiete, quisque ex liberis *Lotharii* Imp. portione sua frueretur, cum Patruis *Ludovico Germanico* & *Carolo*, in Conventu ad *Confluentes.* An. 860. habito, de pace & Concordia convenerunt.

§. 2. Magnam partem Juris Imperatorii *Nicolao I.* Papæ indulsit ; consentiendo in ejus Decretum, de Laicis à Concilio Ecclesiasticorum arcendis, dùm tamen Clericis Conventus Laicorum paterent. *Hadrianum* in tumultu, neglecto Imperialium Legatorum præsentium & conquestorum consensu,

 à Popu-

à Populo & Clero electum, confirmavit, quæ mali exempli res.

§. 3. *Sarracenos* Italiam iterùm inundantes, repressit, *Capuam* & *Beneventum* iisdem eripuit; quam posteriorem urbem, paucis satellitibus ingressus Victor, *Andelgisii* seu *Andalusii* Ducis insidiis penè interiit; quem mox bello illato victum, omni ditione exuit. Ann. 872. non diù pòst fulmine combustum. Ann. 873.

§. 4. Obierat inter hæc *Carolus* Provinciæ Rex Ann. 858. quapropter ejus Patruus *Carolus* Franciæ R. Provinciam suo Regno conjungere allaborabat. Sed ejus conatibus se vehementer opposuit *Lotharius*; hoc verò, in itinere Romano, *Placentiam* inter & *Romam* mortuo. Ann. 869. prædictus *Carolus* etiam Lotharingiæ inhiabat, *Metimque* præceps advolavit.

§. 5. Ne autem & Imperatorem & *Ludovicum* Germaniæ R. armatos excipere cogeretur, huic *Metim*, *Treveros* & alia loca concessit. Ann. 870. facta Cessione *Mersanæ* ad *Mosam* propè *Trajectum* in Dominio *Valckenburgensi*.

§. 6. *Hadrianus II.* re comperta, *Carolo* anathema fuit minitatus, ni Imperatori cuncta restitueret; quod quidem *Ludovicus* Germanicus fecit. Sed *Carolus* acri & acerbo stylo Papæ rescripsit; docens, ejus non esse, Regibus imperare, hæc subjiciens in calce verba;

Gold T. 1 Const. Imp. pag. 192.

verba: *Petimus autem Omnipotentem Dominum, ut inspiret cordi Vestro, sic nos benignè tractare, quatenùs ulteriùs nobis non sit necesse, vobis ita rescribere.*

§. 7. In Germania *Ludovicus* Rex, post repressos Sorabos, *Rastilem* Moravorum & Slavorum Regem victum excœcavit, populos autem istos, ut & Bohemos, Dalmatas, Bulgaros, ope imprimis *Methodii*, ad Christum adduxit; quorum tamen Dalmatæ & Bulgari mox ejectis Sacerdotibus Romanis, pars ad Græcos, pars ad Arrianos & Plotinum defecerunt.

§. 8. In Comitiis *Confluentanis* Ann. 860. & posteà *Metensibus* Ann. 868. Summa Imperatoris potestas, circà ardua Imperii Negotia, vitam & pœnam Principum, ad *Consilium Fidelium* fuit restricta, in quod lubens consensit Imperator.

Schilter, J. P. L. I. T. XV. §. 4. & L. 4. T. XII. §. 10. & T. XVII.

§. 9. Ludovicus Imper. Uxorem habuit *Luitgardim*, Filiam *Etychonis* Comitis Altorfiani, ex qua suscepit *Irmengardim* Filiam. Obiit *Mediolani*

In Oriente.

Michaël III. sublatus est. An. 867. Imp. 25. à Successore *Basilio I. Macedone*, qui Russos convertit; Sarracenos fudit.

In Ecclesia.

Romæ *Johañi VIII.* successit, *Benedictus III.* Ann. 858. præcepit ut Clerici omnes, Paparum exequiis interessent, & vicissim. Eum

excepit *Nicolaus I.* A. 860. qui Clericis conjugio interdixit, maxima ferè omnium exacerbatione & contradictione, imprimis verò *S. Hulderici* Episcopi Augustani, ita ut posteà Clerici 200. adhuc annis passim Uxores habuerint. Eum secutus *Adrianus II.* A. 872. Precibus publicis addita fuit formula: *A furore Normannorum, libera Nos, Domine. Rugii* ad fidem conversi.

V.

(5.) *CAROLUS II. Calvus, Franciæ Rex, Filius* Ludovici Pii *&* Judithæ. *Ann.* 875. †. *An.* 878. *Imp.* 3.

Otto Frising. L. 6 Chron. Cap. 6. §. 1. *Ludovico* Germaniæ Regi, Fratri Natu majori, imperium præripuit; quippè *Romam* deproperans, mercatum cum *Johanne IX.* P. R. pessimo exemplo fecit, & ab hoc cum Corona, titulum *Christianissimi* renovatum accepit.

Sigebert. Gembl. ad A. 876 seqq. Regino, ad An. 876. §. 2. *Ludovicus* tantâ injuriâ læsus, *Carolo* dira omnia minitato, bellum apparavit; sed morte præventus, filiis ex *Emma* Hispana genitis, *Carolomanno, Ludovico,* & *Carolo*, gerendum reliquit.

§. 3. Isti priùs ditiones Paternas fuerunt sortiti. *Carolomanno* obtigit, Bavaria, Hungaria, Slavonia. *Ludovico* Germania Inferior, Saxonia, Frisia, Thüringia & pars Lotharingiæ. *Carolo* Suevia, Alsatia cum parte Rhœtiæ.

§. 4. *Carolus* Imp. interim his suis Nepotibus,

tibus, Regionem Cis-Rhenanam eripuit; qua nova injuria excitati, ad arma convolarunt. *Ludovicus* Imperatorem ad *Andernacum* cruento prælio proſtravit. A. 876. *Carolomannus* ab altera parte, ſuperatis cum exercitu Alpibus, in Italiam irrupit, *Carolum* indè ejecturus. Qui verò ferro cum illo decernere refugiens, donis oblatis placavit, ſimulque juravit, ſe Italia, exceſſurum; ſed nihil præſtitit. Undè accenſus novo igni *Carolomannus*, in Italiam revolavit, ac *Carolum* acie vicit; Cui mox mœror vitam & ambitum abſtulit; An venenum à *Sedechia* Judæo Medico allatum?

§. 5. Uxorem habuit I. *Hermintruthim* II. *Richildem*. Cujus fratri *Boſoni*, *Irmengardim* Filiam *Ludovici II.* Imp. deſponſavit, eumque *Provinciæ* Regem fecit, ſede *Arelati* conſtituta, unde *Regnum Arelatenſe* dictum fuit. Sigeber. Gembl. ad A. 878 Mar. Sc. ad A. 876

VI.

(6.) *LUDOVICUS III. Balbus*, *Filius* Caroli *Imp.* & Hermentruthis, *Natus An.* 843. *Imperator. A.* 878. †. 879. *Imp.* 1. *Æt.* 36. *Compendii.*

§. 1. *Johannes IX. P. R.* Legatos Germanos, Imperium pro *Carolo Craſſo* Sueviæ & Alſatiæ Duce, Romæ poſcentes, fugiens in Franciam, *Ludovicum* ibidem coronavit, ringentibus Germanis. Sigebe. Gembl. ad A. 876

§. 2. Pax tamen poſteà iterùm coaluit, & Germani publicis Conventibus, honoris

cauſa

causa interfuerunt. Imprimis verò pactum interpositum, inter Imperatorem & *Ludovicum* Germaniæ R. publicatum *Furone* A. 879. quo divisio Regni *Lotharii* anteà facta, confirmata fuit.

§. 3. Mox *Carolomannus* diem suum obiit; ditionibus suis inter fratres divisis. *Arnulpho* verò *Notho*, Austriam & Carinthiam dedit.

§. 4. *Ludovicus* Imp. Uxores habuit. I. *Amsgardim*, sine Consensu Patris ductam; quæ ipsi peperit *Ludovicum* & *Carolomannum*; qui propterea illegitimi à quibusdam scribuntur. II. *Adelheidim*, quæ edidit posthumum, *Carolum Simplicem*, Franciæ Regem.

Sigebert. Gembl. ad A. 880 Regino. ad A. 878

VII.

(7.) *CAROLUS III. Crassus. Filius Natu minimus* Ludovici I. *Germaniæ R. &* Emmæ. *An.* 880. *depos. An.* 887. *Imp.* 7. †. 888.

§. 1. Occupata post obitum *Ludovici* Italia, à *Johanne IX. P. R.* quo hic tutus *Romam* redire posset, agnitus & coronatus est. Undè patet, Pontifices Polypo similes, temporibus semper serviisse, modò lenes & submissi, modò elati & difficiles; formati plerumque ipso Imperatorum ingenio.

Otto Frising. L. 6. Chron. Cap. 6.

§. 2. Ejus favore filii *Ludovici III.* Imp. *Ludovicus* & *Carolomannus* Franciæ Administratores, *Bosonem*, (toti Burgundiæ inhiantem & à Papa *Lugduni* coronatum) Burgundiâ,

diâ,& *Hugonem* Lotharingiâ ejecerunt.A.881. At *Boso*, ope Comitum Genevensium & Allobrogum, abrepta posteà recuperavit, confirmatus quoque à *Carolo* Imp. in Regno Provinciæ & Burgundiæ, sub nexu feudali. Eique successit Filius *Ludovicus*.

§. 3. *Normanni* hac ætate Germaniam (ubi *Brunonem Henrici I.* Imp. Patruum,cum multis Episcopis cæsérunt) & Franciam (*Carolo Simplice* adhuc infante) pessime habuerunt. Undè Franci Occidentales pressi Imperatorem ad se vocarunt, Regnumque ei commiserunt.

§. 4. Hinc *Normannos* primò repulit,mox majori numero reversis, resistere non valuit, sed pactione inita, Frisiam concessit. An.882.

§. 5. Interim Slavi *Zwentiboldo* Duce, finibus suis egressi, Austriam vexabant; Eos tamen Imperator, pro viribus coërcuit. Ann. 884.

§. 6. Mox *Normanni*, fracta pace, *Parisios* obsederunt, ad deditionem jam jam adigendos; nullum in præsens remedium, quàm nova pactio, qua *Neustriam* ipsis cessit, quam à se *Normandiam* vocarunt. Regino. ad A. 887 & seqq.

§. 7. Quæ res non solùm *Carolum* malè habuit, ita ut corpore & animo languere cœperit; sed etiam Principes (quorum Authoritas indies crescebat) ab Eo abalienavit, ut orta conspiratione, Conventu apud *Triburias* acto. An. 887. eum deposuerint. Quo Annal. Fuld. ad An. 887.

facto

facto desertus ab omnibus, in Sueviam concessit, ac summa egestate pressus, ibidem fatalem vitam clausit miser; *Augiæque* sepultus est.

§. 8. Uxorem habuit *Richardim*, quæ adulterii cum *Lutwardo* Episcopo commissi, ab eo insimulata, candenti ferro se purgavit. Ab hoc tempore Clericos sibi habuit infestos.

§. 9. Cæterùm potentissimus fuit Princeps, omniaque quæ *Carolus M.* tenuerat, in eum solum confluxerant. At post infelicem depositionem; cuncta iterùm diffluxerunt. Unoquoque Populo Regem sibi de visceribus suis creante, irreparabili Imperii damno.

In Oriente.

Basilio I. Principi laudatissimo, à cervo in venatu infeliciter vulnerato, indeque mortuo. An. 886. Imp. 19. successit. *Leo VI* Philosophus. Princeps pulchrè literatus.

In Ecclesiâ.

Romæ. Monstro successit Monstrum. *Johañi IX.* qui indulgentias contra infideles primus promulgavit, malleorum ictibus confecto. A. 881. successit *Martinus II.* quem à nemine laudatum excepit *Hadrianus III.* A. 884. qui statuit, Papam electum consecrandum sine præsentia Imperatoris, aut ejus Legatorum. Successit *Stephanus V.* An. 885. Qui Episcopum Moguntinum, jussit abrogare per Germaniam, probationes ferri candentis & aquæ ferventis (forsan occasione *Richardis* Augustæ) floruit hac ætate *Johañes Scotus.* VIII,

VIII.

(8.) *ARNOLPHUS I. Austriæ Dux, Filius Nothus* Carolomanni *Bavariæ R. ex* Leitwinda. *Ann.*887. †. 899. *Imp.* 12.

§. 1. Turbulentissimus sub eo fuit Imperii Status, in quo tamen masculè se gessit.

§. 2. Franciæ Regnum rediit ad *Carolum Simplicem*, cui *Odo* Parisinus Comes illud eripere conatus est.

§. 3. Burgundiam occupavit *Rudolphus I.* Filius *Conradi*; Nepos *Hugonis* Abbatis & Ducis Aureliorum, quo facto, arma *Arnolphi* Imp. attraxit, quibus victus & pulsus in Valesiam confugit, evocato autem in Italiam Imperatore, Regnum iterum occupavit & retinuit. Ann. 893. Regino. ad A. 888.

§. 4. *Normanni* Imperium iterum adorti, Imperatorem ad *Mosam* fugarunt; qui mox, receptis viribus, illis cladem ad *Tiliam amnem* regessit, horribili strage 100000. Normannorum. Ann. 891.

§. 5. Moravi & Slavi *Zwentipoldo* Duce occasione temporum irrumpentes perfidi, magno prælio, auxilio Hungarorum, propulsati sunt. Ann. 893. At noxio exemplo; Namque Hungari, cognita semel Germaniâ, ipsi hostes facti, hanc miserè sunt populati.

§. 6. In Italia Pontifices, Imperatorum Majestatem vehementer obfuscarant: *Hadrianus III.*

nus III. duobus Decretis ſancivit: *Ut Papa electus, nullo exſpectato, conſecraretur, & ut Italiæ Regnum cum titulo Imperatoris, Italis Principibus inpoſterum inhæreret.*

§. 7. Itaque *Berengarius I.* Forojulii Dux, Italiæ Rex fuit creatus, cui *Guido* Spoleti Dux fuit oppoſitus. (adeò ſemper Germanorum in Italia potentiam odio habuit Papa) unde bellum inteſtinum ortum, quo *Guido Berengarium* pepulit.

§. 8. Papa *Arnolphum* in Italiam vocavit, qui pactione cum *Berengario* interpoſita, *Guidonem* victum fugavit. Ann. 894. Cùm verò *Lambertus Guidonis* Filius à *Formoſo P. R.* Italiæ Rex creatus, minùs ex hujus ſententiâ regnaret, *Arnolphus* iterùm vocatus, peragrata longè latèque Italia, Urbem *Romam* obſeſſam, lepuſculi occaſione inopinatò cepit. Ann. 896.

Otto Friſing. L. 6. Chron. Cap. 12. & 13.

§. 9. Sumptis de Romanis ſuppliciis, à *Formoſo* coronatus fuit. Paulò poſt obiit *Lambertus*, & à Longobardis invitatus in Italiam *Ludovicus*, *Boſonis* Provinciæ R. Filius, *Berengarium* reſurgentem dejecit. An. 898.

§. 10. Tandem *Arnolphus* Imp. *Agiltrudem Guidonis* viduam obſidione premens, venenatum potum ab Illa immiſſum hauſit, quo languere cœpit, & rem præſentiens, Italià ſubitò relicta, reverſus in Bavariam, ibi, longa maceratus ægritudine, Phtiriaſi fuit conſumptus.

§. 11.

§. 11. Uxores habuit. I. *Agnetem* genere Græcam, ex qua suscepisse scribitur *Arnolphum Malum* Bavariæ D. & *Wernerum* Comitem Schyerensem. Sed alium Patrem nominat *Regino*. II. *Juditham Guelphi* filiam; quæ peperit, *Ludovicum* & *Luitgardim*, Othoni Saxoniæ Duci nuptam. Ex Concubina habuit *Zwentiboldum* Lotharingiæ Ducem, bello intestino pereuntem, & *Rapoldum* qui *Stirpem Andeccianam* in Bavaria sevit. ad A. 907

In Oriente.

Leo VI. Cum *Simone* Bulgaro debellavit, Ungarorum auxiliis.

In Ecclesia.

Romæ. *Stephano V.* successit *Formosus*. An. 891. qui cum *Sergio* de Sede certavit. Eum excepit *Stephanus VI.* An. 896. qui *Formosum* effossum, abscissis manus dextræ digitis binis, inter Laicos inhumavit, habitum indutum rustico. Moravis linguæ vernaculæ usum in Sacris concessit, audita de Cœlo voce: *Omnis Spiritus laudet Deum, & omnis lingua confiteatur Ei. Academia Oxoniensis* in Anglia fundata à Rege *Alvredo*. An. 895.

IX.

(9.) *LUDOVICUS IV. Infans. Filius* Arnolphi *&* Judithæ. *Imperator* Forchemii *electus*. *Ann.* 900. *Annos nondum VIII. Natus*. †. 912. *Imp.* 12. Regino ad Ann. 900.

K §. 1.

§. 1. Administratio Imperii erat
Hattonem Episcopum Moguntinum &
Aventin lib. 4. Annal. Bojor. p.368. *nem* Saxoniæ Ducem, Patrem *Henrici I.*

§. 2. Hungari ex impubertate Imper
ris & discordia Principum Germaniæ o
sionem nacti, in Germaniam irrumpe
Ann. 901. & aliquoties ab Imperatore in
rinthia & Bavaria repulsi, tandem eum
genti clade ad *Augustam Vindelicor.* aff
runt. Ann. 903. iterùmque An. 907. & 9
Germaniamque sibi tributariam fecerunt.

§. 3. Maximam autem calamitatis ta
& æterni pudoris causam fuisse, tùm sediti
sum & ambitiosum Paparum ingenium, t
fatale dissidium, Æmulationem & Simultat
Principum Germaniæ, penitùs considera
facilè apparet. Distractis quippe discordiâ a
mis, in commune nihil recti consulitur, &
dùm alter alterius afflictione gaudet, Socie-
tatis unitum corpus, velut laxatis vinculis,
dilabi necesse est.

Luitpr. L.2.Hist. cap.10. & 11. §. 4. Namque in Italia *Benedictus IV. P. R.*
Ludovicum Bosonis Filium Imperatorem pro-
clamavit; *Berengarius* autem eandem ambiens
dignitatem, *Veronam* proditione cepit; op-
pressum captumque in Urbe *Ludovicum* Re-
gno & oculis privavit. An. 904.

§. 5. In Germania, *Conradus* Franconiæ
Regino ad A. 904 & seqq. Comes, orto jurgio, *Reinboldum* Comitem
obtruncavit; fratrem vindicavit *Albertus*
Babenbergensis talione; Undè odium & ini-
mici-

micitia irreconciliabilis. Imperator *Reinboldo* Agnatus, *Albertum* Bambergæ obſeſſum, & perjura fraude *Hattonis* captum ſecuri percuſſit. An. 910.

§. 6. In Burgundia *Rudolpho I.* mortuo A. 911. ſucceſſit Filius *Rudolphus II.* ab Italis contrà *Berengarium* Rex factus Italiæ.

§. 7. Eum mox ſecutus eſt *Ludovicus* Imperator, ultimus è Stirpe *Caroli M.* Imperator. In Francia quidem *Carolus Simplex* & Filii Regiam Dignitatem, aliquandiu adhuc retinuerunt; tandem ab *Hugone Capeto* deturbati, Franciam quoque amiſerunt. A 987. Claro exemplo, DEUM pro arbitrio dare Regna & rurſus adimere, tollere & deprimere. Tùm etiam interituræ familiæ ultimos ſurculos, vel animo torpendo, vel Voluptatibus indulgendo, aut tyrannidem exercendo, quaſi jam degeneres facti exhauſto ſanguine, viam interitui præſtruere.

§. 8. Utiliſſimi quidem Imperio & Religioni fuerunt Imperatores *Carolingi*; at, in plurimis aliis rebus, fuerunt nocentiſſimi. Dùm Authoritatem & Poteſtatem in Papam & Italiam cum Dignitate nacti, Socordiâ, Superſtitione, Simplicitate variè remiſerunt, quin & P. R. tantis cumularunt terrarum donationibus, qui dein tantis opibus abuſi, turbas poſt turbas excitarunt, toti inhiantes Imperio; & quæ vel gratiâ, vel benignitate Imperatorum, vel temporis neceſſitate pre-

cariò ipſis fuerunt indulta, in perpetuum & irrevocabile Jus commutantes. Maximus error & Venenum Imperii fuit, funeſtæ inter Filios & Fratres diviſiones Regnorum, toties repetitæ, tanto Civium ſanguine impugnatæ & propugnatæ. Undè tandem facile fuit, tùm exteris, tùm ſuis etiam Civibus, illùd diſcindere & mutilare; quod, ſi conjunctum, ſemper unico duntaxàt ſpiritu, rectum fuiſſet, nunquam fuiſſet poſſibile. Sed, *Ludit in humanis Divina potentia rebus.*

In Oriente.

Leoni VI. †. Ann. 911. Imp. 25. ſucceſſit Filius Septennis *Conſtantinus VII. Porphyrogenneta.* Sub infida *Alexandri* tutela mox Matris *Zoës*, denique *Romani Lacopeni* adoleſcens.

In Eccleſia.

Romæ. *Stephano VI.* ſucceſſit *Romanus I.* qui Acta *Stephani* reſcidit. Huic, *Theodorus II.* qui Decreta *Formoſi* in uſum revocavit. Secutus hunc, *Johannes X.* Ann. 901. exceptus à *Benedicto IV.* An. 903. Cui ſucceſſit *Leo V.* Ann. 906. in carcerem conjectus & necatus à Succeſſore *Chriſtophoro I.* Ann. Eod. Sedem adepto, ope duarum meretricum *Theodoræ* & *Maroziæ*, quem adulter *Maroziæ Sergius III.* deturbavit. An. 908. qui *Formoſi* cadaver iterùm effoſſum in *Tyberim* abjecit. Ei ſuffectus eſt. *Anaſtaſius III.* An. 910.

X. CON

X.

CONRADUS I. *Franconiæ Dux.* Conradi *ab* Alberto *Babenbergensi, occisi Filius. A.* 912. †. 919. *Imp.* 6. *Mens.* 6.

§. 1. Principes Imperii quidem, extincta *Caroli M.* stirpe, *Ottoni* Saxoniæ D. Imperium obtulerunt; verùm *Otto* ætatem caussatus, *Conradum* commendavit. Tamen *Arnoldus* Bavariæ, *Burcardus* Sueviæ, *Eberhardus* Franconiæ & *Gisilbertus* Lotharingiæ Duces, veneratione in *Carolum M.* ducti, *Carolum Simplicem* Franciæ Regem, Imperatorem facere moliti sunt; Sed eorum factionem *Conradus* oppressit. Luitpra. lib. 2. Histor. cap. 7.

§. 2. Hungaros, ingenti prælio victos, ope imprimis *Ottonis* Ducis fugavit. Ann. 915. Posthæc *Otto* obiit, relicto Filio *Henrico*; Hunc, cùm Imperium ambire, suspicaretur *Conradus*, maximo odio eum est prosecutus, quod in funestum Germaniæ bellum erupit.

§. 3. Instigator non ultimus fuit *Hatto* Episcopus, qui *Henricum* pari fraude è vita tollere studens, qua Comitem Bambergensem sustulerat; monile aureum, *Henrico* per Imperatorem transmisit, ita fabricatum, ut collo circumdatum, hominem strangularet; At certior factus *Henricus* insidias evitavit non solùm, sed etiam *Conradum* tanta clade affecit *Merseburgi*, An. 916. ut proverbio diceretur: *Ubi est infernus, qui tot Francos capiat.* Sigeb. Gembl. ad A. 914

§. 4. *Hatto* ex mœrore obiit, *Conradus* verò Imp. morti vicinus, vocatis ad se Imperii Proceribus & *Eberhardo* Fratre suo, *Henricum* illis ob Virtutem ac Felicitatem, ut Successor sibi eligeretur, commendavit, ac huic prætulit, transmissis Illi Imperii Insignibus.

Luitpra. loc. Cit.

§. 5. Græci Sarracenos Duce Patritio quodam in Italiam induxerunt, victos acie ad *Minturnas* à *Berengario* & *Johanne XI.* P. R. Ann. 915.

§. 6. *Urso Badoario* Venetorum Duci, Imperator Monetæ Jus concessit. An 915. *Arnolphus* Bavarus apud Hungaros Patriâ exul egit.

In Ecclesia.

Romæ. Post *Anastasium III. Theodoræ* favore Sedem obtinuit *Lando*, quem excepit *Johannes XI.* An. 912. *Sergii III.* & *Maroziæ* Filius adulterinus (Notatu dignum) miles magis quàm Apostoli imitator.

IMPERATORES
SAXONES.
XI.

(1.) *HENRICUS I. Auceps. Saxoniæ Dux*, *Filius* Ottonis & Luitgardis *Filiæ* Arnolphi *Imp. Natus. An.* 876. *Imperator. A.* 919. †. 936. *in Castello* Himmellauna. *Imp.* 17. *Ætat.* 60.

§. 1.

§. 1. Gessit res præclarissimas, & Imperii ac Germaniæ Pater ac verus restaurator, sine adulatione, vocatus.

§. 2. Adversarium habuit *Arnoldum* Bavariæ D. post obitum *Conradi* è Hungaria reducem. Namque cùm jam jurasset *Henrico*, tamen arma corripuit, caussatus illud *Euripidis. Si violandum est Jusjurandum, regnandi gratia violandum est.* Productis jam in aciem exercitibus, *Arnoldum* ad colloquium provocatum, gravi sermone, ad obsequium reduxit, pacemque fecit. An. 920. *Burcardum* Sueviæ Ducem ad officium quoque adegit. Luitpra. d. loc. Otto Frising. lib. 6. Chron. cap. 18.

§. 3. Lotharingiam à *Carolo Simplice* Galliæ R. sibi & Imperio, Transactione ad *Bonnam* inita, restitutam, recepit. A. 923. Sig. Gembl. ad A. 923

§. 4. Hungari tributum promissum postulantes, Saxoniam, Sueviam & Alsatiam effusè populati sunt; hos *Henricus*, pactis induciis novennalibus, quo tùm potuit modo amovit. An. 922.

§. 5. Interim ad instruendam munitis Urbibus & militari Scientia Germaniam conversus, torpentem Germanorum Virtutem, antiquo vigori restituere, allaboravit; Nonum quemque ex agris in Urbes transtulit, omnique militaris disciplinæ usu erudivit, præmiaque ac gratias merentibus distribuit; Undè quoque Patritiorum, in Liberis Imperii Urbibus jam clarescentium, origo repetenda. Latrones, bannitos, facta gratiâ, in milites legit. An. 923. & 924. Vid. Wolfg. Crauf. Origin. Saxon. lit. C. §. Zu dem hat er ꝛc Draco. de Orig. Pattit. lib. 3. c. 8.

§. 6.

§. 6. Primum restitutæ Virtutis exemplum datum, in expeditione adversùs Wandalos, An. 925. quorum attritorum oppidum *Brandenburgum* fame & ferro expugnavit. *Granum* item, Dalmatiæ oppidum & *Pragam* Bohemiæ subegit. Danos & Norwegos, piraticam exercentes, castigavit. An. 926.

§. 7. Marchionatûs, *Brandenburgensem, Misnensem, Sleswicensem* & *Austriacum*, contrà Normannos, Wandalos & Hungaros constituit

Luitpra. L 2. C. 8. & 9. Aventin L. 4. Annal. Boj. p. 379.

§. 8. Hungaris, elapso novennio, tributum per Legatos repetentibus, canem scabiosum auribus præsectis & virilibus exsectis, transmisit. Furibundi ex hoc Hungari, exercitu 300000. armatorum Germaniam inundarunt, totamque ferè Thüringiam desolarunt. Obviam factus *Henricus* Imp. quamvis æger corpore, in pugna ad *Sondershausiam* 50000. cæcidit, mox ad *Merseburgum* planè obtrivit, cæsis 80000. captis 50000. reliquiæ magna trepidatione præcipites in Hungariæ paludes refugerunt. An. 934.

§. 9. Equiria dein seu *Torneamenta* ad exercendos Nobiles & ad Virtutem adducendos, propositis certis Legibus, *Gôttingæ* instituit. Ann. 934. quæ diu dein in Germania fuerunt celebrata.

§. 10. Uxorem habuit *Mechtildem*, Filiam *Theodorici* Comitis Ringelheimensis (Cujus Filium *Sigfridum* primum *Brandenburgiæ* Mar-

Marchionem fecit) quæ peperit ei, *Ottonem* Imperatorem, *Brunonem* AEpiscopum Colonienſem, *Henricum* Saxoniæ & Bavariæ Ducem, & quinque Filias.

§. 11. *In Bavaria* præfuit *Arnoldus Malus* Filius *Luitbaldi*, qui Italiam ingreſſus ab *Hugone* Rege vincitur An. 931. Bona Eccleſiaſtica in Bavaria militibus, ſtipendii loco, diſtribuit.

§. 12. *In Saxonia. Henricus I.* Imp. primus liberam poteſtatem habuit, eique Thüringia, amiſſo Ducatus nomine, acceſſit.

§. 13. *In Suevia. Burcardus I.* prælio ad *Wittodurum* vicit *Rudolphum II.* Burgundiæ R. generum ſuum. Ann. 919. occiſus dein in Italia. An. 926. Succeſſorem habuit *Hermannum*; qui ducta *Wida Burckardi* vidua ab *Henrico I.* Imp. fuit confirmatus.

§. 14. *In Lotharingia.* Præfuit *Giſelbertus*, Procerum Conſenſu electus. An. 920. fatigatus à *Roberto* Galliæ R. *Henrico* Cæſari ſe ſubmiſit. An. 921. & *Gerbergam* ejus Filiam in matrimonium duxit. An. 929. Vid. Brovver. Annal. Trev. T. I. L. 9. p. 446.

§. 15. *In Italia. Berengarius* à *Rudolpho II.* Burgundiæ R. victus & Regno privatus obiit. An. 924. quod tamen *Rudolphus*, *Hugoni* Comiti Arelatenſi *Guidonis* Fratri reſtituit. An. 927. qui *Maroziam* duxit. Sarraceni Italiam fatigantes, ab *Alberico* Hetruriæ Marchione, adjuvante *Johanne XI. P. R.* fuſi fugatique. Mox colliſi uterque; *Albericus* Hungaros in

Italiam vocavit, magna ditionum & maxima ipsius Hetruriæ ruinâ. Hinc capite plexus à Romanis, & *Johannes* Papa, à militibus *Guidonis* occisus est. *Hugo* Rex, cùm *Alberico, Maroziæ* Spurio, alapam iratus impegisset, tumultu ab hoc excitato, *Roma* fuit ejectus. Ann. 933.

Luitpra. Lib. 2. C. 16. 17. & 18. §. 16. *In Burgundia. Rudolphus II.* regnavit. †. An. 936.

In Ecclesia.

Romæ. *Johanni XI.* occiso successit *Leo VI.* A. 925. & huic *Stephanus VII.* A. 926. quem veneno à *Marozia* sublatum excepit. *Johannes XII.* An. 929. Filius Nothus *Sergii III.* & hunc *Leo VIII.* Hac ætate, Episcopi Orientis *Pallium* à Romanis petere desierunt.

XII.

(2.) *OTTO I. Magnus. Filius* Henrici I. & Mechtildis. *An.* 936. *Imperator coronatus à Friderico Episcopo Mogunt.* †. *A.* 973. 7. *Maji. Imper.* 36.

§. 1. Plurima gessit & præclarissima. Princeps Pius, Prudens & Fortis; multos Episcopatûs instituit, ut, *Magdeburgensem. Naumburgensem, Brandenburgensem, Havelbergensem, Misnensem, Merseburgensem* & alios.

§. 2. Rem Germanicam, insigni Nationis & gloria & commodo restituit, eaque quæ *Carolus M.* tenuerat, virtute recuperavit. Sicuti

cuti autem Principes Germaniæ, potentia indies aucti, ægrè Imperatoribus parere cœperant, ita Æmulorum ac tumultuum fat habuit *Otto* gloriosissimus.

§. 3. Fratres *Tanquardus* (*Hatteburge* prima *Henrici I.* Imp. Uxore, Virgine Moniali, genitus) & *Henricus*, Imperium uterque ei controversum reddidit. Auxiliatores eorum fuerunt, *Eberhardus* Comes Palatinus, *Giselbertus* Lotharingiæ Dux, & *Fridericus* Episcopus Moguntinus. Imperatoris à partibus, præter Saxones, stabant præcipuè *Conradus* Franconiæ, & *Hermannus* Sueviæ Duces. *Tanquardus* à militibus *Ottonis*, occisus est. Luitpra. l. 4. cap. 8. & seqq.

§. 4. Imperator *Brisacum* obsedit, & in pugna prope *Andernacum* Superior fuit. *Eberhardus* cæsus; *Giselbertus* fugiens in *Rheno* submersus. *Henricus Merseburgi* obsessus, supplex veniam impetravit, data ipsi Bavaria. Ann. 938. *Fridericus* Episcopus captus, tandem ab *Ottone* clementer fuit restitutus.

§. 5. Lotharingiam occupavit *Otto* Imperator, repulso *Ludovico IV. Ultramarino* Galliæ R. ac Fratri suo *Brunoni* AEpiscopo Coloniensi concessit A. 939. Eundem *Ludovicum* Regem (qui *Ottonis* Sororem *Gerbergam*, *Giselberti* Lotharingi Viduam duxerat) ab *Hugone Capeto* Comite Parisino captum, ingenti exercitu in Galliam movens, restituit. An. 945. ejusque auxilio *Conradus* Burgundiæ Rex homagium Imperatori præstare fuit coactus. Belgium quoq; recuperavit. A. 950. Otto Frising. L. 6. Chron. Cap. 9.

§. 6.

§. 6. In Italia, *Hugo* Rex, Monasterium ingressus est. Ann. 945. Undè lis de Regno, inter *Berengarium II.* Forojulii Ducem & *Lotharium* Comitem Arelatensem, hoc veneno sublato, An. 950. fuit terminata, *Berengario* superstite. Apulia & Calabria, partim Græcis, partim Sarracenis parebant. Hungari Duce *Salardo*, occasione temporum, Italiam adorti, *Brixiam*, *Bergamum*, *Papiam* deleverunt. Adversùs eos *Henricus* Bavariæ Dux, Frater *Ottonis* cum exercitu movit, iisque duobus præliis victis atque ejectis, Italiam ab Aquileja usque *Papiam* occupavit.

§. 7. *Berengarius* hæc agrè ferens, *Henricum* rursus ejecit, totamque Italiam subegit; Filium *Albertum* Romanorum Regem proclamavit. *Adelheidem* ex Fratre *Lothario* Neptim, an ejusdem viduam, in carcerem conjecit, adempta illi *Papia*, quam Dotalitii loco tenebat. An. 950. atque ubique, Tyrannum egit.

Vid. Hroswvitha. Monial. in vita Otton. I. Regino. ad Ann. 951. & seqq.

§. 8. Papa (erat *Agapetus II.*) qui *Berengarium*, hactenùs non admodum potentem, Germano cuivis prætulerat, jam sibi formidabilem factum, ex maxima sibi perpetua, aversatus est, & *Ottonem* Imp. contrà Illum in Italiam vocavit, qui pulsis *Berengario* & *Alberto*, *Alundam* (*Adelheidam*) carcere liberatam, Uxorem duxit. Ann. 951. Illis tamen Papæ reconciliatis, Longobardiam regendam restituit, & in Germaniam reversus est.

Ann.

Ann. 952. Ubi mox *Luitholfum* Filium rebellem habuit.

§. 9. Ex prima Uxore *Juditha* Angla, susceperat hunc *Ludolfum* & *Wilhelmum* AEpiscopum Moguntinum. Ex *Adelheide* verò *Ottonem II.* *Ludolfus* duxerat *Idam* Filiam *Hermanni* Suevix D. huncque Ducatum cum Wormatia acceperat. Ann. 950. Verùm ob suprainductam Novercam Patri infensus & metuens ne frater Junior, Imperium sibi præriperet, cum *Conrado* Franconiæ D. Sororio (habebat enim in matrimonio *Luitgardim* Sororem *Ludolfi*) & Fratre *Wilhelmo* Episcopo, contrà Patrem conspiravit, adjunctis sibi Filiis *Arnoldi* Nordgojæ Ducis, quibus *Otto* Imp. ademptam Bavariam, *Henrico* Fratri suo dederat. Sig. Gembl. ad A. 952 & seqq.

§. 10. Imperator expugnatis compluribus Urbibus, Filium & generum Moguntiæ, per 2. menses tenuit obsessos, sed neque oppugnando neque paciscendo ad officium reducere valuit.

§. 11. Interim *Arnoldus II.* Filius *Echardi* Comitis Schyerensis, *Ratisbonam* expugnavit & diripuit, in exilium pulsa *Henrici* familiâ. *Ludolphus* & *Conradus*, clàm *Moguntiâ* elapsi eodem se contulerunt. Hinc *Otto* & *Henricus* *Ratisbonam* obsederunt, & cæso inter oppugnandum *Arnoldo II.* inita pactione ceperunt. Suevia *Luitholfo* adempta & *Burckardo II.* data. Ann. 954. postea supplex & nudi-

nudipes veniam precatus à Patre obtinuit. *Conradus* in Hungariam profugit & Hungaros excitavit.

Regino ad A. 955. Otto Frising. l. 6. c. 20. §. 12. Itaque Hungari *Augustam Vindelicorum* obsederunt, tanto exercitu ut palàm dicerent: *Vinci se non posse, nisi cœlo delapso obruerentur, vel terra dehiscente absorberentur.* Sed *Otto* Imp. cum 50000. armatis eos adortus ad *Lycum* Fluv. tanta strage obtrivit, ut vix nuncius cladis elapsus fuerit. *Conradus* Dux quoque cecidit. An. 955.

Vid. Dubrav. Histor. Bohem. Lib. 7. § 13. In Bohemia regnavit *Wenceslaus I.* Dux, Princeps Pius & Christianus, hunc *Boleslaus* Frater, & *Drahomira* Mater crudeles & impiæ, in Convivium vocatum trucidarunt, & *Boleslaus* Ducatum occupavit. Itaque *Otto* inducto Bohemiæ exercitu, *Pragam* expugnavit. A. 949. atque *Boleslaum* subegit.

§. 14. *Misiconem* Slavorum R. Germaniam lacessentem, in fidem accepit, & tributum ad *Varram* usque Fluv. solvere coegit. An. 956.

§. 15. *Haraldum* Daniæ R. (quod Sleswici Marchionem trucidaverat) victum ita pressit, ut Regnum Jure feudi ab Imperatore acciperet. Vandalos quoque delevit. An. 962.

§. 16. In Italia *Berengarius II.* & *Albertus* Tyrannos agere perrexerunt, fautore *Johanne XII. P. R. Albertus* Venetos vexavit. Vocatus ab Episcopis Italiæ *Otto* Imp. *Luitholdum* Filium eò misit. An. 956. qui pulso *Berengario* & *Alberto*, Cæsar denuò vocatus, acclaman-

clamante Populo: *Vivat Imperator Maximus.* urbem introituro, Papa juratam extorsit promissionem; Quod velit Ecclesiæ reddere omnem terram *S. Petri*, quam possideret; honorem, vitam, membra Papæ defendere; Urbem Romanam non ex proprio arbitrio ordinare.

Vid. Can. Tibi Domino D. ll. 98. Contin. de Finib. Imper. Cap. 20.

§. 17. Indè in Urbem admissus & coronatus, Papam de sceleribus suis corrigendis amicè quidem sed graviter admonuit. At Sanctissimus Pater, relicta *Roma* in Silvas aufugit, tandem ad *Berengarium* contrà Juramentum suprà corpus *S. Petri* præstitum, defecit.

§. 18. *Otto* Imp. habito Concilio, ipsum sede indignum deposuit, substituto *Leone IIX.* An. 963. inde *Spoletum* itinere contendit adversùs *Berengarium*. Eo absente, Fautores *Johannis XII.* hunc, pulso *Leone*, restituerunt, & paulò pòst in adulterio deprehenso & occiso suffecerunt *Benedictum V. Johanni* haud dissimilem.

Platin. in Johan XII. Luitpr. L. 1. C. 7. & L. 6. C. 6. & seqq.

§. 19. Offensus hac re *Otto*, *Romam* rediit, captoque *Benedicto*, *Leonem* restituit, Romanos seditiosos compescuit, decollatis plurimis. Cùmque prudenter animadverteret, Romanos pacatos non fore, Jus omne eligendi Imperatorem iis ademit, atque *Leo P. R.* eadem de causa, Imperatori eligendi Pontificem & investiendi Episcopos, ultrò restituit. An. 964. Hæc quidem enervare studet *Baronius* Cardinalis, sed ei refellendo eleganter sufficit

in Annal ad A. 964.

De L. E. G. L. 3. Cap. 5. §. 12 & C. 8. §. 7. sufficit vel solus *Schilterus*, Vir, dùm viveret, hac in materia eruditissimus.

§. 20. Dein *Berengarium* captivum cum Uxore *Bambergam* relegavit; *Albertum* Cpolim; *Benedictum* quoque secum in Germaniam abduxit, *Hamburgi* mortuum.

§. 21. Posthæc *Leo VIII.* fata explevit, Successore *Johanne XIII.* An. 966. Sed Romani hunc captum in Campaniam relegarunt. *Otto* Imp. re audita, tertium in Italiam venit, Senatum Romanum partim in Exilium misit, partim severo supplicio affecit, & inter hos Petrum Urbi Præfectum; restituto *Johanne* Ann. 967.

§. 22. Sarracenos Apuliam & Calabriam vastantes *Otto II.* Romanorum Rex cæsit, eisque has provincias eripuit, missis insuper Legatis Cpolim, *Nicephori II.* Imp. Filiam *Theophaniam* in Uxorem petiit. *Nicephorus* Legatos non solùm contumeliosè exceptos negatione remisit, sed etiam (Apuliam & Calabriam ab *Ottone* occupatam indignè ferens) icto cum Sarracenis fœdere, Græcorum manum armatam in Italiam misit, sed ab *Ottone* victi fugatique sunt. Ann. 970. Undè territi Græci, interfecto *Nicephoro*, *Theophaniam Ottoni II.* transmiserunt, quam copulante *Johanne P. R.* duxit. An. 971.

Otto Frising. L. 6 Cap. 24.

§. 23. *Otto* Imp. Ecclesiasticis Feuda Regalia & Jurisdictionem secularem primùm tribuit. Nam *Brunoni* Archiepiscopo Coloniensi

niensi Lotharingiæ Ducatum concessit; (quamvis *Cranzius* scribat, *Brunonem* saltem Administrationem hujus ducatus habuisse) *Gislero* Archi-Episcopo Magdeburgensi, ducatum Schwartavicum ad *Albim* dedit. Similiter *Landwarto* Episcopo Mindano Regalia & Terras adjecit, *Forchemii*. Ann. 961.

Chron. Saxon. l.4.c.13. Rheinec de Orig. Sax.p.14 & 23. Witikind. L.I p.11. in Fin. Regin. ad An.938.

§. 24. *In Bavaria* †. *Arnoldus*. Ann. 937. Succedente *Bertoldo* fratre, ab *Ottone* Imper. illius filiis prælato. Ann. 938. †. Ann. 945. Hinc Imperator ducatum dedit fratri suo *Henrico*, qui partem quoque Italiæ occupavit. †. Ann. 655. Ei successit filius *Henricus Hezelius*.

§. 25. Saxoniam Inferiorem *Otto*. Imp. concessit *Hermanno Billingo à Stubenkorn*, cui †. 973. successit filius *Benno*.

§. 26. *In Suevia*. Præfuit *Hermannus* †. 948. relictâ filia *Ida* seu *Juditha*, quam cum ducatu Uxorem accepit *Ludolfus Ottonis* Imp. filius. Remoto à Patre ob rebellionem Ann. 954. suffectus fuit *Burckardus II*. filius *Burckardi. I*. †. 973. successore *Ottone* filio *Ludolfi*.

§. 27. *In Franconia* præfuit *Conradus II*. †. 955. Ei successit filius *Otto*.

§. 28. *In Lotharingia*. *Giselberto* in *Rheno* submerso Ann. 939. successit *Henricus* frater *Ottonis* Imp. †. 940. Suffectus fuit *Otto* Comes ex Franconiæ ducum stemmate. †. 943. Eum excepit *Conradus* ex eadem stirpe, Gener

Imp. posteà rebellans occisus. Ann. 955. Ei successit *Bruno* filius *Henrici I.* Imp.†. 965.

Sig. Gembl. ad Ann. 945. §. 29. *In Burgundia.* *Conradus* Patris successor, Imperatori homagium præstitit. Ann. 945.

In Bohemia.

Uratislaus I. & filius *Wenceslaus Sanctus*, à fratre hujus *Bogislao* & Matre *Drahomira* interfecti sunt. Sed illum domuit *Otto* Imp. & hanc terra dehiscens vivam deglutivit. Ei successit filius *Bogislaus II.* Princeps Pius & mitis.

In Hungaria.

Toxy successit filius *Geysa*, qui opera *Pilgrini* & *Wolfgangi* usus, primus Christo nomen dedisse scribitur. Ann. 969. & 973.

In Oriente.

Constantinus VII. à filio *Romano I.* veneno sublatus est. Ann. 959. Imp. 48. qui Duce *Nicephoro* Candiam Turcis iterùm eripuit; Cui Iste *Nicephorus II.* successit. A. 963. qui rem habuit cum *Ottone II.* Interfecto à Copolitanis Ann. 970. Imp. 7. successit filius *Johannes I. Zemisces.*

In Ecclesia.

Romæ. *Leonem VII.* excepit *Stephanus VIII.* cui à Romanis cæso suffectus est *Martinus III.* Ann. 942. & huic *Agapetus II.* A. 952. quem excepit *Johannes XIII.* An. 955. homo nefarius, qui in Diaboli amorem bibere solitus & in adulterio occisus est. Successorem habuit

buit *Benedictum V.* Ann. 961. remotum mox ab *Ottone* Imp. suffecto *Leone VIII.* Ann.963. Ei successit *Johannes XIV.* An. 968. qui Campanas primus baptizare cœpit.

XIII.

(3) Otto II. Filius *Ottonis I.* & *Adelheidis* Natus. Ann. 955. Rex Romanorum Ann. 961. Imperator. An. 973. †. 983. Imp. 10. Æt. 28.

§. 1. Turbulentum habuit Imperium, unde se tamen mira dexteritate extricavit. *Henricus Hezelius* Patruelis Bavariæ Dux, Imperio inhians, arma arripuit & socios collegit. Sed eum *Otto* Imp. magna celeritate oppressum, ad veniam petendam adegit. An. 974. & quoniam *Haraldus VI.* Daniæ R. suppetias *Henrico* tulerat, contra fidem Imperio datam, hunc adortus adeo terruit, ut pacem & fidem repetierit. Ann. 976. Lamb. Schafnab. ad An. 974. & seqq.

§. 2. *Lotharius* Franciæ R. *Ludovici IV.* filius, Lotharingiam occupaverat, & *Ottonem* Imp. *Aquisgrani* degentem tantum non oppresserat. Ann. 978. Quapropter Imperator in Galliam cum exercitu profectus, *Parisios* usque penetravit, suburbia incendit, agros vastavit, *Lothariumque* ad renunciandum *Lotharingiæ* adegit. At in reditu, *Axonam* fluvium exercitum trajicientis terga, Franci insecuti, male habuerunt. Ann. 979. Sig. Gembl. ad Ann. 978. & seqq.

§. 3. Apuliam & Calabriam (quam Im-

Otto Frising. L.6.Chr. Cap. 26. perator ab Uxore dotis nomine acceperat) Græci Sarracenis juncti invaserunt. An. 982. Undè Imperator in Italiam properavit, & Sarracenos nobilissima pugna prostravit, ita ut indè, *Sarracenorum mors pallida*, fuerit cognominatus.

§. 4. Sed in secundo prælio, Italorum perfidiâ, ad *Basentellum* victus, ægreque elapsus, navim conscendit & altum petiit. Navi à piratis capta, cum cæteris captivis in Siciliam abductus, ibique à mercatore quodam agnitus est; qui clàm Augustæ *Theophaniæ* rem detulit, ac ita piratis ignotus fuit redemptus. Alii tradunt; captum ab hostibus, linguæ Græcæ peritiâ & nandi arte dilapsum.

Lamber. Schafnab. ad An. 976. §. 5. Inde pœnam de Italis sumpsit; initium proditoriæ fugæ à *Beneventinis* & *Romanis* datum fuerat. Quare *Beneventum* expugnatum ferro flammisque delevit. Dein *Romam* profectus, Proceres ad convivium vocatos, interemit, cognomine *Sanguinarii* indè contracto.

§. 6. Tandem, acceptæ cladis pudorem, novo hostium sanguine ablutuus, venenata sagittâ saucius, vitam deposuit.

In Bohemia.

Boleslao II. successit *Boleslaus III.* quem *Misico* Polonorum Dux captum excœcavit; *Praga* fame ad deditionem compulsa.

In Hungaria.

Geysa adhuc regnavit; ob Christianismum ingruentem varii motus fuerunt. *In*

In Bavaria.

Henricus Hezelius pulſus ab *Ottone* Ann. 976. reſtitutus eſt. An. 982.

In Saxonia.

Præfuit ipſe Imperator. Inferiorem rexit *Benno* ſeu *Bernhardus I.*

In Suevia.

Otto Dux, Bavariam pulſo Henrico obtinuit. †. 982. Ei ſucceſſit *Conradus I.*

In Franconia.

Ottoni Comiti ſucceſſit *Henricus I. Hezilo.* Floruit quoque *Otto I. Witteſpachius* Comes Palatinus, Stirps Domuum *Bavaricæ* & *Palatinæ.*

In Lotharingia.

Poſt obitum *Brunonis* nullus fuit Dux, ſed per Comites illa fuit adminiſtrata; quibus etiam *Comitátus Montanus* fuit conceſſus. Tandem *Carolus Lotharii* Galliæ R. frater Ducatum obtinuit.

In Oriente.

Johannes I. Sarracenos vicit & Ruſſos; Ei fraude cujusdam Eunuchi ſublato. An. 975. Imp. 5. ſucceſſit *Baſilius II.* & *Conſtantinus* VIII. filii *Romani I.* Rem habuerunt cum *Ottone II.*

In Eccleſia.

Romæ *Johanni XIV.* ſucceſſit *Benedictus VI.* quem *Bonifacius VIII.* ſtrangulavit. A. 974. qui vaſa ſacra compilavit & Cpoli publicè vendidit, pecuniamque *Romæ* luxu perdidit,

An. 975. & ut canis est mortuus. Successorem habuit *Benedictum VII.*

XIV.

(4) OTTO III. Filius *Ottonis II.* Ex *Theophania.* Natus, Ann. 973. Imper. An. 983. †. 1001. Imp. 18. Ætat. 28.

Sigib. Gembl. ad Ann. 983. seq. §. 1. Inordinatas Imperii res, summa dexteritate & felicitate pacatas reddidit. Aliqui Principum *Henricum Hezelium* elegerant, quem autem fortiter repressit, & pacato Bavariam restituit. Ann. 984.

§. 2. Bohemiam victo *Boleslao* domuit. Ann. 986. Cùmque *Hugo Capetus* Comes Parisiensis, sublato à *Blanca* Uxore *Ludovico V.* Galliæ R. non solùm Regnum arriperet. An. 987. Verùm etiam *Carolum Ludovici V.* Patruum Lotharingiæ ducem captivum abducens, Lotharingiæ quoque inhiaret. *Otto* in Lotharingiam movit & *Hugonem* coëgit Lotharingiam restituere *Ottoni Caroli* D. Filio Ann. 992. Indè Slavos irrumpentes pervicit. Ann. 993.

§. 3. Romæ *Crescentius Nomentanus* Consul ab Italis electus, omnia impotenter gesserat, cuncta Magistratuum munia in se trahens. *Otto* Imperator Papam fecerat *Brunonem* Saxonem (*Ottonis* Alemanniæ D. Filium *Luitboldi* Nepotem) sub nomine *Gregorii V.* Hunc *Crescentius* & Romani tumultu vexatum

Lamber. Schafn. An. 996. seqq.

tum

tum ejecerunt. *Bruno* in Hetruriam & indè in Germaniam profugit, *Ottonis* auxilium implorans.

§. 4. Hic Imperator maximè infensus, cum ingenti Exercitu in Italiam movit, Romanos in deditionem accepit; *Crescentium* cum XII. Proceribus exquisito supplicio affecit. *Johannem* Episcopum Placentinum noviter Papam ab Italis electum luminibus orbavit & *Gregorium* restituit. Qui omne Jus eligendi Imperatorem Romanum Italis ademptum, Principibus Germanis solis in posterum exercendum, lege lata cum Imperatore, addixit. Electores autem eo ipso institutos fuisse falsò colligitur; cùm satis constet, Jus eligendi, in sequentium Imperatorum electionibus, etiam alios Principes & Prælatos exercuisse, qui inter *Septem Electores* nunquam fuerunt numerati. Hujus fabulæ primus Author fuit *Martinus Polonus*, qui vixit circà medium seculi XIII.

§. 5. In Constitutione dein sua *Otto* Imp. Papæ variæ bona & reditus donavit, undè comodiùs viveret. Hanc donationem continuisse *Patrimonium Petri* etiam quoad Dominium directum, prolatis tabulis, contendit Cardinalis *Baronius*. At *Sigonius* has tabulas ponere ausus non est; eas non existimans genuinas. Esse autem falsas & fictas multis commonstrat *Conringius*, idque patet ex ipsis verbis Constitutionis Ottonianæ,

Vid. Lehman Chron. Spir. l. V. cap. 15.

de Fin. Imper. C. 10.

J.P.T. 2. L.2.T.12 quam refert *Schilterus*; utpotè quibus ipsa *Caroli Calvi* donatio infirmatur & nulla declaratur.

§. 6. *Brunoni* defuncto Imperator substituit *Sylvestrum II.* An. 999. contrà hunc & *Ottonem* tumultum excitarunt Romani, utrumque in Palatio obsidentes, & actum forsan fuisset de vita Imperatoris, nisi *Henricus* Bavariæ Dux & *Hugo* Marchio Italiæ, pace Sig. Gembl. ad Ann. 1002. pacta, eum salvum urbe eduxissent. Tamen insidias Italorum effugere non potuit; abituro enim Italiâ, vidua *Crescentii* (quæ ejus nuptias speraverat) frustratæ spei & occisi mariti vindictam anhelans, chirothecas veneno infectas ultimo muneri misit; quibus cùm manus vestiret Imperator, meante subtiliter per arterias veneno, adhuc intrà fines Italiæ animam deposuit.

Otto Frising. L.6.Chr. C. 26. §. 7. Ob Prudentiam & admirandum in Scientiis Divinis & Humanis ingenium, cognomen habuit. *Mirabilia mundi.*

§. 8. Uxorem procacissimam, *Mariam* Arragonicam, vivam combussit, quòd Comitis Mutinensis amplexus frustrà petens, Lehma. Chron. Spir. L.V C. 14. hunc attentatæ suæ pudicitiæ reum falsò detulerat, capitis propterea damnatum.

In Bohemia.

Boleslao III. successit frater *Udalricus*.

In Hungaria.

Hungariæ nova lux affulsit. *Geysæ* successit *Stephanus* Filius, qui ducta in Matrimonium

nium *Gisela Henrici II.* Imp. Sorore, cooperante *Adelberto* Episcopo Pragensi, cum subditis Christianam vitam accepit. Ann. 1000. Papa ipsi transmisit cum Corona aurea Crucem Episcopalem, undè insignia vetera Hungariæ fuerunt. *Crux Episcopalis Argentea, super colle Prasino, in scuto Coccineo.*

In Bavaria.

Post *Henricum Hezelium* †. 996. præfuit Filius *Henricus III.* mox Imperator.

In Saxonia.

Superiorem tenuit *Otto* Imp. Inferiorem rexit *Bernhardus I.*

In Suevia.

Conrado I. †. 997. successit *Hermannus II.* Filius *Ottonis.*

In Misnia & Thuringia.

Floruit *Eckardus* miserè occisus à *Sigfrido* Comite in *Northeim.* Ann. 1002.

In Lotharingia.

Præfuit *Carolus*, sub quo *Alsatia* à *Lotharingia* fuit sejuncta, an sub filio *Ottone*, qui Patri †. 991. successit. †. 1005.

In Burgundia.

Conradum II. †. 994. excepit filius *Rudolphus III. Piger*; sub quo floruit *Beroldus Hugonis* Marchionis Italiæ filius, ex *Witichindi* Prosapia oriundus, & à *Rudolpho* accepit *Comitatum Moriennæ*, hic est *familiæ Sabaudicæ* Stirps & Sator. Ann. 1000.

In Oriente.

Imperatores prædicti imperarunt.

In Ecclesia.

Benedicto VII. succeffit *Johannes XV.* quem in carcere fame necatum excepit *Johañes XVI.* Ann. 985. cui à Synodo Rhemenfi damnato fubftitutus eft ab Imperatore *Gregorius V.* Ann. 996. quem dejecit *Crefcentius* Conful. Ann. 997. electo *Johanne XVII.* quem Imperator *Otto*, oculis privatum removit, fuffecto *Sylveftro II.* Ann. 998.

XV.

HENRICUS II. Claudus. Filius *Henrici Hezelii* Bavariæ D. & *Gifelæ*, Nat. Ann. 972. *Henrici I.* Imp. pronepos. Ab omnibus Imperii Principibus fuit electus. Ann. 1002. †. An. 1024. 3. Id. Jul. Imperii. 23. Ætat. 52.

§. 1. Cognomina habuit varia; *Claudus* fuit appellatus à pedum vitio; quòd captus à Saracenis, elufisque cuftodibus, è contignatione, in qua detinebatur profiliens, alterum pedem fregiffet. *Sanctus* fuit vocatus à continentia fua, namque Conjuge virginea, virgo permanfit & ille. *Pater Monachorum* dicebatur à liberalitate in Ecclefias & Ecclefiafticos exercita, undè *Apotheofi* poft mortem fuit donatus.

Sigeb. Gembl. A. 1002. feqq. §. 2. Contenderunt cum eo de Imperio *Echardus* Marchio Mifniæ; *Henricus* Marchio Auftriæ & *Hermannus II.* Suevîæ D. Infignia Imperii erant penès *Heribertum* Archiepifcopum

pum Colonienſem, qui ea tradere primò recuſavit, ſed poſteà coactus tradidit, & *Henricus* repreſſis æmulis à *Willigiſo* Moguntino fuit coronatus.

§. 3. *Arduinum* Marchionem, Italici Regni uſurpatorem fugavit. An. 1005.

Jaromirum Bohemum *Boleslai III.* fratrem in Bohemiam reduxit.

Vandalos debellavit, Polonos ſubegit, Slavos fregit.

Expeditione in Lotharingiam ſuſcepta, *Balduino IV.* prius rebelli, dein victo & ſupplici *Zelandiam Inſulam* in feudum dedit, Ann. 1007.

§. 4. Inde in Italiam profectus, coronam à *Benedicto VIII.* accepit. Ann. 1014. Cùmque Saraceni, irruptione in Campaniam facta, Græcis juncti popularentur, *Capuamque* expugnaſſent, eos prælio ſuperatos Apulia & Calabria expulit; qua in re præcipua fuit opera *Guilielmi Ferebachii* Normanni, *Tancredi* Filii, cui quoque Apuliam & Calabriam conceſſit. Ann. 1022. Herman Contr. ad Ann. 1022. in Nov. Cod.

§. 5. Plurimos Epiſcopatus & Eccleſias reſtauravit, ditavit, aut condidit, quas inter quoque eſt Baſilienſis. Bambergenſem Epiſcopatum fundaturo reſtitit *Benedictus VIII.* Papa, centum marcarum argenti & candidi equi præſtationem annuam poſcens.

§. 6. Multa de ejus ſanctitate & pietate poſteris tradiderunt Monachi, at ſanè graviſſimis farta mendaciis.

§. 7.

Vid. Alb Crauz. l.4. Sax. Cap. 32. §. 7. Uxorem habuit *Kunigundam Sigfridi* Comitis Palatini filiam; quam moribundus virginem adhuc illibatam, familiæ reddidiſſe ſcribitur. Ille diem fatalem implevit *Græningæ*.

In Bohemia.

Jamirus ope *Henrici* Imp. Polonos ejecit; *Pragam* recepit, fratrem *Udalricum* excœcavit, ut ſolus regnaret.

In Hungaria.

Stephanus I. regnavit.

In Bavaria.

Henrico Imperatori ſucceſſit uxoris ſuæ frater *Henricus IV. Hezilo.*

In Saxonia.

Superiorem rexit *Bruno Henrici* Imp. patruelis. In inferiori *Bernhardo I.* †.1010. ſucceſſit Filius *Bernhardus II.*

In Suevia.

Hermanno II. (qui *Argentoratum* diripuit) ſucceſſit Filius *Hermannus III.* Ann. 1004. quem mortuum excepit *Erneſtus I.* Marchio Auſtriæ gener. Ann. 1012. cui in venatu à Comite *Adalberone* ſagitta occiſo. An. 1015. ſucceſſit Filius *Erneſtus II.* uſus tutore Patruo *Poppone* Archi-Epiſcopo Trevirenſi. (Otto Friſ. lib. 6. Chro. Cap. 28.)

In Franconia.

Henricum excepit *Conradus* mox Imperator.

In Thuringia.

Inter reliquos Comites excelluit *Wilhelmus* Vinarienſis, Comes Diethmar. In

In Lotharingia.

Post fata *Ottonis*, Ducatus divisus est, in *Mosellanicum* & *Ribuariorum*. Iste paruit *Gothofredo*, qui cum *Balduino IV.* Flandriæ Com. debellavit. Ann. 1007. *Gerhardum* Namurci Com. superavit. An. 1014. Frisios dein castigaturus, captivitatem subiit. Ann. 1018. qua iterùm liberatus †. 1019. successore *Gothilone* fratre. Illum rexit *Theodoricus*, quem *Theodoricus* Episcopus Metensis in custodiam abduxit. A. 1009. Eum excepit *Fridericus I.* Sigeb. Gembl.: ad d.An.

In Oriente.

Sceptrum adhuc tenuit *Basilius II.* Bulgarorum domitor. Saracenorum Rex *Asphalis*, per nepotem suum *Belchiarocum*, Asiam minorem & Palæstinam cum urbe *Hierosolyma* occupavit. *Meleclas* Pater *Belchiaroci Antiochiam* Græcis eripuit. Ann. 1008.

In Ecclesia.

Synodus *Neomagi* habita. Ann. 1018. in qua Statutum, ut in celebratione *Missæ*, calix ad sinistram, panis verò ad dextram poneretur. Romæ *Sylvester II.* Dæmonomaniæ addictus, Sathanæ animam pacto obligavit, mox deceptus ab hoc ambiguo *Hierosolymæ* nomine, solvit dùm *missam* celebraret. Ann. 1003. Successor ejus *Johannes XVIII.* purgatorium & festum omnium animarum, primus commentus est. Cardinalitia quoque dignitas majorem splendorem indies accepit. Ei suffectus est *Benedictus VIII.* Ann. 1013. magiæ Platina. in Vit. Pap.

giæ itidem amator, post mortem equo nigro insidens in loco quodam deserto, Episcopo cuidam apparuit.

XVI.

(1) CONRADUS II. Salicus, *Henrici* Franconiæ D. ex *Adelheide* Filia *Eberhardi* Alsat. Comit. Filius Ob varia spectatæ virtutis specimina, à morituro Imperatore Principibus Imperii commendatus, post aliquam discordiam fuit electus. A. 1025 & ab *Aribone* Moguntino, & posteà à *Johanne* Papa coronatus. An. 1027. †. 1039. Imper. 15.

§. 1. Italicæ Civitates, imprimis Mediolanenses, Ticinenses, Ravennates, Parmenses cives defecerant, quos Imperator, creato in Principum conventu filio *Henrico* Romanorum Rege, cum exercitu Alpes transcendens, compescuit, fontes & motuum authores punivit, reliquis generosè pepercit, & *Romæ* cum *Gisela* conjuge coronam accepit. An. 1027. *Romani* facto contra Germanos tumultu, ab his magna clade urbe fuerunt pulsi, mox domitis Romanis pax coiit.

Otto Frif. lib. 6. Chro. Cap. 27. Sigeb. Gembl. ad Ann. 1026. & seqq.

§. 2. Interim *Ernestus* Suevus Imperatoris privignus; *Conradus* Franco & *Fridericus* Lotharingicus, rebelles facti, sed ab Imperatore mox oppressi & ditionibus exuti fuerunt.

§. 3. Obiit hac ætate improlis *Rodolphus III.* Burgundiæ Rex, atque Regni insignia transmisit *Conrado* Imperatori. Ann. 1032. *Eudo* Campaniæ Comes *Rodolphi* Re-

gis

gis ex Sorore nepos, coronam imposuit, atque Imperatori armatus obstitit; sed mox victus est. Itaque *Conradus Genevæ* ab Episcopo Mediolanensi Rex Burgundiæ coronatus est, atque ita hoc Regnum Imperio iterùm fuit conjunctum.

§. 4. *Stephanum* Hungarum Italorum fœderatum & Bavariam vastantem repressit.

Misconem Polonum coëgit nomen Regium, quod sponte assumpserat, deponere & tertiam Poloniæ partem ipsi ademit. An. 1035.

Vandalos quoque atque Slavos belli Polonici occasione irrumpentes castigavit.

§. 5. In Concilio *Triburi* propè *Moguntiam* acto, mores clericorum castigavit. Constitutionem de pace tuenda promulgavit, & multa alia laudabilia egit.

Animam reddidit *Trajecti ad Rhenum* & *Spiræ*, ubi Templum magnificum exstruere coeperat, primus fuit sepultus.

In Bohemia.

Jamiro successit *Bozelislaus I.* Filius *Udalrici*, Ann. 1037.

In Hungaria.

Stephanus ab Imperatore in Bavaria victus obiit Ann. 1038. successore nepote ex filia *Petro Alemanno*, qui fuit Princeps sævus & crudelis, sub quo Hungari à fide Christiana iterùm desciscere cœperunt.

In Bavaria.

Henrico IV. †. 1026. successit Filius *Henricus V.*

Helmol. *In Saxonia.*

Lib. I. Chron. Superiorem rexit *Ludolfus* Filius *Brunonis*.
Slav. c. 16 Inferiorem tenuit adhuc *Bernhardus II.* qui Imperatori rebellis extitit. Slavos oppressit, atque Saxoniam Imperatori fecit contumacem.

In Franconia.

Imperator Fratrem Eberhardum coëgit cucullam assumere. Ducatum verò dedit *Conrado IV.* Filio Conradi Carinthiæ Ducis. Iste quidem rebellis extitit Imperatori,
Wipp. in Vita Conf. Sal. ad A. 1027. seqq. posteà autem eum facti pœnituit. Undè in gratiam receptus & proscripto Adalberone Carinthiæ Duce, hujus Ducatum ab Imperatore obtinuit. 1034 †. 1039.

In Suevia.

Ernesto II. ab Imperatore ob iteratam rebellionem cæso. 1030. successit ejus Frater *Hermannus IV.* qui itinere in Italiam suscepto ibidem obiit. 1038. Imperator ei substituit Filium suum *Henricum*.

In Thuringia.

Post *Wilhelmum Vinariensem*, Imperator *Ludovicum Barbatum, Caroli* Lotharingiæ D.
Dillich. p. 2. Chr. Hass. p. 130. Filium, ex Vice-Domino Thuringiæ primum creavit Landgravium. 1036. & hodierna concessit insignia, nempè, *Leonem coronatum, octo tæniis argenteis & coccineis fasciatum, in scuto cæruleo.*

In Lotharingia.

Gothilo I. Ribuariorum Dux, ab Imperatore

tore consecutus est Ducatum Mosellanicum 1033. quoniam Dux Fridericus Cæsari rebellis decessisset improlis. 1027. Ottonem Campaniæ Comitem acie superavit. 1037. Sigeb. Gembl. ad Ann. 1033. & seqq.

In Oriente.

Basilio II.†.1029. successit *Constantinus IIX.* Frater, Princeps piger, luxuriosus & libidinosus †. 1032. Successorem habuit generum suum *Romanum III. Argyrum*, qui uxoris *Zoës* moribus incomptis & impiis exercitus, ab hujus mœcho *Michaële* fuit è vivis sublatus 1038. Undè iste *Michaël IV. Paphlago* successit.

In Ecclesia.

Floruit & in maximo apud Papam fuit pretio *Berengarius* Archidiaconus Andegavensis, docens: *Corpus & Sanguinem Christi in pane & vino non esse substantialiter, sed sacramentaliter.* Ei se opposuit *Guido Aretinus* inventor notarum Musicarum. In Hibernia Archi-Episcopi adhuc fuerunt uxorati, teste Cardinale *Baronio.* Romæ successit *Benedicto IIX. Johannes XIX.* 1013. nec bonis, nec malis notus. Eum excepit *Benedictus IX.* puer XI. annor. Filius Alberti Comit. Tusculani. Ei ob scelera pulso Romanenses suffecerunt *Sylvestrum III.* mox tamen *Benedictus* restitutus, sibi adhuc timens, Papatum vendidit *Johanni* Archidiacono, qui nomen *Gregorii VI.* assumpsit.

M XVII.

XVII.

(2) HENRICUS III. Filius ex *Giſela* Nat. 1017. vivo adhuc Patre Rex Romanorum declaratus, 1026. & *Aquisgrani* à *Pelegrino* Archi-Epiſcopo Colonienſi coronatus 1028 Ei ſucceſſit 1039. †. 1056. Imp. 17. Ætat. 39.

§. 1. Notabile eſt, quod quotiescunque inſignia Imperatoria aſſumeret, à Presbytero ſuo confeſſore duriſſimis verberibus priùs cadi voluerit, & XXIII. argenti libras pauperibus ſua manu diſtribuerit. Filium *Henricum* adhuc infantem *Tribuatiæ* ſucceſſorem ſibi declaravit 1054.

§. 2. *Bretislaum* Bohemum Poloniam vaſtantem, vocatus in auxilium à *Miſcone* Imperator, bello invadit. Sed inopinato prœlio oppreſſus & victus eſt. 1041. Anno ſequente reverſus, *Bretislaum* victum *Pragæ* obſedit, & duris conditionibus in deditionem accepit 1042.

Sigeb. Gembl. ad Ann. 1040. Lambe. Schafna. ad Ann. 1040.

§. 3. Hungaros *Petrum* Regem Chriſtianum pellentes, & *Abanum* ei ſufficientes caſtigavit, *Petrumque* reſtituit, ſibique tributum pepigit 1043. & 44.

§. 4. Cum Papis inſolentibus acriter debellavit. Italia tùm regebatur partim democratia, partim à Regulis, partim ab Imperatoriis Præfectis, quorum caput erat Cancella-

cellarius. Inter Regulos potentissimus erat *Gothofridus* maritus *Mathildis* natæ ex Sorore *Henrici* Imp. quippè cum *Mantua* tenebat *Parmam*, *Regium* & totum illum tractum, quem hodiè *Patrimonium Petri* vocant. Romæ, populus dominium urbis nactus, Pontificum ambitioni non parùm resistebat, omni vi contendentium, Romanam urbem suo jugo subjicere. Sedebat tunc *Benedictus IX.* malorum pessimus, vetitis magis artibus, quàm religioni deditus. Huic pulso Romani substituerant *Sylvestrum III.* quem mox iterùm deturbatum reddidit *Benedictus*; sed sibi metuens, *Gregorio VI.* Papatum nummis MD. vendidit, ita ut Ecclesia tùm terno turbaretur Pontifice. Quare Cæsar in Italiam profectus, omnes tres removit & *Syndegerum* Episcopum Bambergensem sub nomine *Clementis II.* ordinavit 1046. à quo coronatus est. Romanos verò juramenti religione astrinxit; *Ne posthac sine Imperatoris consensu, quemquam in Papam eligerent.* Post *Clementem* iis dedit *Damasum II.* & ultimò *Leonem IX.* Saxonem 1049. atque *Victorem II.* 1054. Repressis dein in Calabria Sarracenis, in Germaniam rediit.

Ott. Frif. Lib. 6. Chron. Cap. 32.

Sigeb. Gembl. ad Ann. 1046.

§. 5. Frisios magna clade affectos domuit. *Balduinum* Flandriæ Comitem debellavit 1049. *Cunonem* Bavariæ D. quòd in subditos suos crudeliter sævierat, frequenti Principum senatu deposuit 1052.

Avent. Lib. 5. f. 416.

M 2 §. 6.

§. 6. Synodo *Moguntiæ* acta, mores clericorum reformavit, ſtatuitque: Ne quis canes venaticos aleret, aut mercaturæ operam daret; neve impuberes monaſteriis voverentur.

§. 7. *Leoni IX.* urbem *Beneventum* dedit, pro remiſſione tributi C. marc. argenti & equi candidi, ab *Henrico II.* Imp. *Benedicto VIII.* promiſſi, pro licentia inſtituendi Epiſcopatum Bambergenſem.

§. 8. Deindè adversùs Vandalos & Luſatos profectus, ingentem ſuorum cladem paſſus eſt. Ortus indè mœror ipſi morbum & iſte mox mortem attraxit.

In Bohemia.

Bretislaus I. Poloniam vaſtavit, *Cracoviam* & *Gnesnam* diripuit. Inde cum ipſo Cæſare debellans hunc clade affecit 1041. quæ tamen ei fuit regeſta & *Praga* capta, isque ad duras conditiones adactus. Moraviam Regno adjecit 1048. Succeſſorem habuit Filium *Spitigenum*, qui Fratrem ſuum *Uratislaum II.* expulit in Hungariam profugientem, ubi *Adelheidam* Regis *Andreæ* Filiam duxit.

In Hungaria.

Hungari *Petrum* pepulerunt 1040. ſuffecto *Aba* Sororio *Stephani*. Petrus ad Imperatorem confugit ejus auxilium implorans. Hunc reſtituturus Imperator, dùm copias colligit, *Aba* in Auſtriam & Bavariam irrupit effusè populatus. Advenienti tamen Imperatori

ratori supplices facti Hungari, pacem obtinuerunt. Mox pertæsi crudelitatis *Abæ* in caput ejus conjurarunt. Res autem antè diem fuit evulgata. Undè Rex Procerum plurimos truncavit capite. Reliqui cum occisorum amicis in Germaniam confugientes, opem Cæsaris implorarunt 1042. Victus proin & in tuguriolo, quò confugerat, occisus *Aba*, locum iterùm dedit *Petro* 1043. Mox tamen Hungari *Andræam* & *Leventam* Fratres & agnatos *Petri* nepotes *Stephani* ex Fratre, ex Bohemia, (ubi fugitivi vivebant) revocarunt; Ecclesias diripuerunt, diruerunt; Episcopos & Sacerdotes trucidarunt; *Petrum* ex cœcarunt & *Andræam* coronarunt. 1044. qui fidem Christianam, impellente *Henrico* Imp. & *Leone IX.* P. R. posteà restauravit.

In Bavaria.

Henrici V. †. 1047. successor fuit *Conradus* I. Filius *Henrici* Carinthiæ Ducis: Proscriptus ob varias turbas 1052. exul in Hungaria vitam reliquit 1054. Bavariam verò accepit *Conradus* II. Filius Imperatoris †. 1056. Hinc Imperator Ducatum Imperatrici *Agneti* dedit privato jure possidendum. Lamber. Schafna. ad Ann. 1055. seq

In Saxonia.

Superiorem tenuit *Ludolfus*, cui successit Filius *Egbertus*. Inferiori adhuc præfuit *Bernhardus* II. qui exercitum duxit in expeditione Bohemica.

In Suevia.

Marian. Scot. ad d. Ann. Imperator Ducem fecit *Ottonem Wittelsbachium* 1045. Ei †. 1047. suffectus est *Otto Schwinfurtensis.*

In Thuringia.

Post *Ludovicum Barbatum* †. 1055. præfuerunt Marchiones & quidem *Wilhelmus.*

In Lotharingia.

Gothilo I. Ducatum Ribuariorum dedit Filio *Gothofredo*, dein defunctus 1044. Mosellanicum reliquit alteri Filio *Gothiloni* II. Rebellis propterea factus *Gothfridus*, ab Imperatore captus & in arce *Gibichenstein* custoditus fuit 10 5 Dein *Gothilo* II. ob ignaviam à Cæsare Ducatu fuit privatus 1046. & iste *Friderico* Filio *Henrici* IV. Bavariæ Ducis datus. *Gothofridus* verò custodiâ liberatus, novas dedit turbas. Undè Ducatu Ribuariorum denuò exutus, vagam egit vitam. Terra autem ejus in *Albertum* Comitem Namurci translata 1048. Hunc *Gothfridus* posteà occidit, & mediante *Leone* Papa cum gratia Imperatoris Ducatum recepit 105 . In Italiam posteà profectus, ibi uxorem duxit, & reversus indè, ope *Balduini Flandrici* obsedit *Fridericum* Antwerpiæ, sed irrito conatu 1055.

Lamber Schafn ad Ann 1045 seq

Sigeb. ad d. An

In Sabaudia.

Hoc tempore initium cepit Dynastia Sabaudiæ. Namque defuncto *Beroldo*. Comite Moriennæ 1024. succellit Filius *Humbertus* I.

tus I. cui Cæſar Comitatum Sabaudiæ in feudum conceſſit. †. 1048. Eum excepit Filius *Amadæus* I. cui ſucceſſit Frater *Otto* I. cujus uxor *Adelheidis* Filia *Ulrici* al. *Manfredi* Marchionum Suſæ ultimi, & vidua *Hermanni* IV. Sueviæ Ducis, ipſi, præter titulum Marchionis Italiæ, attulit Marchionatum *Suſæ*, *Taurinum* & *Aoſtam*.

In Apulia & Calabria.

Nova quoque Dynaſtia cœpta eſt. Tancredi enim nobilis Normanni (qui in Italiam ex Gallia tranſierat) Filii *Wilhelmus Drogo* & *Robertus Guiſcardus*, pulſis ſua virtute Sarracenis, Regno Neapolitano initium dederunt. Et quidem *Nicolaus* II. *P. R.* arbiter electus in actione familiæ erciſcundæ à *Roberto* contrà ſuos nepotes, in illius favorem laudum tulit, iſtamque Italiæ partem ei conceſſit, ſub lege Vaſallitica 1058.

In Oriente.

Michaëlem IV. excepit 1041. *Michaël V. Calephates*, nulla re, niſi vitiis clarus, undè populo exoſus, in tumultu captus & oculis privatus fuit quarto menſe pòſt. Hinc *Zoë* nupſit *Conſtantino* IX. *Monomacho*, qui per eam ſolium conſcendit, Ruſſos Turcasque repreſſit; Sed in Servia victus eſt. Ei †. 1054. ſucceſſit *Theodora* Soror *Zoës*, femina vafra & impotens. Mox verò ereptum illi ſceptrum à militibus, datum eſt ſeni militi *Michaëli* VI. *Stratiotico* 1056.

In Ecclesia.

Romæ fuit Schisma, inter *Benedictum* IX. *Sylvestrum* III. & *Gregorium* VI. quibus omnibus Pontificatus vel scelere, vel nummis erat partus. Undè remotis omnibus, Henricus Imp. substituit *Clementem* II. 1046. quo veneno sublato, *Damasus* II. sedem vi invasit 1048. ei verò mox morte abrepto successit *Leo* IX. 1049. Cujus tempore celebris fuit Berengarius Archidiaconus Andegavensis, tantæ eruditionis famâ insignis, ut Romam venienti Papa assurrexerit. Floruit quoque *Vincentius Franco* Episcopus Leodiens. qui multa scripsit de *Quadratura circuli* ad quendam *Hermannum*. *Leoni IX*. †. 1054. successit *Victor II*. qui multos clericos ob Simoniam & fornicationem ordine movit. †. 1055. successore *Stephano IX*. sub quo flagellatorum secta orta, authore *Petro Damiano*. 1056. Græci clericorum conjugia strenuè asseruerunt.

XIIX.

(3) Henricus IV. Filius ex *Agnete Pictaviensi*. Nat. A. 1051. Rex Romanorum factus. An. 1053. Coronatus *Aquisgrani* ab *Hermanno* Archi-Episc. Colon. 1054. Successit A. 1056. †. 1106. Imp. 50. Ætat. 55.

§. 1. Turbulentissimum & infelix habuit Impe-

Imperium. Adolevit ſub tutela Matris, quæ Auguſtani & Bremenſis Epiſcopi Conſilio uſa, multa impotenter fecit, ſpretis reliquis Germaniæ Principibus. Herm. Contr. ad Ann. 1056.

§. 2. Inde iſti indignantes, aut muliebri poteſtate conſtringi, aut infantuli ditione regi, primò quidem conjuncti ſe vindicarunt in priſtinam libertatem, ut non ſervirent: Poſtremò audacter armis ſumptis Regem & Dominum ſuum deponere ſunt moliti. Matri ſubtractus dolo *Ottonis* Archi-Epiſcopi Colon. Principum & Epiſcoporum arbitrio regebatur, qui prætextu Imperatorii nominis quævis patrarunt, Bona Monaſteriorum & Eccleſiarum inter ſe dividentes. Inde quoque Aulici omni licentiæ & rapinæ ſeſe manciparunt, magno Imperatoris contemptu & Imperii damno.

§. 3. Papa hac occaſione arrepta, adeò Imperium & Imperatorem debilitavit, ut vix umbra priſtini ſplendoris & priſtinæ potentiæ remanſerit. Defuncto quippè *Victore* Papa, eligebatur à Romanis *Stephanus IX.* A. 1057. d. 5. Aug. quem cita mors abripuit A. 1058. d. 4. April. Itaque *Benedictus* quidam Lateranenſis, adjutus factione popularium, inconſulto Imperatore ſedem arripuit. Lambert. Schafna. ad Ann. 1058. & ſeqq.

§. 4. Romani Jus Imperatoris violatum cernentes, indeque ſibi metuentes, miſſis Legatis ſe purgarunt, poſtulantes Papam ab ipſo, atque rejecto *Benedicto* uſurpatore acce-

runt *Nicolaum II.* qui ausa seditiosorum improbans, edita Bulla Imperatori Jus suum confirmavit, anathemate contravenientibus proposito.

§. 5. Mortuo *Nicolao*, Romani Imperatori Concilium Generale *Basileæ* habenti, coronam & munera transmiserunt, successorem desiderantes. Itaque electus fuit *Chadelo* Episcop. Parmensis, vocatusque *Honorius*. A. 1061. d. 7. Nov. At Romani causabantur, hoc eis inconsultis factum, in sui injuriam tendere, adeoque aliqui elegerunt *Anselmum* Episcop. Lucensem dictum *Alexandrum II.* Quam ob rem AEpiscopus Colon. Romam missus est, qui eò veniens, *Alexandrum* confirmavit, afferens aliud rebus turbatis remedium inveniri non potuisse.

Bertold. Consta. in App. ad Herm Contr. ad Ann. 1061. seqq.

§. 6. Hoc Schisma magnum scandalum præbuit. *Honorius* cùm vi deturbare non potuerit *Alexandrum*, tamen quoad vixit à Jure suo non cessit. Alter alterius Ordinationes abrogavit, alter alterum Anathemate percussit.

§. 7. Huic malo tollendo, Synodus *Mantuæ* indictus est. An. 1067. ad quam Imperator misit *Annonem* AEpiscopum Coloniens. qui, dùm *Alexandrum* graviter increparet, quod sine consensu Imperatoris & contrà morem antiquum, Papatum suscepisset; responso *Hildebrandi* Archi-Diaconi, Electionem Papæ absque assensu Regum Canonicam asseren-

ſerentis, facilis acquievit, *Alexandrum* denuò approbavit, & *Honorium* Simoniacum declaravit.

§. 8. Interà Saxones Imperatorem odio habentes, rebellionemque animo volventes, variè ipſum *Romæ* fuerunt criminati. Simoniacum, Tyrannumquè appellantes. Imperator verò in Saxonia & Thuringia arces & caſtella extruxit, atque præſidiis firmavit; quæ plus quàm par erat Saxones premebant, hique in Aula Imperatoris nec aures neque favorem inveniebant. Itaque fœdere *Trittenburgi* inito, arma arripuerunt, omnesque arces ſolo æquarunt. Hinc utrinque reciprocæ clades, ſumma Saxonum pertinacia. Lambert. Schafn. ad Ann. 1068.

§. 9. His acceſſit repudium, quod Imperator Conjugi *Berthæ* mittere conabatur. A. 1069. Bannum Imperii in *Ottonem* Bavariæ D. vibratum. A. 1070. atque Ducatus Carinthiæ innocenti Duci *Bertoldo* ademptus. A. 1073.

§. 10. Graviter itaque accuſatus apud Papam *Henricus*, eò miſit AEpiſcopum Colonienſem & *Hermannum* Bambergenſem, qui ſe excuſarent; At hi reverſi, literas attulerunt, quibus Imperator Romam citabatur ad cauſam dicendam. Sed mox obiit *Alexander*. Otto Friſing. lib. 6. Hiſt. Cap. 34.

§ 11. *Hildebrandus* inſcio Cæſare Papa electus eſt. A.1073. ſub nomine *Gregorii VII.* Undè indignatus *Henricus*, *Eberhardum* Comitem Lambert. Schafn. ad Ann. 1073.

Lamber. Schafn. ad Ann. 1073. mitem Romam misit, ut electionem annullaret. Hunc, ut venit, benignè suscepit *Hildebrandus*, Deum testatus, non sibi ambienti, sed violenter impositam fuisse Ecclesiastici Regiminis necessitatem, se renuere omnem ordinationem, nisi Imperatore & Principibus Teutonicis approbantibus. Hac itaque astutia confirmationem obtinuit An. 1074.

§. 12. Mox acta Synodo, Simoniacos Anathemate feriit, intelligens eos, qui beneficia Ecclesiastica de manu Laici i. e. Imperatoris acceperant; atque Legatos in Alemanniam ad Imperatorem direxit, petentes ut Simoniacos removeret; id, quod Imperator promisit.

§. 13. Cùm verò Imperator jure suo uti Lamber. Schafna. ad Ann. 1076. atque Episcopos investire pergeret, *Gregorius*, missis *Goslariam* Legatis, eum *Romam* citavit, ut ad crimina objecta responderet, sub banni comminatione. An. 1076. Imperator verò Principes *Wormatiam* convocavit, ubi 24. Episcopi comparuerunt cum *Hugone* Cardinale, qui examinata Papæ vita & actibus, eum ut sceleratum deponendum judicarunt.

§. 14. *Gregorius* re à suis Legatis audita, Synodo *Romæ* properata, Imperatorem cum Vid. Lehman Chron. Spir. lib. V. C. 31 multis Principibus excommunicavit, atque Imperio indignum judicavit, solutis juramento subditis. An. 1077. novo sanè ausu & nullo Cardinalium subscribente. Imperator *Brixiæ* Curiam magnam tenuit, vocatis ex Italia,

Italia, Gallia & Germania Epiſcopis. At illi, qui à partibus Pontificis ſtabant, imprimis verò Saxones, conventu Triburiæ indicto, decreverunt, Regi bannito non eſſe parendum.

§. 15. Itaque Imperator majoris mali vitandi gratia, multo incommodo in Italiam fuit profectus, ut placato Papa, abſolutionem impetraret, quam *Canuſii*, intrà ſecundum murorum ambitum, depoſito cultu Regio, multa hyeme, capite & pedibus nudis, atque per triduum integrum jejunus à mane usque ad Veſperam ſtans, tandem precibus Comitiſſæ *Mathildis*, ſed duriſſimis conditionibus, obtinuit. Verùm ignominioſa hac ſubmiſſione, nec Papæ animum placavit, neq; Saxonum molimina evertit; imò ab ipſis fidelibus fuit ſpretus, qui de eligendo ejus Filio cogitare cœperunt. Itaque facti pœnitens, neceſſitatem & violentiam Papæ prætexit, atque ita amicis ſatisfecit. Lamber. ad Ann. 1077.

§. 16. Interea, inſtigante Papa, *Forchemii* novus Imperator, à quibusdam Principibus, fuit electus, nempè *Rudolphus* Sueviæ D. cui Papa diadema transtulit, cum hac inſcriptione.

Petra dedit Petro; Petrus diadema Rodolpho. atque *Moguntiam* abductum *Sigfridus* AEpiſcopus conſecravit, d. 7. April. 1077. Otto Friſing. in lib. 1. de Geſt. Frider. Cap. 7. Merian. Scot. ad A. 1077.

§. 17. *Henricus* Imp. nuntio allato, ilicò in Germaniam properavit, ubi Suevos, Fran-

cos,

cos, Bohemos & Bavaros habuit fideles, atque *Rudolphum* pugna ad *Struve* cruentissima fregit. A. 1078. d. 7. Aug. Quare denuò excommunicatus à *Gregorio* An. 1080. hunc, in Conventu *Brixiæ* acto, deposuit, atque *Clementem III.* substituit. Inde signis denuò cum *Rudolpho* ad *Alsieram* haud procul *Merseburgo* collatis, fuit quidem superatus. Ann. 1080. d. 7. Octob. At *Rudolphus*, amissa manu dextra, *Merseburgum* translatus, ibidem ex vulnere magna rebellionis pœnitentia atque Episcopos increpans, obiit.

Helmol. Chorn. Slav. lib. 1. C. 29.

§. 18. *Henricus* verò *Victor* Italiam ingressus *Romam* obsedit. An. 1081. eaque capta *Clementem III.* instituit, atque ab eodem Coronam accepit. An. 1084. insidiis frustrà appetitus.

§. 19. Interim *Hermannus* Lucelburgicus à Saxonibus Imperator factus. A. 1081. opus à *Rudolpho* infeliciter relictum incudi reddidit, suffultus à *Bertoldo* Sueviæ D. Reversò propterea in Germaniam *Henrico*, *Gregorius* Papa (qui ad Normannos in Calabriam profugerat) acta Synodo, *Henricum* & *Guibertum* denuò excommunicavit. A. 1085. ingressus dein sepulchra Patrum.

§. 20. Huic *Victor. III.* fuit substitutus. *Henricus* autem in Saxoniam movit, atque *Hermannum* ad *Bleichfeld* ingenti acie prostravit. An. 1086. qui proin desertus à Saxonibus, in Lotharingiam reversus, ibi obiit.

§. 21.

§. 21. Saxones *Eggebertum* Marchionem Thuringiæ elegerunt. An. 1088. quem *Henricus* ad arcem *Gleichen.* An. 1089 fugavit; & anno sequente, molendinum ad *Eysenbuttel* ob solis calorem intrans, à Cæsarianis circumventus, & occisus fuit.

§. 22. His hostibus sublatis, domesticos nactus est *Henricus.* Mortuo *Victore* suffectus est *Urbanus II.* A. 1088. qui Clementem excommunicavit. *Conradum* Filium Imperatoris, ut Patris jura defenderet in Italia relictum, contrà Patrem incitavit, eumque Longobardiæ R. creavit. An. 1093. ope *Guelphi* D. ejusque uxoris *Mathildis.* Reconciliatus autem Patri An. 1095. celebratis *Pisis* nuptiis cum *Rogerii* Siciliæ R. Filia, novas turbas recoquens, naturæ debitum luit. A. 1101. Bertold. Constan adHerm Contr. ad Ann. 1093. & seqq.

§. 23. Hinc Imperator alterum Filium *Henricum* Romanorum Regem, nunquam à Patre defecturum solenniter jurantem, eligi fecit. An. 1098. Verùm *Paschalis II.* operatio tantum valuit, ut & hic Filius, à Patre ceu excommunicato desciverit, eumq; acriter persecutus, in *Moguntinis Comitiis*, non sine contumelia, Imperio & Insignibus Regalibus spoliaverit. An. 1106. Miserque ad tantas angustias fuit redactus, ut Episcopus Spirensis Præbendam humiliter petenti, fœrociter denegaverit. *Leodii* tamen ut Rex exceptus, obiit. *Spiram* translatum cadaver, in atrio Ecclesiæ, quinquennio insepultum jacuit. Aventin Lib. V. Annal. Bojor. pag. 474. OttoFrising. lib. 7. Chro. c. 8. & seqq. Helmol. Chron. Slav. lib. 1. c. 33.

cuit. Æterno sanè tam inhumani Filii opprobrio & pudore.

§. 24. *In Bohemia*, *Uratislaus II.* ab *Henrico* Imp. in Comitiis Moguntinis Rex fuit factus. An. 1086. Ei successit Frater *Conradus* & Filius *Uladislaus I.* sed Regium nomen iterùm fuit omissum usque ad A. 1159.

§. 25. *In Hungaria*. *Andræas* cum Fratre *Bela* de regno contendit; qui eum victum & captum interemit. Filius *Salomon*, ad *Henricum* Imp. confugiens, opem ejus imploravit, ducta ex ejusdem familia Uxore. *Bela* A. 1064. mortuo, Imperator *Salomonem* reduxit, cui se opposuit *Geysa I.* & *Ladislaus* Filii *Belæ*; sed pace facta, quandam Regni partem accepit, qua tamen iterùm fuit pulsus. A. 1074. & in exilio obiit. *Geysa*, mortalitatem explevit. An. 1077. *Ladislaus* vivo adhuc *Salomone*, coronam imponere noluit. Dalmatiæ & Croatiæ Regna, mortuo *Zelomiro* R. Sororio suo, Hungariæ conjunxit. Defunctus A. 1095. Canonizationem meruit. Successit *Colomannus Geysæ* Filius, à Russis victus.

§. 26. *In Bavaria*, *Agnes* Imperatrix Ducatum dedit *Ottoni* Duci ad *Werram* A. 1061. qui, falsa *Eginonis* cujusdam accusatione, Criminis L. M. *Goslariæ* damnatus & Ducatu privatus fuit. An. 1070. forsan magis, quia *Saxo* erat. Ducatus fuit datus *Guelpho*, Filio *Azonis IV.* Marchionis Estensis, hunc licet rebellem. Ann. 1073. in gratiam recepit.

Helmol. Lib. 1. Chron. Slav. Cap. 27. Albert. Stad. ad A. 1071.

Ann.

A. 1074. *Ottoni* autem itidem reconciliato nil nisi verba dedit. Mortuus A. 1101. successorem habuit filium *Guelphum II.* maritum *Mathildis* famosissimæ.

§. 28 In Saxonia. Superiorem tenuit *Egbertus I.* & post eum filius *Egbertus II.* A. 1088. Inferiorem tenuit *Bernhardus II.* qui Saxones in Imperatorem concitavit. † A. 1062. Ei successit filius *Ordolphus.* qui Slavos ad paganismum relapsos, XII. annis sine ulla victoria armis lacessivit. † A. 1072. Successore filio *Magno.* qui ab *Henrico* Imp. captivus retentus fuit. A. 1071. ceu obses *Ottonis* Ducis Bavariæ, à quo difficulter fuit relaxatus. Pax quidem *Gerstingæ* A. 1074. fuit pacta, mox tamen iterùm bello abrupta, in quo, pugna ad *Negelostadium* commissa. A. 1075. *Magnus* Dux iterùm captus, sed, bonis direptis, ad suos fuit remissus. A. 1076. Inde *Rodolpho, Hermanno* & *Egberto*, adhæsit. † A. 1106. relictis duabus filiabus, *Wolfhilde* Uxore *Guelphi* Bavar. D. & *Elika* Uxore *Ottonis* Comitis *Anhaltini* & *Ballenstedii.* In Saxonia successit, *Lotharius* filius *Gebhardi* Comitis in *Quernford* & *Supplenburg* & *Hedwigis* filiæ *Friderici* Burggravii Norimbergensis.

Helmold. Chron. Slav. lib. 1. c. 24. & 25.

§. 26. In Franconia. Ipse Imperator præfuit.

§. 30. In Suevia. Mortuo *Ottone Schwinfordensi* A. 1057. *Henricus* Imp. Ducatum dedit *Rudolpho* Com. Rhinfeldensi Sororio suo. Contradicente *Bertoldo I.* Duce Zæringensi, Lamb. Schafn. ad A. 1058.

cui Imperator *Henricus III.* jam anteà, dato annulo ſuo, eundem Ducatum promiſerat. Ille poſteà Imperator contra *Henricum* electus, *Merſeburgi* ex vulnere obiit. A. 1080. Succeſſit gener *Bertoldus I.* contrà quem Imperator Ducatum conceſſit *Friderico ab Hohenſtauffen*, genero ſuo. Interim *Bertoldo* in rerum tumultu mortuo. A. 1090. ſucceſſit filius *Bertoldus II.* electione Principum Alemanniæ. Ann. 1092. lites cum *Friderico* tandem transactione fuerunt ſopitæ, hoc modo, ut *Bertoldus* oppido *Turego* contentus, Ducatum *Friderico* cederet. Hunc ergo † A. 1105. excepit filius *Fridericus II. Monoculus*.

Bertold. Conſtant. d. ad A. 1092.

§. 31. *In Lotharingia. Succeſſit Friderico* † A. 1065. *Gerhardus* ex Stirpe Alſatica. † 1070. Secutus *Godofredus Gibboſus* filius *Godofredi* Ribuariorum D. † A. 1070. cui *Antwerpiæ* cæſo. A. 1076. ſucceſſit *Conradus II.* filius *Henrici* Imp. quem Patri rebellem, excepit *Godofredus Bullionæus*, Gibboſi ex ſorore nepos. qui captis *Hieroſolymis* A. 1099. Regnum ibidem erexit. † A. 1100. Succeſſore *Henrico Limburgenſi* filio *Walerani*, ab Imperatore conſtituto. Primò adhæſit filio *Henrico V.* contrà Patrem, dein filium deſerens ad Patrem rediit. Unde captus ab *Henrico V.* & Ducatu fuit mulctatus. A. 1106.

Lamb. Schafn. ad A. 1076.

§. 32. *In Thuringia. Wilhelmum* in bello contrà Hungaros cadentem. A. 1062. excepit frater *Otto* † 1067. Succeſſit *Egbertus* patruelis

Lamb. Schaf. ad A. 1061.

lis *Henrici* Imp. †. 1068. hunc excepit Filius *Egbertus II.* Imperator contrà *Henricum* factus, in molendino fuit interfectus An. 1090. Vivebat adhuc *Ludovici Barbati*, Filius *Ludovicus II.* Principis titulum habens; qui captus amore *Adelheidis* Uxoris *Friderici* Com. Palat. Saxoniæ, hunc occidit, ut illa potiretur, captus propterea ab Imperatore & arci *Gibichenstein* ad *Salam*. fluv. in edito loco sitæ inclusus An. 1070. saltu in sublabentem *Salam* molitus, feliciter enatans aufugit Ann. 1072. inde *Saltator* cognominatus.

§. 33. *In Sabaudia. Ottoni* successit Filius *Amadæus II.* qui *Henrico* Imp. in Italiam tendenti, ob transitum regionem *Bugey* extorsit. Ei successit Filius *Humbertus II.* qui *Tarantesiam* occupavit, dein cum *Godofredo Bullionæo* in Palæstinam profectus est. Princeps *Pedemontii* primus fuit appellatus. Post obitum Aviæ *Adelheidis*, totum Marchionatum Susæ adeptus †. Ann. 1103. successit Filius *Amadæus III.*

§. 34. In Apulia & Calabria. *Nicolaus II.* Papa, *Robertum* Normannum Ducem fecit, ea conditione, ut Vasallus Ecclesiæ esset. An. 1058. Hic itaque *Gregorium VII.* contrà *Henricum* Imp. & Romanos defendit, *Romam* cepit & flammam intulit. An. 1081. Imperatorem Græcum acie vicit, mox verò in Insula *Tassiopa* obiit An. 1087. Ei successit Filius *Rogerius I.* qui *Urbano II.* Capuam & Campaniam ademit.

§. 35. *In Oriente*, Post *Michaëlem VI.* imperavit *Isaacius I. Comnenus* Ann. 1058. qui postquàm Imperium satis laudabiliter gessisset, apri spectaculo territus, coronam deposuit. An. 1060. Successore *Constantino X. Duca*, qui erat Princeps Pius & literatus, sed nimis avarus †. A. 1067. Successit *Romanus IV. Diogenes* cum *Eudoxia* vidua *Constantini* thronum adeptus, mox iterùm cum oculis amisit An. 1069. Eum excepit *Michaël VII. Ducas*, *Constantini* & *Eudoxiæ* Filius; sed quòd esset Princeps iners & vecors, Imperium ipsi à *Nicephoro* fuit ablatum Ann. 1076. Itaque successit *Nicephorus III. Botoniates*. Sub quo urbs Cpolitana à *Roberto* Normanno fuit capta & direpta †. 1096. Successit *Alexius I. Ccmnenus* a *Roberto* & dein à Turcis victus. *Godofredo Bullionæo* transitum & commeatum denegavit, sed territus, mox etiam pecunias dedit An. 1096 At infidelitas ejus denuò apparuit Ann. 1101. quo Turcis fœderatus Christianos malè habuit; Unde *Tancredus* Normannus ipsi *Laodiceam* abstulit Ann. 1103. *Alexius* verò Turcis *Niceam* concessit, magno Christianorum detrimento, copias auxiliatrices & commeatum interclusit.

§. 36. *In Palæstina.* Apparuerunt *Crucigeri.* Namque *Urbanus II.* Papa, in Galliam *Româ* secedens, Concilium *Claremontii* egit. An 1094. Ubi Francorum Principes ad recuperandam *Hierosolymam* & *Sepulchrum S.* animavit

mavit. Serpit hic pruritus etiam in Germanos, Anglos & Italos. Itaque *Petrus Eremita* quidam cum *Godofredo Bullionæo* hujusque fratre *Balduino* Flandriæ Com. ingenti manu in Asiam moverunt Ann. 1096. atque expugnata *Antiochia* Ann. 1098. & *Hierosolyma* A.1099. *Godofredus* ibi novum Regnum fundavit, *Arnolphus* Presbyter, Patriarcha fuit constitutus. Rex cæso ad *Ascalonem Solimanno*, & *Ascalone*, *Joppe*, *Ramula*, *Cajapha* &c. captis, perpetuam famæ gloriam post se relinquens obiit An. 1100. Ei successit Frater *Balduinus I.* Princeps *Edessæ*, qui novum Principatum magna virtute defendit; *Calipham* Ægypti cum exercitu concidit An. 1101. & 1102. *Accam* seu *Ptolemaidem* expugnavit An. 1104. Non tamen sine Christianorum sanguine hæc gesta fuere.

§. 37. Romæ *Stephano IX.* successit *Benedictus X.* in tumultu electus; at ei, opera *Hildebrandi* Archi-Diaconi mox remoto, suffectus est. *Nicolaus II.* An. 1058. qui *Berengarium* prædictum damnavit Ann. 1059. In Concilio Lateranensi, Papæ electionem solis Cardinalibus attribuit. Ei successit *Alexander II.* cui ab Episcopp. Transalpinis improbato, *Henricus* Imp. opposuit *Honorium II.* An. 1061. Cui successit *Gregorius VII.* s. *Hildebrandus* An. 1073. homo, teste *Bennone* Cardinale, ferox, violentus, homicida, adulter, Necromanticus. Clericis matrimonio A. 15.

interdixit, magna horum indignatione, jus naturæ violari conquerentium. Successor *Urbanus II.* An. 1088. *Cruciatarum* fuit Author, atque *rosarii* usum introduxit. *Bruno* Scholasticus Parisiensis, *Carthusianorum* ordinem invenit Ann. 1086. Item *Cistertiensium* ordo in Burgundia ortus, ab *Urbano* fuit confirmatus. Eum excepit *Paschalis II.* A. 1099. Diadema Pontificium capiti suo imposuit, purpuratam vestem induit, & ex Zona aurea VII. dependentes claves cum totidem Sigillis gestavit, significatione mystica. Ordinem *S. Johannis Baptistæ* inchoavit *Petrus* Abbas Cavensis Ann. 1103. In *Livonia* fides Christiana initium cœpit.

XIX.

(4) HENRICUS V. Filius ex *Bertha.* Nat. A. 1081. Rex Romanorum. An. 1098. Imperator. An. 1106. †. 1125. Imp. 20. Ætat. 44.

Lehm. lib. V. Chron. Spir. cap 42.

§. 1. Post obitum Patris, ejus adhærentes ubique suppressit. *Boleslaum III.* Poloniæ R. tributum annuum solvere renuentem, aggressus, ab hoc ad *Vratislauiam* in Silesia acie fuit fugatus An. 1109.

Ursperg. ad Ann. 1106. & seq.

§. 2. Hinc lites cum Papa habuit. Namque *Paschalis II.* acta ad *Guastallam* A. 1106. & dein ad *Trecas* Synodo An. 1107. Decretum de Investitura Ecclesiastica à Laico non conferenda aut accipienda renovavit. Imperator

rator missis Moguntiâ Legatis ad Synodum, Jura sibi & Imperio antiquitùs debita illibata relinqui petiit. *Romam* venire jussus, finito bello Polonico, cum valido exercitu in Italiam profectus est An. 1110. Petr. Diacon. lib. IV. Chron. Cassin. C. 37.

§. 3. *Paschalis* nuntio accepto, Imperatori Legatos *Sutrium* obvios misit, (quò, post excisum *Aretium* ob insidias sibi structas, perrexerat) qui eum comiter & honorificè exceptum *Romam* comitarentur. Cum his præliminari tractatu conventum, ut Ecclesiæ Fratres decimis contenti, prædia & Regalia Secularia Imperatori reddere debeant.

§. 4. *Romam* ingressus Imperator. A. 1111. d. 4. Febr. non sine tumultu Romanorum, in Ecclesiam processit, ubi lectis quæ convenerant, Præsules iis contradixerunt, prædia sua non dimissuri. Deceptus itaque Imperator, Papam, Episcopos, Abbates comprehensos, custodiæ mancipavit, sibique *Jus Investiendi* per baculum & annulum, asseruit. Novus inde tumultus per urbem, in quo Imperator vitam suam propria manu protegere necesse habuit, moxque ab irruente milite Germano adjutus, tumultuantes magna clade affecit.

§. 5. Inde urbe excedens, Papam captivum abduxit, neque priùs liberavit, quàm promisisset, Imperatori se Investituram dictam integram relicturum; quam rem *Paschalis* erectis desuper Instrumentis atque juramento roboravit, & hostiæ cum Imperatore divisæ Sigeb. Gembl. ad h. ann. Pet. Diacon. in Chro. Cass. lib. 4. c. 42.

visæ Sacramento confirmavit, eumque coronavit. An. 1111. post quod *Henricus* Imper. sumpto de Civitatibus Italiæ homagio, in Germaniam reversus est.

§. 6. *Paschalis* periculo liberatus, Concilium *Laterani* celebravit. Ann. 1112. d. 5. April. omnia pacta ceu vi extorta & injusta revocavit, *Gregorii VII.* & *Urbani* Decreta renovando Imperatorem excommunicavit. *Adelbertus* Archi-Episcopus Moguntinus & reliqui Episcopi in Germania, contrà Imperatorem conspirarunt; Seculares quoque sollicitantes concitarunt. Saxones imprimis armis arreptis, Cæsarianos ad *Mansfeldiam* in silva, *Welfsholtz* prostratos fugarunt. A. 1114. d. 11. Febr.

Otto Frising lib. VII. Chron. Cap. 14.

§. 7. Obierat hoc tempore *Mathildis* Comitissa. A. 1115. Imperii Beneficiaria, unde Imperator à subditis vocatus, ut terrarum illarum possessionem caperet, in Italiam movit. An. 1116. *Paschalis* in Cœnobio Cassinensi latitans, quos potuit adversus Imperatorem concitavit. Hic verò à *Mauritio* Episcopo Bracharensi fuit coronatus. Ann. 1117. Romamque reliquit.

Ursperg. ad Ann. 1115 Dodechin in Append. ad Mar. Sc. ad Ann. 1115.

§. 8. Reversus *Paschalis* obiit. An. 1118. Ei Romani, inscio Imperatore, substituerunt *Gelasium II.* qui illum iratum metuens in Galliam profugit. *Henricus* verò *Romam* reversus *Gregorium VIII.* ordinavit. Quoniam autem ab Episcopo Prænestino in Germania circum-

circumvolitante reiteratò excommunicatus erat, in Germaniam rediit.

§. 9. Mortuo dein *Gelasio*. A. 1119. Cardinales elegerunt *Calixtum II.* qui Synodo *Rhemis* acta, prædecessorum Decreta confirmans, Imperatorem excommunicavit. Hic Comitia *Moguntiæ* propterea celebravit, sed ob Principum factiones irrita. *Calixtus* in Italiam redux, *Gregorium* ad *Sutrium* victum cepit. A. 1121.

§. 10. Tandem, commota tota Germania *Henricus* Imp. nullo Principe satis subnixus, adversantibus verò impar & multo tædio lassatus, post longam altercationem & tractationem, in Comitiis *Wormatiæ* celebratis. Ann. 1122. Investituram, ab ætate *Caroli M.* Imperatoribus competentem atque ab iisdem exercitam, Papæ cedere fuit coactus; retento saltem Jure de Regalibus cum Sceptro investiendi.

Otto Frising. lib. 7. Chron. Cap. 16.

§. 11. Non diu pòst, dum tumultuantes ob nova vectigalia Civitates hinc inde castigaret Imperator, *Trajecti ad Rhenum* extinctus atque *Spiræ* apud Patres sepultus est.

§. 12. *In Bohemia.* Præfuit *Uladislaus I.* & alii quidam, sed saltem Ducum Titulo.

§. 12. *In Hungaria. Colomannus I.* Dalmates & Venetos vicit; *Almum* fratrem suum hujusque Filium *Belam* rebelles captos excæcavit. †. An. 1114. Successore *Stephano II.* qui non adeò feliciter regnavit.

§. 14. *In Bavaria. Welpho.II.* †. 1119. Succeſſit filius *Henricus VI. Niger.*

Helmol. Lib. 1. Chron. Slav. C. 40. Crantz, lib. 5. Saxon. C. 37.

§. 15. *In Saxonia. Lotharius* excitatus ad arma contrà Imperatorem, hujus Ducem *Hoyerum Mansfeldium* ad *Welfsholtz* fugavit. Ann. 1115. Auctoritas inde contracta, ipſi dein Imperium obtinuit.

§. 16. *In Franconia. Henricus* Imp. Ducatum dedit *Conrado*, Filio ſuæ Sororis *Agnetis* & *Friderici* Sueviæ D. A. 1115.

§. 17. *In Suevia.* Præfuit *Fridericus Monoculus*, Frater *Conradi* Franconiæ D.

§. 18. *In Lotharingia. Godofredus Barbatus* Comes Lovanienſis, ab Imperatore Ducatum accepit. An. 1107.

§. 19. *In Thuringia. Ludovicus Saltator* ab *Henrico* Imp. iterùm captus. An. 1114. libertati dein reſtitutus, Monaſterium intravit. †. A. 1123. Succeſſit Filius *Ludovicus III.*

§. 20. *In Sabaudia. Henricus* Imp. *Amadæum III.* Comitem Imperii fecit. A. 1110. repudiata ob ſterilitatem Uxore ſua *Mathilde* Sorore *Ludovici VI.* Franciæ R. hic in Sabaudiam irrupit; At hoc bellum, Filius *Humbertus III.* poſteà natus & mors Regis ſuperveniens ſuſtulit, paxq; cum *Ludovico VII.* R. pacta.

§. 21. In *Apulia, Calabria* & *Neapoli* præfuit *Rogerius I* magnus Papæ defenſor. *Wilhelmum* Sororis filium Apulia & Calabria exuit.

§. 22. In *Oriente. Alexio I.* †. 1116. Succeſſit Filius *Calo Johannes I.* qui *Antiochiam* recuperavit.

§. 23.

§. 23. *In Palæstina. Balduinus* Rex *Tripolim* occupavit. An. 1109 *Berythum.* An. 1110. *Sidonem.* An. 1111. †. An. 1118. succeſſit *Balduinus II* Conſobrinus, qui victus & captus à Saracenis, poſteà liberatus, tantam ſtragem iis dedit, ut præda lytrum redderet. A. 1125

§. 24. *In Eccleſia. Berengarius* ſuprà dictus, ſuos in Hibernia invenit aſſeclas. *Fluentius* Præſul docuit, *Antichriſtum jam eſſe natum*, contrà eum Synodus Florentiæ acta fuit. An. 1110. *Bernhardus* Monachus Ciſtercienſis, *Bernhardinorum* Ordinem excitavit. An. 1112. Romæ *Paſchali II.* ſucceſſit *Gelaſius II.* Ann. 1116. (cui *Henricus* Imper. oppoſuit *Gregorium VIII*) quem excepit *Calixtus* II. Ann. 1119 qui in Concilio Rhemenſi Clericorum Cœlibatum acriter ſtabilivit. Ordo Equitum *Templariorum* Hieroſolymis initium habuit. A. 1118. Nordbertus *Præmonſtratenſium* Ordinis Author extitit. An. 1120.

XX.

LOTHARIUS II. Saxoniæ D. Nat. An. 1075. Imperator factus *Moguntiæ*. Ann. 1125. †. Ann. 1137. d. 3. Dec. Imp. 12. Menſ. 3. d. 12. Ætat. 62.

§. 1. Æmulos habuit, *Conradum* Franconiæ D. *Fridericum* Sueviæ D. *Leopoldum* Auſtriæ M. *Carolum* Flandriæ Com.

§. 2. Cum *Conrado* Franco primùm debella-

Otto Frising lib VII. Chron. Cap. 17. & Lib. I. de Gest. Frider. I. Cap. 15. debellavit. *Mathildis* Imperatrix vidua insignia tradere renuit, tandem persuasionibus inducta, *Alberto* AEpiscopo Mogunt. tradidit. *Conradus* à Fratre *Friderico* Sueviæ D. & aliis quibusdam Rex factus; in Italiam profectus, Mediolani ab Episcopo fuit coronatus, quem tamen *Honorius P.* cum *Conrado* excommunicavit.

Dodech. ad Ann. 1129. & seq. §. 2. *Lotharius* in Sueviam & Franconiam irrupit, *Fridericum* fugavit. An. 1129. Itaque *Conradus* pressus, imprimis ab *Henrico* Magnanimo Bavariæ. D. genero *Lotharii* Imper. honestis conditionibus se submisit. An. 1134.

Ursperg. ad An. 1131. Otto Frising. lib 7 Chron. Cap. 18. §. 4. Interim *Romæ* bini creati Papæ, *Innocentius* II. & *Anacletus* II. An. 1130. quorum alter alterum banno feriit. Hic ope *Rogerii* Apuliæ *D.* illum pepulit, qui in Galliam profugiens, *Leodii* ab Imperatore auxilium petiit. Promisit Imperator, si Investituram Clericorum sibi restitueret. Verùm hortatu & oratione *S. Bernhardi*, hanc conditionem remisit, & in Italiam profectus, suppressa anacleti factione, Innocentium restituit, coronaque accepta, in Germaniam rediit. An. 1134.

Otto Frising. d. 1. Cap. 19. & 2. §. 5. *Innocentius* exin Concilio *Pisis* acto, *Anacletum* damnavit; hic *Rogerii* auxilio novas turbas dedit. Accitus iterùm novis Innocentii literis *Lotharius*, *Rogerium* terra marique victum, Apuliâ exuit, eamque *Reginaldo* Comiti Germano dedit, An. 1136. quo in

in bello, *Corpus Juris Justinianeum*, inter rudera *Amalfitana* fuit repertum, atque *Pisanis* fidelibus datum est, quod deinde *Florentiam* fuit translatum. *Irnerius* verò Studium Juridicum *Bononiæ* primus omnium excolere cœpit.

In Hungaria.

Stephano succeffit *Bela II.* excœcatus An. 1127. Princeps admodum bonus ſed ebrioſus.

In Bavaria.

Henrico V. †. 1125. ſucceſſit Filius *Henricus VII. Magnanimus* gener *Lotharii*, cujus bellum contrà *Conradum* & *Fridericum* Suevos ſtrenuè geſſit.

In Saxonia.

Lotharius Imp. *Henrico* Magnanimo Bavariæ D. Saxoniam quoque conceſſit. A. 1136. Alb. Stad ad A. 1136.

In Franconia.

Præfuit adhuc *Conradus V.* cum *Lothario* de Corona contendens, quam poſt hujus obitum obtinuit.

In Suevia.

Adhuc vixit *Fridericus*, *Lotharii* æmulus, à quo, dum Norico Caſtro obſeſſo ſuccurrere vellet, acie fuit victus. An. 1129.

In Lotharingia.

Godofredo †. 1129. ſucceſſit in Ducatu Moſellanico, *Simon* Filius *Gerhardi* de Alſatia, poſt fratrem ſuum *Theodoricum*.

In Thuringia.

Dillich. P. 2. Chron. Hass cap. 132. *Ludovicus III.* ducta *Hedwige Lotharii* Imp. Filia, Landgravius renuntiatur. A. 1130.

In Sabaudia.

Præfuit adhuc *Amadæus III.*

In Sicilia & Neapoli.

Rogerius I. ab *Anacleto*, Rex fuit proclamatus, ſub lege tamen Vaſallitica. A. 1132. Tunetanos in Africa domuit, unde gladio ſuo inſculpi fecit. *Appulus & Calaber, Siculus mihi ſervit & Afer.*

In Oriente.

Calo Johannes, Chriſtianis in Palæſtina parum favit.

In Palæſtina.

Balduino II. † 1131. ſucceſſit *Fulco.* qui *Cæſaream Philippi* occupavit. A. 1135. mox ipſi Principes Chriſtianorum, orta ferali diſcordia, mutua arma in ſe converterunt, grato Saracenis ſpectaculo.

In Eccleſia.

Romæ. *Arnolphus* Concionator, piæ vitæ ſemina ferens, Clericorum pudendos mores, luxum & vitia liberè increpans, connivente Papa, interfectus eſt à Clero. A. 1125. *Honorio II.* ſucceſſit *Innocentius II.* A. 1129. cui oppoſitus fuit *Anacletus II.* Hac ætate Monachi Theologiam Scholaſticam introduxerunt.

IMPE-

IMPERATORES EX DOMO

Suevica.

(1) Conradus III. Franconiæ D. *Henrici IV.* Imp. ex Filia *Agnete* Nepos. Imperator factus *Constantiæ.* An. 1138. †. An. 1152. Imp. 14. Otto Frising. lib. 7. Chro. Cap. 22.

§. 1. *Henricus Magnanimus* spe Imperium consequendi exclusus, *Conrado* Imp. parere recusavit, atque Insignia Regalia à Socero accepta, reddere noluit. Citatus ad Curiam Ratisbonensem aliquoties; tandem precibus illectus comparens tradidit; at gratiam Imperatoris sibi promissam non obtinuit. Sed à *Conrado* Procerum Concilio *Herbipoli* proscriptus, & ditionibus suis privatus est. An. 1138.

§. 2. Papæ dein reconciliatus mediante *S. Bernhardo* Abbate Claraevallensi, facta cum *Ludovico VII.* Franc. R. societate, in Palæstinam movit. Ann. 1147. postquàm *Judicium Rothwilense* instituisset. Inde irrito successu reversus, dùm, *Emanueli* Imperatori Græco fœderatus, *Rogerio* Siciliæ R. bellum parat, exuvias mortales, non sine veneni suspicione deposuit.

In Hungaria.

Belæ II. successit Filius *Geysa* III. A. 1146.

In

In Bavaria.

Otto Frising. in lib 2. de Gest. Frider. I. Cap. 7. & Lib. 7. Chron. Cap. 26.

Ducatus *Henrico Magnanimo* proſcripto ademptus, *Leopoldo* Auſtriæ M. conceſſus fuit ab Imperatore. Ann. 1139. *Henricus* ex mœrore obiit. An. 1139. *Leopoldus* à *Welſo* Fratre *Henrici* acie ſuperatus †. anno eod. Unde Imperator ſucceſſionem dedit *Henrico* Fratri *Leopoldi*, qui ducta vidua *Henrici ſuperbi*, privignum ſuum *Henricum Leonem*, ut Bavariæ renuntiaret, induxit. An. 1142. Cruentum inde bellum; quippè *Welfus* ceſſioni contradicens, Papam, *Rogerium*, & *Belam* Hungariæ R. habuit ſocios. Sed ad *Nereſheim* Monaſterium profligatus fuit. In quo prælio, fatalis Imperio & Italiæ imprimis factio, *Guelphorum* & *Gibellinorum*, ortum ſuum habuit.

In Saxonia.

Crantz. Lib. 6. Saxon. C. 7.

Eidem *Henrico* Ducatus ademptus, *Alberto Urſo* Marchioni Brandenburgico datus fuit, quem tamen *Henricus* repulit.

In Suevia.

Friderico Monoculo †. 1147. ſucceſſit Filius *Fridericus* III. *Barbaroſſa*. poſteà Imperator.

In Franconia.

Præfuit ipſe *Conradus* Imp. deinde Ducatum tradidit Filio ſuo *Friderico* I.

In Sabaudia.

Amadæo III. †. 1143. in *Cypro* Inſula, ſucceſſit Filius *Humbertus* III. qui Monaſterium fuit ingreſſus. Sed cùm *Gyges* VI. Delphinus Viennenſis Sabaudiam invaderet, illo relicto, hunc proelio ſuperatum rejecit. An. 1153.

In Thuringia.

Ludovico III. † 1140. ſucceſſit Filius *Ludovicus IV.*

In Lotharingia.

Simoni † 1139. ſucceſſit Filius *Matthæus I.*

In Sicilia & Neapoli.

Rogerius I. Emanueli Imp. Cpolitano, *Corcyram* & *Eubœam* Inſulas, urbes quoque *Corinthum* & *Thebas* eripuit, moram injecit Claſſis Veneta *Emanueli* fœderata, quæ ablata à *Rogerio* recuperavit. Hic verò claſſe Cpolim vectus, ſuburbia incendit ac diripuit, in reditu autem à Venetorum claſſe victus fuit.

In *Oriente.*

Calo Johanni † 1141. ſucceſſit *Emanuel. I. Comnenus*, malè de Chriſtianis meritus, commeatu eos intercluſit, farinamque, immixto gypſo corrupit.

In Palæſtina.

Fulconi † 1142. ſucceſſit Filius *Balduinus III.* ſub quo *Conradus* Imp. & *Ludovicus VII.* Franc. R. cum valido exercitu in Aſiam moverunt. An. 1147. Sed amiſſis exercitibus uterque domum reverſus eſt. Ann. 1151.

In Eccleſia.

Romæ ſchiſma duravit. Romani ſuaſu *Arnoldi* Brixienſis *Innocentio II.* omnem poteſtatem præciderunt, unde hunc damnavit, at ipſe mox mœrore extinctus eſt. An. 1143. ſucceſſit *Cæleſtinus* II. & huic 5. menſe pòſt

Lucius II. qui dum Senatum Romanum in Capitolio obſedit, lapide ictus interiit. An. 1144. Eum excepit *Eugenius III.* Floruit hoc tempore *Gratianus* Monachus, qui juſſu *Eugenii* Jus Canonicum compilavit, An. 1151. *Hildegardis* Monialis, magnam Religionis mutationem prædixit. *Petrus Bruis* Tholoſæ contraria Papiſmo dogmata docuit; & errores Romanæ Eccleſiæ increpuit *Henricus* Monachus Hiſpanus, favore quorundam piorum Epiſcoporum & imprimis *S. Ægidii* Comitis Tholoſani. An. 1147. Ipſe *S. Bernhardus* docuit: *Fidem ſuadendam, non imponendam eſſe. Petrus Waldus* circà eadem tempora, apud *Waldenſes* florere cœpit. *Pelagius Abelardus* Theologus Scholaſticus, *Pelagii* Hæreſin reſuſcitavit. Ann. 1140. refutatus à *Bernhardo* & damnatus ab *Innocentio. Gilbertus* Epiſcopus Pictavienſis, novas de SS. Trinitate quæſtiones procudit. *Brito* quidam ſe Chriſtum finxit. Anno. 1148.

XXII.

Vid. Otton. Friſing de Geſtis Ejus.

(2.) FRIDERICUS I. Barbaroſſa, Sueviæ D. Nat. 1121. Imperator factus Ann. 1152. †. 1190. Imp. 38.

Tom. XXII. An. 371.

§. I. Ante coronationem à Papa acceptam Imperatorem Rom. ſeſe appellavit, in conventione Ann. 1152. cum *Eugenio* Papa facta, quam exhibet *Baronius.* Septem ſuſcepit

pit expeditiones in Italiam & unam in Palæstinam.

§. 2. In Cessione Investituræ Clericorum ab *Henrico V.* Imp. Papæ facta, reservatus erat casus dissensionis, & dissentientibus in electione clericis, Imperator Authoritatem suam interponere poterat. Hic casus jam contigit in Ecclesia Magdeburgensi, ubi mortuo Præsule, bini à Clericis erant electi AEpiscopi. Aditus Imperator sese interposuit, & Præsulem nominavit. Ann. 1152. Hanc electionem *Eugenius III.* ratam habere noluit.

§. 3. Imperator, partim ut inveterato more Coronam acciperet, partim ut rebelles Italos (qui in duas factiones scissi erant *Guelphorum*, i. e. Pontificii & *Gibellinorum*, i. e. Cæsarei) castigaret, in Italiam cum exercitu movit; *Dertone* aliisque locis eversis *Papiæ* & dein *Romæ* ab *Hadriano IV.* coronam accepit. Ann. 1156. ubi contentio orta inter Imperatorem & Papam, quod ille recusarat huic stratoris officium exhibere.

§. 4. In ipso coronationis actu, tumultu ab Italis facto, Germani præsidiarii cædebantur. Sed illi ab irrumpentibus Germanis multo sanguine repressi sunt. Inde Germaniam repetens, *Spoletum* destruxit; supplicium de *Veronensibus* sibi insidiatis sumpsit. Radevvic de Gest.

§. 5. Nova contentio exorta Ann. 1157. Frider. ob Præsulem Londinensem in Imperio ca- lib. 1. Cap. 9. & seqq.

 ptum,

ptum, quem Imperator in libertatem vindicare noluit; qua de causa Papa superbas ad Imperatorem dabat literas, in quibus hunc indignum *beneficio* à se accepto, i. e. *Imperio*, protestabatur. Succensenti Imperatori, Legatus Papæ, impudenti interrogatione respondit: *A quo ergò? si à Domino Papa non haberet Imperium.* Attentatum istud, *Fridericus* neutiquam ferendum censens, Ipsique Principes & Episcopi Germani, insolita hæc & inaudita cernentes, Papam acriter in suis literis increpuerunt; qui videns se crabrones excitâsse, vocem *beneficium* satis distortè interpretatus est, *bonum factum*.

Otto de S. Blasio. Cap. 8.

§. 6. Interim, quo magis Imperator Jura sua assereret, Regalia Regni Longobardici, tàm Secularia quam Ecclesiastica sibi jussit deferri, ab omnibus eorundem possessoribus, & speciale exegit ab iisdem fidelitatis juramentum. Ne appellationes *Romam* fierent, nec Nuntii Apostolici in Germaniam venirent, interdixit. Hoc adeo irritavit Papam, ut inito fœdere cum *Wilhelmo* Siciliæ R. & multis Italiæ Civitatibus, imprimis cum Mediolanensibus, fidas Cæsari in Italia urbes direptas dirueret, destructas ab Imperatore restauraret. Quare *Fridericus* Imp. secunda vice cum valida manu in Italiam profectus. Ann. 1158. *Brixiam* in deditionem accepit, *Cremam* excidit, *Mediolanum* cepit, Civi-

bus

bus tamen supplicibus & pœnitentibus, vitam donavit.

§. 7. Anno 1159. Imperator *Guidonem* fecerat AEpiscopum *Ravennatensem*, quem Papa confirmare renuit. Mediolanenses quoque novam rebellionem decoxerunt. His accessit Schisma, mortuo *Hadriano IV.* inter *Alexandrum III.* (qui Imperatorem excommunicavit) & *Victorem IV.* quem Imperator defendit. Unde ingens tumultus. Imperator *Cremam* exussit. Ann. 1160. *Placentiam*, *Mantuam*, *Novam Lodam* in deditionem accepit. Ann. 1161. *Mediolanum* longa obsidione pressum cepit & funditùs evertit, aratro inducto. Ann. 1162. Otto de S. Blasio. Cap. 16.

§. 8. Rediens in Italiam Ann. 1163. mortuo *Victore IV.* eligi fecit *Paschalem III.* Ann. 1164. qui in Concilio Herbipolensi confirmatus. Ann. 1166. Imperatorem cum *Beatrice* Augusta coronavit. Ann. 1167. *Alexander* acto *Laterani* Concilio, *Fridericum* denuò excommunicavit. Ann. 1168. ad novam defectionem Italos sollicitans, qui *Alexandriam* in ejus honorem condiderunt.

§. 9. Defuncto *Paschali* substitutus fuit *Calixtus III.* Ann. 1170. ad cujus partes firmandas, Imperator quintò in Italiam venit. *Alexandriam* 4. mensibus frustrà obsedit. Reversus Ann. 1174. idem obsidium, irrito successu, repetiit, & desertus ab *Henrico Leo-*

ne Saxoniæ D. inops & ferè ſolus in Burgundiam abſceſſit Ann. 1175.

§. 10. *Alexander* verò Venetos in ſuas partes pertraxerat, quorum Thalaſſiarcha *Zianus*, *Ottonem* Filium Imperatoris claſſe ſuperatum cepit. Accedens iterum Imperator, à Longobardis victus eſt. Itaque coactus pacem *Venetiis* pepigit cum *Alexandro*, Ann. 1177. *Calixtus* verò Epiſcopus *Beneventi* fuit conſtitutus. Venetis maris Adriatici Dominium conceſſit *Alexander*.

§. 11. Inde Imperator, deſponſata filio ſuo *Henrico Conſtantia* Filia *Rogerii II.* Siciliæ R. Ann. 1186. atque pace publica *Conſtantiæ* publicata, actis *Norimbergæ* Comitiis. Ann. 1187. ad expeditionem in Palæſtinam cum filio ſuo cognomine ſe accinxit; ubi victo *Saladino*, in Cilicia fluvium ingreſſus periit. Ann. 1190. Tyrique fuit ſepultus.

In Bohemia.

Uladislaus II. ob egregiam Imperatori in bello Italico navatam operam, Regium nomen denuò obtinuit, datis hodiernis inſignibus. *Leo argenteus, cum corona lingua & ungulis aureis, cauda furcata* & *in decuſſim diſpoſita, in ſcuto Coccineo* Ann. 1159.

In Hungaria.

Geyſæ III. ſucceſſit *Stephanus III.* A. 1161. qui

qui cum Venetis de Dalmatia belligeravit, ac rebelles habuit *Ladislaum* & *Stephanum* Patruos. Eum excepit frater *Bela III.* A. 1176.

In Bavaria.

Henricus Leo Filius *Henrici Magnanimi*, Saxonum auxilio ſubnixus, *Henrico* Auſtriæ M. Bavariæ poſſeſſori bellum paravit. Sed res transactione fuit compoſita, qua Bavaria *Henrico* reſtituta, portiuncula tamen inde detracta Auſtriæ conjuncta, & hæc in Ducatum fuit erecta. Ann. 1137. ſed res plenum effectum habuit demùm Ann. 1156. Cùm verò dein Imperatori non admodùm fidelis exiſteret, Procerum Concilio acto proſcriptus & omnibus ditionibus exutus fuit. Ann. 1177. Ita Bavaria data eſt, *Ottoni Witelspachio* Com. Palat. Schyerenſi, ſatori Bavaricæ & Palatinarum Domuum. Ann. 1180. †. 1185. Ei ſucceſſit *Ludovicus I. filius.*

Arnold. Lubec. Chron: Slav. lib. 2. Cap. 16.

Avent. in Hiſt. Bav. lib. 4.

In Saxonia.

Henrico Patri †. 1139. ſucceſſit filius *Henricus Leo*, qui pulſo *Alberto Urſo*, proprio illum ſpoliavit Marchionatu, quem tamen Ann. 1142. ei reſtituit. Redux dein ex Italia Slavos motus dantes ſubjugavit. An. 1162. facta dein pace Ann. 1168. *Bambergæ*; in Aſiam profectus fuit. Ann. 1171. Inde reverſus, ac Imperatori inviſus factus, tan-

Helmold. Chr. Slav. lib. 1. Cap. 4.

dem *Herbipoli* fuit proſcriptus. Ann. 1177. Saxoniam adeptus eſt *Bernhardus Aſcanius* Comes in *Ballenſtadt*, filius *Alberti Urſi* Brandenburgiæ Marchionis, qui ſator fuit Ducum Saxo-Lauenburgicorum & Principum Anhaltinorum. Angriam & Weſtphaliam abſtulit Philippus AEpiſcopus Colonienſis. *Henricus Leo* verò retinuit Ducatum Brunſuicenſem, ac ſator eſt hodiernorum Ducum.

In Suevia.

Fridericus Imp. *Hermannum* Com. Palat. rebellem, canem ſcabioſum per milliare Germanicum geſtare coëgit. *Fridericum* filium ſuum Sueviæ D. fecit. An. 1176. mortuo dein absque prole *Hermanno* Com. Palat. Palatinatum dedit fratri ſuo conſanguineo *Conrado*, qui moriens reliquit filiam Agnetem, hanc duxit *Henricus* Brunſuicenſis, filius *Henrici Leonis*, ac ita Palatinatum obtinuit; hujus alteram filiam *Gertrudim* duxit *Otto Witelspachius* Bavariæ D. & hoc pacto Palatinatus Domui Bavaricæ fuit annexus.

In Franconia.

Poſt fata *Friderici Rotenburgici*. An. 1167. Ducatus obvenit *Friderico* Imperatori, qui eum Alemannico junxit, atque *Conradö* filio contulit.

In Lotharingia.

Matthæo I. ſucceſſit filius *Simon II.*

In Thuringia.

Ludovicus IV. rebellibus se formidabilem fecit. †. 1173. Ei successit filius *Ludovicus V.* qui cum *Henrico Leone* debellavit, & cum *Conrado* AEpiscopo Moguntino multas lites habuit. **Author. Histor. Landgr. Thur. Cap. 19. & seq.**

In Sabaudia.

Humbertus III. Marchionem Saluzzæ debellavit; Papæ dein adhærens à *Friderico* Imp. fuit castigatus. † 1188. successit filius *Thomas I.*

In Familia Badensi.

Hermannus III. Marchio Badensis & Hochbergicus, *Veronam* accepit ab Imperatore Friderico. †. 1190. Ejus filii terras diviserunt. *Hermannus IV.* Marchionatum *Badensem* accepit. *Henricus I.* autem *Hochbergicum.*

In Sicilia & Neapoli.

Rogerio †. 1153. successit filius *Wilhelmus I.* qui nonnulla in Campania oppida, Pontifici *Hadriano IV.* ademit, unde excommunicatus fuit. Græcos Apulis fœderatos ad *Brundusium* cæsit; tandem pace cum *Adriano* facta, ab hoc in regno fuit confirmatus. Ei successit filius *Wilhelmus II.* Ann. 1166. †. 1189. absque prole. Quare quidam Regni Proceres, *Tancredum Rogerii* filium Nothum elegerunt, hunc autem pati *Clemens III.* noluit, sed Regnum Patrimonio Petri incorporare maluit, copiasque in Siciliam misit. In eadem sententia perstitit *Cœlestinus III.*

In Oriente.

Emanueli I. †. 1178. ſucceſſit filius *Alexius II.* hujus Tutor *Andronicus*, Latinos urbe ejecit, *Alexium* Imp. exſpatiandi gratia in mare productum præcipitavit, Auguſtam Matrem cum omnibus Agnatis interfecit. Ann. 1180. *Wilhelmus* Siciliæ R. ut Latinos vindicaret *Theſſalonicam* occupavit. Unde *Andronicus* omnibus exoſus, manibus & pedibus mutilatus, miſerè vitam finiit, & in ejus locum. *Iſaacius II. Angelus*, à Cpolitanis electus fuit. Ann. 1183. Princeps Sacrilegus, Vanus & Crudelis.

In Palæſtina.

Hieroſolymis *Balduino* III. †. 1163. ſucceſſit frater *Almericus*, ſub quo Patriarcha & *Templarii* de Juriſdictione certarunt. Defuncto Anno 1173. ſucceſſit filius *Balduinus IV. leproſus*, qui *Saladinum* non adeò ingenti manu vicit Ann. 1176. †. 1183. ſucceſſit *Balduinus V.* quem †. 1186. excepit Sororius *Guido Luſignanus* Com. Aſcalonis, cui maxima pars Principum erat infenſa, imprimis autem Comes Tripolitanus, qui *Saladinum* contrà *Guidonem* animavit, eique quædam caſtella tradidit: Hac occaſione arrepta *Saladinus*, victo ad *Tiberiadem Guidone*; *Accam*, *Aſcalonem* & *Hieroſolymam* recepit. Ann. 1187. atque ita hoc Regnum iterum deſtruxit. *Antiochiam* proditione Patriarchæ cepit. Ann. 1188. Reliquias Chriſtianorum

Otto de S. Blaſio Cap. 29.

Tyrus

Tyrus capiebat. Rumore in Occidentem perlato, *Clemens* III. crucem ubique prædicari jussit, atque hac accepta, *Fridericus* Imp. *Philippus* Franciæ R. *Richardus* Angliæ R. *Otto* Burgundiæ D. & innumeri alii, in Asiam moverunt. *Guido* Accam obsidens, à *Saladino* pressus cæditur. *Fridericus* Imp. feliciter pugnans, in Ciliciam penetravit, ubi in *Cydno* periit; reliqui obsidium Accæ multo sanguine continuarunt

In Ecclesia.

Romæ *Eugenio* III. †. 1153. successit *Anastasius* IV. quem excepit *Hadrianus* IV. An. 1154. qui *Arnoldum Brixiensem* combussit. An. 1155. sub eo *Ordo Vallis Umbrosæ* ortus est. An. 1159. Eum muscæ haustu *Anagniæ* mortuum An. 1160. excepit *Alexander* III. qui Antipapam habuit *Victorem* IV. dein *Paschalem* III. An. 1169. post hunc *Calixtum* III. Ann. 1169. *Thomam* Episcop. Cantuar. ab Anglis occisum canonizavit. Ann. 1171. *Henricum* II. Angliæ R. hujus cædis suspicione gravatum virgis cædi jussit. *Carmelitarum Ordo* institutus est, circà Ann. 1160. ut & *Humiliatorum*. Ann. 1162. *Waldenses* seu *Albigenses* persecutionem passi, hinc inde dispersi, doctrinæ suæ semina in Bohemia sparserunt. An. 1179. Floruit *Petrus Lombardus*, Sententiarum Magister & *Joachimus* Abbas, qui docuit, Antichristum jam natum esse. *Alexandro* III. †. 1182. successit *Lucius* III. qui

III. qui decrevit, ut Clericus hæreticus, prius dignitate Clericali privaretur, antequam brachio Seculari puniendus traderetur; pulso urbe Ann. 1183. suffectus est *Urbanus* III. An. 1186. quem excepit *Gregorius* VIII. Ann. 1187. & hunc mox *Clemens* III. Ann. 1188. Ordo Equitum *Teutonicorum* initium habuit An. 1190. In *Livonia* Mercatores Bremenses fidem Christianam latius propagarunt. Ann. 1160.

XXXIII.

(3.) Henricus VI. Asper. Filius *Friderici I.* & *Beatricis*. Nat. Noviomagi Ann. 1165. Rex Romanorum Anno 1169 Imperator. An. 1190. †. 1198. Imp. 8. Ætat. 33.

Vid. Baron. Annal. T. 12. ad A. 1191 §. 12. pag. 810.

§. 1. Coronatus est *Romæ* cum Conjuge *Constantia* à *Cœlestino* III. *P. R.* in quo actu Papa Imperatori coronam pedibus imponens, statim iterùm altero pede decussit; indicans, penès se esse potestatem dandi coronas, & arbitrium iterùm adimendi.

Arnold. Lubec. lib. 4. Cap. 20.

§. 2. Siciliam, victo *Tancredo*, vi pactorum dotalium, multo Siculorum sanguine, occupavit. Ann. 1194. indeque magnis ditatus thesauris rediit in Germaniam. Conspirantes dein cum Augusta (quæ in Italia relicta, *Jordano* cuidam Siculo adhærebat) Siculos maxima asperitate castigavit. *Rogerio* filiolo *Tancredi* oculos effossit & *Anisum* ad perpe-

Alb. Stad. ad Ann. 1196.

perpetuos carceres misit. Eadem passus est Episcopus Salernitanus. *Jordano* Comiti candenti Sellæ ferreæ imposito, coronam candentis ferri clavis capiti affixit. Otto de S.Blas. Cap. 41.

§. 3. *Richardum* Angliæ R. à *Leopoldo* VI. Austriæ D. interceptum, captivum detinuit, quod Signum hujus Ducis apud *Joppem* in Cloacem projici jusserat, & Marchionem de Monte ferrato, Cæsaris Amicum occidi curaverat, atque *Tancredum* consilio juverat. Ejus liberationem importuniùs petente Papa, accepto magno lytro vix eum dimisit. Alb. Stad. ad Ann. 1194.

§. 4. *Fridericum* filium Regem Romanor. eligendum curavit. An. 1178. Jus succedendi ex sanguine in Imperio introducturus; sed Saxones restiterunt. Magn. Chron. Belg p. 205.

§. 5. Exercitum in Palæstinam misit contrà *Saladinum*, & ab *Alexio* III. Imp. Cpolitano, tributum annuum XVI. talentorum auri purissimi exegit, pro terris à *Wilhelmo* Siciliæ R. olim in Oriente possessis.

In Bohemia.

Uladislao II. successit filius natu minimus *Premislaus* II.

In Hungaria.

Belæ II. successit. Ann. 1198. *Emericus* I. filius.

In Bavaria.

Præfuit adhuc *Ludovicus* I.

In Suevia & Franconia.

Conradus belligeravit cum *Bartoldo Zæringico*, Otto de S. Blas. Cap. 44.

ringico, posteà Durlaci in adulterio fuit occisus. Hinc Ducatum à fratre *Henrico* VI. Imp. accepit *Philippus* Ann. 1196.

In Lotharingia.

Præfuit adhuc *Simon* II.

In Sabaudia.

Thomas I. Astenses irrumpentes repressit, opera Tutoris sui *Bonifacii* Montisferrati March.

In Thuringia.

Ludovico V. †. 1193. successit frater *Hermannus.*

In Sicilia & Neapoli.

Henricus VI. Imp. Jure uxorio successit, & Siculos rebelles castigavit. Itaque hæc regna ad Suevos transierunt.

In Oriente.

Isaacius II. ob luxuriam & socordiam omnibus invisus, à fratre excœcatus & Imperio privatus est. Ann. 1193. Ei successit *Alexius* III. *Angelus* frater, haud melior fratre.

In Palæstina.

Richardus I. Angliæ R. *Cyprum* Insulam occupavit. Ann. 1190. quam dein *Guidoni Lusignano*, pro jure suo in *Hierosolymam* permutavit. Ann. 1191. à quo Reges *Cypri* ortum habuerunt. Dein junctus *Philippo* II. Franciæ R. *Accam* expugnavit. Ann. 1192. ulteriores progressus suborta discordia sistit.

In

In Ecclesia.

Rigæ Episcopatus fuit stabilitus. *Clemens* III. per *Petrum* Capuanum Cardinalem, Clericis in Polonia uxores ademit, at in Bohemia & Dania idem frustrà tentavit. An. 1190. Ei successit *Cœlestinus* III. Ann. 1191. *Antonius de Padua* florere cœpit. Academia Montis pessulana fundata Ann. 1196.

XXIV.

(4.) Philippus I. Suev. & Francon. D. *Henrici VI.* frat. Imperator, An. 1198. †. Ann. 1208. Imp. 10.

§. 1. Accepto de fratris morte nuntio, pupillum suum *Fridericum*, quem *Romam* perduxerat, Matri in Siciliam remisit; Ipse verò, non sine vitæ discrimine, in Germaniam properavit & cum Proceribus Germaniæ egit, ut electio *Friderici* jam anteà facta, rata haberetur; Ipse verò eligeretur tanquam *Tutor*, & ita obtinuit. Arnold. Lubec. lib. 6. Chron. Cap 1. & 2. Otto de S. Blas Cap. 46.

§. 2. Quoniam verò *Innocentius* III. Stirpi Suevicæ infensus erat, hanc electionem omni nisu interturbavit, per suæ partis fautores. Hi enim *Bertoldo V.* Zæringiæ D. Imperii fasces detulerunt, & isto prudenter renuente, *Ottoni* Brunsuicensi, quem AEpiscopus Coloniensis *Aquisgrani* coronavit. Ann. 1198.

§. 3. *Philippus* verò *Moguntiæ* coronam accepit ab AEpiscopo Tarentino. Scissa igitur

tur in partes Germania, miserè sese habebat. *Ottoni* adhærebant Saxones inferiores, Thuringi, Palatini, Colonienses, Limburgici, Lovanienses, Papa cum *Guelphis*. Bellum inde acre. *Innocentius*, *Philippum* excommunicavit. Franci *Philippo*, Angli *Ottoni* opem ferebant, qui aliquoties victus & Brunsuici obsessus in Angliam profugit. Ann. 1205. Tandem *Nordhausiæ* in Saxonia, post multam negotiationem pax ita fuit facta. Anno 1206. ut *Philippus*, retento Imperio, *Beatricem* filiam suam *Ottoni* elocaret, hicque ipsi in Imperio succederet, interim verò re & titulo abstineret.

Otto di S. Blas. Cap. 50. Arnold. Lubec. lib. 7. Chron. Cap. 14.

§. 4. Biennio pòst Imperator *Bambergæ* degens, ab *Ottone Witelspachio* in cubiculo suo fuit interfectus. Regicida autem equi sui ope elapsus est.

In Bohemia.

Premislaus II. à *Philippo* Imp. Regium axioma denuò obtinuit. Ann. 1200. quòd ejus partes egregiè defenderet. Posteà verò *Ottoni* adhærens nimiùm; dimidia regni parte fuit multatus; Nomen *Ottocari* inde accepit, quod multis dein Regibus fuit commune.

In Hungaria.

Emerico I. successit filius *Ladislaus* III. Anno 1200.

In Sicilia & *Neapoli.*

Innocentius III. hæc Regna sibi vindicare gestiens,

gestiens, tamen ob prosperos *Philippi* successus, *Constantiæ* & *Friderico* vi extorquere ausus non est.

In Oriente.

Alexius III. à fratre *Isaacio* excœcato hujusque filio *Alexio*, Cpoli ope *Venetorum*, capta, throno pulsus. Ann. 1202. Unde successit dictus *Alexius* IV. solutis *Venetis* 30000. auri marcis. Patre verò mox mortuo, & ipse *Murzulfi* insidiis cecidit. Ann. 1203. qui succedens, *Alexius V. Ducas* vocatus est. Sed capta Cpoli, sceptrum ei eripuit *Balduinus* Com. Flandriæ. Ann. 1204. cui carceri incluso successit *Henricus* frater. Ann. 1205. qui fratrem est ultus & Valachos vicit.

In Ecclesia.

Cœlestino III. successit *Innocentius* III. An. 1198. Author Transsubstantiationis; Confessionis auricularis & communionis sub una *Joachimum* Abbatem damnavit. *Almericus* Theologus Gallus, errores Ecclesiæ Romanæ docens, damnatus & *Parisiis* combustus est. Ann. 1200. Crux contrà *Albigenses* prædicata & *Inquisitio* instituta; in qua, laboriosus fuit *Dominicus Guzmannus* Calarogensis Hispanus, Author *Ordinis Prædicatorum*. Ann. 1202. & 1207. *Ordo Beginarum* circà eadem tempora invaluit, authrice *Clara*. Floruit *Papias* Lombardus Lexicographus.

XXIV.

Otto IV. Brunsuici. D. filius *Henrici Leonis.* Anno 1208. †. 1218.

Imp. 10.

§. 1. In Comitiis Herbipolitanis severa edicta contrà grassatores & viarum publicarum violatores emisit. *Philippi* quondam amicos maximo odio habuit, imprimis aversatus est Suevos. *Ottonem* tamen *Witelsbachium Philippi* percussorem proscripsit *Augustæ Vindeliciæ*; qui quoque ab *Henrico Mareschallo à Callandin* occisus est. Ann. 1209.

Otto de S. Blas. Cap. 50. & 51.

§. 2. Inde in Italiam profectus, ingentes summas ubique exegit; Ab *Innocentio* magnificè susceptus & coronatus est. An. 1209. Romani verò tumultu facto, plurimos Germanorum trucidarunt. Fugiens ex urbe *Otto* Imp. Papam suspectum habuit, & *Patrimonium Petri* occupavit, omnia vindicaturus, quæ Prædecessores in Italia possederant.

Alb. Stad. ad Ann. 1210. Monach. Paduan. lib. 1. Chron. ad h. an.

§. 3. Jam Anathematis fulmen in eum contorsit *Innocentius*; Imperio indignum judicavit, Proceresque ad novam electionem fuit exhortatus. Ann. 1210. qui *Fridericum* Siciliæ R. denuò elegerunt.

§. 4. Reversus itaque in Germaniam *Otto* omnia reperiit conturbata. *Fridericus* vocatus, eodem se contulit ex Sicilia. Franci in partes *Friderici* tracti, Angli *Ottonem* adjuti sunt, qui mox cladem accepit à *Friderico*.

Ann.

Anno 1212. In Belgium profugus, receptis viribus, denuò victus est à Francis ad *Bovines* propè *Tornacum* Ann. 1214. Hinc desertus ab omnibus, Brunsuicum sese recepit, ibique ex mœrore obiit. Ann. 1218.

In Bohemia.

Premislaus II. adhuc præfuit; cui *Otto* dignitatem Regiam abrogavit, quòd à partibus *Friderici* staret.

In Hungaria.

Ladislao III. †. Ann. 1210. successit Patruus *Andræas* II.

In Oriente.

Cpoli cum laude præfuit *Henricus*. †. 1216. Cui successit *Petrus Antissiodorus*. Sed *Theodorus Lascaris* gener *Alexii* IV Niceæ novam Imperii sedem 18. Annorum instituit.

In Ecclesia.

Johannes Angliæ R. Regnum suum Papæ vectigale fecit, promissis annuatim 100. auri marcis. Ann. 1213. invitis & reclamantibus subditis, *Væ tibi Johannes Regum ultime!* *Franciscus Assisius* inchoavit *Ordinem Minoritarum*. Anno 1209. *Simon Montfortius* belli Dux contrà *Albigenses* fuit constitutus, & post varia immanitatis & crudelitatis exercita exempla, in obsidio *Tholosæ* lapide ictus occubuit. Anno 1218.

XXV.

(5.) Fridericus II. Siciliæ Rex, filius *Henrici VI.* Imp. & *Constantia*, Nat. Ann. 1193. electus Rex Romanor. Ann. 1198. sed astu Pontificis & *Ottonis IV.* electione impeditus. Imperium capessere nequivit. Imperator electus Anno 1212. † 1250. ætat. 57.

§. 1. Princeps fuit Avo & Patre dignissimus. Cùm è Sicilia in Germaniam contenderet, *Romæ* ab *Innocentio* coronari petiit, qui autem, præsenti rerum statui adhuc diffidens, sese excusando astutè renuit; posteà verò hujus jussu *Aquisgrani* coronatus est. An. 1213. *Romæ* dein ab *Honorio* III. coronatus. Anno 1220. iter in Asiam vovit ad recuperandam *Hierosolymam*.

§. 2. Italos dein & Lombardos rebelles castigaturus, Papæ indignationem incurrit; qui illorum perfidiam protegebat. Excommunicatus itaque Imperator, subditis fidelitatis nexu liberatis. anno 1221. Imperator *Romæ* exempla statuit in Clero turbulento, aliis remotis, alios substituit.

Lehman. Chron. Spir. lib. 5. Cap. 79.

§. 3. In Germaniam reversus, actis *Herbipoli* Comitiis, de injuria Papæ conquestus filium *Henricum* Romanorum Regem renuntiandum & dein *Aquisgrani* coronandum curavit. Anno 1222. Indè reconciliatus

liatus Papæ, operâ *Johannis Brenni* Tyri & Hierosolymar. R. hujus filiam *Jolantam* Romæ uxorem duxit, accepto, dotis nomine, Jure in *Hierosolymas*.

§. 4. Actis posteà *Francofordiæ* Comitiis de Expeditione Asiatica deliberatum & *Henricus* Rex Romanorum nuptias celebravit *Norimbergæ* cum *Margaretha* Austriaca. Anno 1225.

§. 5. Interim Itali rebellarunt, totaque Italia *Guelphorum* & *Gibellinorum* factionibus scissa, miserè lacerabatur. *Gregorius* IX. *Honorii* III. successor, novum Anathema parturiebat, nisi properè in Asiam proficisceretur Imperator. Decreta est expeditio in Comitiis Aquisgranensibus, ann. 1227. Locus ubi colligerentur *Crucigeri* assignatus *Brundusium*. Cæsar datis velis, morbum ex maris fastidio contraxit, redeuns in continentem à *Gregorio* excommunicatur; Itaque æger quamvis corpore, in Asiam fuit profectus, anno 1228.

§. 6. Absente Imperatore, Papa Italiam commovens, *Johannem* Regem Socerum Imperatoris, cum exercitu in Siciliam misit, Regnum isti erepturus; missisque in Asiam ad *Templarios* literis, milites ad seditionem, cunctos ad defectionem est hortatus. Godofred. Monach. ad Ann. 1228. & seqq.

§. 7. Imperator suo nomine & præsentia adeò terruit *Soldanum*, ut facta pace, Regno & Urbe Hierosolymitana sponte cesserit. Unde *Fridericus* ibi fuit coronatus. an. 1229.

Accepto verò nuntio de perfidia Papæ, in Italiam est reversus, victoque Socero Apuliam recepit; dein *Patrimonium Petri* adortus, *Spoletum*, *Beneventum*, *Anconam*, *&c.* occupavit. Mox Legatos de pace ad Papam misit, quam iste nulla alia Lege dare voluit, quàm solutis 120. auri unciis, pro belli impensis. Legem tamen acceptavit & solvit Cæsar, quo facto absolutionem impetravit, anno 1230.

§. 8. Tumultuantibus dein contrà Papam Romanis, Imperator isti auxilium promisit; Cùm verò miles Germanus contrà Romanos pugnare renueret, in Germaniam abscessit. anno 1233. Indignatus properteà Papa, magnis calumniis Imperatorem accusans, ubique, quos potuit Principes in eum concitavit, inque his ejus filium *Henricum* Roman. Reg. cum Longobardis, an. 1235. & seq.

§. 9. *Fridericus* in Italiam rediit; *Henricum* captum in carcere punivit, & *Conradum* Romanorum Regem *Spiræ* fecit; Longobardos magna clade affectos castigavit. anno 1237. & seqq. Papa novum in eum contorsit Anathema. anno 1239. Venetos & Genuenses sibi invicem bellum facientes, pace stabilita, in Imperatorem exacerbavit; Crucem quoque contrà Eundem prædicavit, quasi Turcà pejorem. Quare efferatus Cæsar, Romam summa vi expugnavit, *Crucigeros* concidit; Clericos satis severè suppliciis affecit. *Entius* Friderici filius, Classem Venetam

tam & Genuensem multa strage superavit, anno 1240.

§. 10. *Innocentius* IV. interim favore Imperatoris Papa factus, anno 1244. tanquam ejus Amicus; cum Papatu inimicitiam capitalem assumpsit. Imperatorem ad *Concilium Lugdunense* citavit, anno 1245. non comparentem banni fulmine percussit; Principibus Germaniæ, alium Imperatorem eligerent, præcepit.

Monach. Paduan & Alb. Stadens. ad An. 1245. & seqq.

§. 11. Undè horum aliqui elegerunt *Henricum* Thuringiæ Landgravium, anno 1246. qui *Conradum* Rom. Reg ad *Francofordiam* vicit. Exin *Reutlingâ* frustrà obsessa, *Ulmam* cinxit; At in hoc obsidio sagittâ ictus expiravit, anno 1247.

§. 12. Hinc *Wilhelmus* Hollandiæ Comes electus, anno 1248. & *Aquisgrani* coronatus, anno 1249. Sed *Francofordia* irrito successu obsessa, à *Conrado* victus, ad suos profugit & tandem in bello contrà Frisios occubuit, anno 1256.

§. 13. *Fridericus* Imp. filium suum *Entium*, Vicarium per Longobardiam constituit, qui victus & captus dein ad *Bononiam*, in carcere diù pòst obiit, anno 1272. Ipse verò Imperator, insidiis *Manfredi* filii Nothi Ducis Tarentini, cum vita priscam Cæsarum Authoritatem & Germanici Imperii decus, fermè finivit.

In Bohemia.

Premislao II. succeſſit filius *Wenceslaus* II. anno 1230. qui Tartaros victos, Moraviâ & Bohemiâ ejecit. anno 1242. Cenſum à Poloniæ RR. Imperio annuatim ſolvendum, accepit ab Imperatore.

Melch. Goldaſt. T. I. C. J. pag. 346.

In Hungaria.

Andræas II. Expeditione Aſiatica clarus, ſucceſſorem habuit filium *Belam* IV. anno 1235. qui *Cunos* in Regnum recepit; at poſtea illi ingrati, Tartaris duce *Battho* irrumpentibus ſe junxerunt. ann. 1240. à quibus victus *Bela* ad *Erlaviam*, profugit in Inſulas maris Adriatici. Viribus dein receptis, Tartaros ſuperatos, iterùm pepulit, an. 1246.

In Bavaria.

Ludovico I. Kehlhemii occiſo ſucceſſit filius *Otto Illuſtris*, an. 1231. qui ducta *Agnete* filia unica *Henrici* ultimi Comitis Palatini ad Rhenum, *Heydelbergam* cum toto Palatinatu, inveſtiente *Friderico* Imperatore, Bavariæ conjunxit, anno 1215. † 1253.

Aventin. L. VIII. Annal. Boior. p. 529.

In Franconia & Suevia.

Fridericus Imp. filium *Henricum* & poſt hunc *Conradum* Duces fecit.

In Ducatu Brunſuicenſi.

Otto Puer, *Henrici Leonis* Nepos, in Comitiis Moguntinis tranſigendo cum Cæſare, Dux *Brunſuici* & *Luneburgi* fuit factus, anno 1235. † 1252. 9. Jul.

Meibom. Tom. III. Rer. Germ. p. 206. ſeq.

In

In Thuringia.

Henricus Raspo Imperator electus, ad *Ulmam* expirans, terminavit ramum suum, an. 1247. Hæredes acriter pro *Landgraviatu* decertarunt. Ab una parte *Henricus* Misniæ M. ejus ex Sorore *Juditha* Nepos. Ab altera, *Sophia*, ejusdem è fratre *Ludovico* Neptis, Uxor Brabantiæ Ducis. Bellum tandem an. 1263. ita fuit terminatum; ut Thuringia cederet Misniæ M. Hassia verò *Henrico* Brabantiæ D. filio *Sophiæ*, unde familiæ hodiernæ descendunt.

In Familia Würtembergica.

Comites Würtembergici è *Beutelspachiæ* Dynastis, Comites facti ab *Henrico* IV. Imp. in persona *Conradi* filii *Alberti*. Hac ætate floruit *Eberhardus* I. qui *Uracum* emit à *Cunone* & *Bertholdo* fratribus Uraci Comitibus, privignis suis. † 1258.

Mart. Crus. Annal. Suev. P. 3. L. 2. Cap. 10.

In Domo Badensi.

Hermanno IV. † 1243. successit filius *Hermannus* V. qui cum *Gertrude* Austriaca, Austriam accepit. † 1250. Successit filius *Fridericus* I.

In Sabaudia.

Thomas I. ab Imperatore, Vicarius Generalis per Longobardiam & Pedemontium factus, Mediolanenses clade affecit; † 1233. Successit filius *Amadæus* IV. qui Taurinenses rebelles in fidem recepit. Dux *Agostæ* & *Cablesiæ*

blesiæ ab Imperatore factus est. Sed in Vicariatu *Entius* Imperatoris filius ipsi fuit adjunctus. † 1235. Successit filius *Bonifacius* I. sub Tutela *Thomæ* II. Patrui. † 1259. *Ludovicum* IX. Franciæ R. in Palæstinam comitatus, *Rolandi* cognomen obtinuit. †. 1263.

In Lotharingia.

Simoni II. † 1207. successit frater *Fridericus* I. Comes Bitschii. † 1208. quem excepit filius *Fridericus* II. † 1213. Successore filio *Theobaldo* I. cui successit frater *Matthæus* II. † 1259.

In Sicilia & *Neapoli.*

Fridericus II. Imp. Titulum Regis Hierosolymæ conjugio cum *Jolanta* prædicta acquisivit, anno 1222. *Hierosolymam* recepit, anno 1229. Sed iterùm amisit, anno 1244. Titulus tamen Siciliæ Regibus adhuc est hæreditarius. Bellum ferbuit inter Papam & *Fridericum*. Academiam Neapolitanam fundavit, anno 1239.

In Oriente.

Petro Antissiodoro à *Theodoro Lascare* victo & capto, anno 1221. successit *Robertus Cortenæus* filius, victus & deturbatus à *Johanne Duca* genero *Theodori*, ann. 1228. Successorem habuit fratrem *Balduinum* II.

In Ecclesia.

Albigenses sub media persecutione mirè creverunt. *Ludovicus* VIII. Franciæ R. exercitum

ercitum infelici successu contrà illos eduxit, anno 1225. *Robertus Bulgarus* & *Conradus Marpurgicus*, crudelissimi eorundem persecutores, misera morte abrepti sunt. Romæ *Honorio* III. qui Hostiam adorandam sanxit, successit *Gregorius* IX. anno 1227 qui *Decretales* promulgavit, ann. 1235. *Franciscum Assisium* Canonizavit, nec non *Antonium de Padua* & *Dominicum* atque *Elisabetham* filiam *Andrææ* II. Hungariæ R. Hunc excepit *Coelestinus* IV. ann. 1242. & hunc *Innocentius* IV. anno 1244. qui Cardinalibus pileos purpureos dedit. Floruit hoc tempore *Albertus Magnus* Monachus Germanus, an. 1240. Academia Paduana ab Imperatore fundata, ann. 1221. & Salamanticensis in Hispania à Ferdinando III. anno 1220.

MAGNUM INTERREGNUM.

§. 1. Post fata *Friderici* II. Imp. miserrima fuit rerum in Germania facies. Omnia per tumultum, sine Rege, sine Lege, sine ordine agebantur, qui fortior erat prædo, cæteris dominabatur. Tota Germania & Italia, rapinis, ambitioni, violentiæ, concussionibus Potentiorum erat exposita. Electorum potentia excrevit. Superioritas Territorialis absoluta. Civitatum libertas & immedietas enata. Fœdus Hanseaticum ortum. Lehman. Chron. Spir. Lib. V. Cap. 95.

§. 2. *Conradus* IV. Romanorum Rex, audita

Hulder. Mut. Chron. Germ. L. 21. p. 190. dicta Patris morte, in Siciliam fuit profectus, ut hoc paternum Regnum sibi occuparet, *Neapolim* & *Capuam* rebelles muris disjectis pervias fecit, an. 1251. *Manfredi* tamen insidiis succubuit, an. 1254.

§. 3. Proceres Germaniæ in partes scissi, pars *Richardum* Cornubiæ Comitem, fratrem *Henrici* III. Angliæ Reg. pars *Alphonsum* X. Hispaniæ R. elegerunt. Ille magna pecunia suffragia & dein Civitates oppignoratas redimens, *Aquisgrani* coronatus est; Mox verò opibus exhaustis, sibi timens in Angliam rediit, anno 1259.

Goldastus T. 1. C. J. p. 308. §. 4. *Alphonsus* Astronomiam magis quàm Imperium amavit, & in Germaniam nunquam venit. Extat tamen ejus rescriptum, *de officio boni Regis*, anno 1253. editum.

§. 5. Interim dùm Germania ita turbaretur, Papa rerum suarum in Italia sategit, potentiam suam magis stabilivit, & quicquid potuit sibi vindicavit. Duravit hæc rerum confusio, usque ad ann. 1273. quo, impellente *Gregorio* X. *P. R.* nova electio fuit suscepta.

In Bohemia.

Premislaus III. *Ottocarus*, Patri successit ann. 1253. qui ducta *Margaretha* Austriaca, has ditiones occupavit; hac mox morte abrepta, *Cunigundam* Bulgaram sibi sociavit. anno 1255. Regnique sui fines habuit ab una parte mare Balthicum, ab altera Italiam. Prutenos devicit & *Konigsbergam* condidit.

Stepha-

Stephanum IV. Hungariæ Reg. ſuperavit.

In Bavaria.

Succeſſit Patri *Ottoni* filius *Ludovicus Strenuus* in Superiori; & alter filius *Henricus* in Inferiori Bavaria.

In Franconia & *Suevia.*

Conrado Roman. R. ſucceſſit filius *Conradinus*, ann. 1254. Natus ex *Eliſabetha* Bavarica, ann. 1252. qui dum in Italiam veniret, Siciliæ & Neapoleos Regna Avita occupaturus, Victus à *Carolo* Andium D. captus & *Neapoli* in publico theatro, cum Patruele *Friderico* Auſtriæ D. & Badæ M. decollatus eſt, anno 1269. relicto Regnorum hærede *Petro* Arragoniæ R. Ultimus fuit ex ſua ſtirpe mas legitimus. Cæterum ex ſanguine Suevico ſuperſtes fuit *Conradus Antiochenus* ſeu *Caputus*, qui tandem à Siculis *Carolo* R. proditus, ab hoc fuit ſuſpenſus. Non tamen ultimus fuit ex ſanguine, uti putat *Boxhornius*; Namque anno 1336. in Italia claruerunt *Richardus Manfredus* & *Johannes*, fratres Germani, deſcendentes à *Manfredo Notho*, & gubernantes *Faventiam* & *Imolam*; horum Stirpem demum exterminavit *Valentinus Borgia* filius *Alexandri* VI. *P. R.* Franconia, Suevia & Tractus Rhenanus, fuerunt mutilatæ. Epiſcopo Herbipolenſi maxima Franconiæ pars ceſſit, qui inde etiamnum *Dux Franconiæ* audit, & cum *Miſſam* celebrat, gladium evagina-

Monach. Pad..an. ad Anno 1265 & ſeqq.

Hiſtor. Univ. p. m. 788.

ginatum altari imponit; unde versus: *Herbipolis sola judicat ensestola.* Civitates verò pleræque & Nobilitas horum locorum, in immedietatem sese erexerunt. Alias Vicini potentiores variis titulis absorbuerunt.

In Domo Brunsuicensi.

Patri *Ottoni* successit *Albertus Magnus*, qui fratri *Johanni* Ducatum Luneburgicum reliquit.

In Hassia.

Præfuit *Henricus* Puer.

In Wurtembergia.

Eberhardo Patri successit filius *Ulricus* mit dem grossen Daumen. † 1255. successore filio *Eberhardo* II. *Illustri.*

In Badensi Domu.

Fridericus I. Neapoli cum *Conradino* D. fuit decollatus, anno 1269. successore Patruo *Rudolpho* I.

In Sabaudia.

Bonifacius I. Manfredi Siciliæ R. Sororii sui partes amplexus, à *Carolo* Andigav. victus & captus ex mœrore obiit, anno 1263. Successit *Petrus* I. Com. Romont. exclusis Lege Salica *Bonifacii* Sororibus. Hic fuit primus *Baro de Vaud.* Comitem Genevensem subegit. Ei † 1289. successit frater *Philippus* I. AEpiscopus Lugdun. pedo relicto, debellavit cum *Guidone* Delphino Viennæ, & dein cum *Rodolpho* Imp.

In

In Lotharingia.

Matthæo ſucceſſit filius *Fridericus* III.

In Sicilia & Neapoli.

Nova periodus cœpit. Poſt obitum *Conradi* Reg. *Manfredus* nomine *Conradini* tanquam Tutor ſceptrum arripuit; deinde ficta *Conradini* morte, proprio nomine tenuit, & *Alexandrum* IV. ſatis exercuit, à quo fuit excommunicatus. Mox verò *Urbanus* IV. *Carolum* Andium D. fratrem *Ludovici* IX. Franciæ R. in Siciliam advocavit, hæc Regna ei tradens; quod inchoatum, perfecit *Clemens* IV. anno 1265. *Carolus* Italiam intrans, *Manfredum* ad *Beneventum* acie ſuperatum interimit, anno 1266. atque Siciliam occupat. *Conradinus* anno 1268. in Italiam ſimiliter movens, eadem fata fuit expertus. Manus enim conſerens cum *Carolo*, in Apulia in *Campo Palentino*, d. 9. Aug. victus atque in fuga agnitus, à civibus quibusdam Romanis *Carolo* pro immenſa pecunia traditus eſt; qui ipſum *Neapoli* d. 4. Kal. Novemb. anno 1269. cum *Friderico* Auſtriæ D. publicè decollari fecit. Cauſa attributa fuit *Clementi* IV. P. R. qui *Carolo* R. conſulenti reſcripſit: *Vita Conradini, mors Caroli; mors Conradini, Vita Caroli.* Hoc ampliùs patet ex antiqua cantilena Germanica, cujus tenorem refert *Felix Reineccius* Ordinis S. Franciſci. Hoc igitur pacto, hæc Regna Germanis iterùm à Papa fuerunt erepta.

Henric. Stero. ad An. 1268. Joh. Rivius. Decad. 2. Rer Francar. Lib. 6. p. 147. P. 5. Sap. Franc. lib. C. 1. & 2.

In

In Oriente.

Cpoli *Balduinus* II. à *Michaele Palæologo* pulsus & Imperio privatus, in Latium profugit, ann. 1262. rediit itaque iterùm ad Græcos Imperium. *Peloponnesum* recuperavit.

In Ecclesia.

Waldenses indies aucti sunt, *Credentium* nomine in Longobardia noti. Prussi ab *Ottocaro* Bohemo & Equitibus Crucigeris ad fidem adacti. *Ludovicus* IX. Franciæ Rex Judæos Regno suo ejecit, motus ad id exprobratione Saracenorum: *Eum parùm diligere JEsum Christum, quòd infensissimos ejus hostes insinu foveret.* Romæ *Innocentius* IV. Canonizavit *Hedmundum* Episcop. Cantuar. *Petrum Veronensem* Waldensium persecutorem, & *Stanislaum* Episcop. Cracov. Librum conscripsit contrà *Petrum de Vineis* Friderici II. Cancellarium, *de Jure Imperatoris & potestate Papæ.* † ann. 1254. Successit *Alexander* IV. qui *Wilhelmum de S. Amore*, libellum contrà merita paupertatis scribentem damnavit. *Claram* Francisci Sororem canonizavit. Eum excepit ann. 1262. *Urbanus* IV. qui festum Corporis Christi instituit, ann. 1264. & hunc *Clemens* IV. ann. 1266. qui decimas à Clero exigere cœpit; *Hedwigem* & *Ludovicum* IX. Franciæ R. canonizavit. † 1271. suffectus est *Gregorius* X. Floruit hoc tempore *Thomas Aquinas.*

IMPE-

IMPERATORES POST INTERREGNUM EX VARIIS FAMILIIS.

XXVI.

Rodolphus I. Com. Habsburg. Filius *Alberti* Sapientis & *Judithæ* Com. Bregentii, Nat. 1218. 27. April. Imperator factus Ann. 1273. † 1291. prid. Cal. Oct. Imp. 18. Ætat. 73.

§. 1. Princeps fuit animo & corpore magnus, Prudens & Strenuus miles. Undè tantam nominis famam fuit adeptus, ut ab *Uriis*, *Suitensibus*, *Tigurinis*, *Basilienfibus* atque *Argentoratensibus* Belli Dux sibi fuerit constitutus. Acria bella habuit cum *Walthero à Geroldseck* Episcopo Argentin. & cum *Henrico Neocomensi* Episcop. Basiliens. quem in urbe *Basilia* obsessum tenuit, cùm *Fridericus* Com. Zolleranus ei nuntium factæ electionis afferret. Itaque pace cum Episcopo attonito facta, obsidionem solvit. Comitem Zolleranum Consobrinum suum in Burggraviatu Norimbergensi confirmavit, & à *Sigfrido* AEpiscopo Coloniensi Aquisgrani coronatus fuit.

Albert. Argentin. in Chron. ad Anno 1273. Henric. Stero in Annal. ad An. 1273.

§. 2. Adversarios habuit Ducem Juliacensem, Marchionem Badensem & Comitem

Q Wur-

Wurtembergensem, quos armata manu ad officium redegit, ann. 1275. *Ottocarum* Bohemiæ R. vicit & occidit, atque *Austriam* occupavit, an. 1278. Burgundiam Imperio vindicavit. *Pseudo-Fridericum* Imperium turbantem *Wezlariæ* obsedit, captumque combussit, anno 1288.

Alb. Argentin. ad An. 1286.

§. 3. Seditionem *Erfordiæ* sedavit, anno 1289. In Thuringia prædonum & grassatorum Nobilium Arces 60. destruxit. Factiones adversas Principum & Nobilium dissolvit. In Italiam verò nunquàm pervenit, invitatus licèt ab *Hadriano* V. *P. R.* contrà *Carolum* Siciliæ Reg.

Vid. Conting de Fin. Imp. Cap. 24.

§. 4. Hac occasione pleræque Italiæ Civitates libertatem usurparunt. *Blondus* quidem & alii nonnulli contendunt, Eum *Florentiæ*, *Bononiæ*, *Genuæ*, *Luccæ* libertatem omnimodam vendidisse, & *Nicolao* III. *P. R.* Exarchatum donasse. Sed nullo veri fundamento. Ipse *Sigonius* scribit; Se nullas harum donationum tabulas invenire potuisse, licèt omnia omnium in Italia Archivorum diplomata perspexerit.

De Regn. Ital lib. 20.

§. 5. *Carolo* Siciliæ R. filiam suam *Clementiam* desponsavit, & Provinciam (quæ erat portio Regni Arelatensis) in feudum contulit. In Helvetia pacem reduxit, privilegia & immedietatem agnovit, ac Præfectos Imperii, non Austriacos dedit. Acta & Instrumenta publica in Lingua Vernacula confici voluit.

Bzovius. in Annal. Eccles. T. 13. ad An. 1279. & seq.

§. 6.

§. 6. *Alberto* filio Austriam, Styriam, Carinthiam, Naonis portum & Carniolam in Comitiis Augustanis infeudum concessit, an. 1282. privilegia ampla hujus domus confirmavit dato diplomate *Rhenifeldæ*, an. 1283. 11. Jun. Trithem. in Chron. Hirsgav. ad Anno 1278.

§. 7. *Rudolphum* alterum filium de Suevici Ducatus reliquiis investivit. Ipse in XIV. præliis superior, *Victoriosi* nomen adeptus est. Vitæ finem instare sentiens, *Eamus*, inquit, *Spiram ad alios Imperatores*, ibique fuit sepultus.

§. 8. Matrimonium habuit duplex. (1.) cum *Anna*, filia *Alberti* Com. ab Hohenberg. † 1271. sepulta *Basileæ*, ubi etiamnum ejus Epitaphium in Choro conspicitur, (2.) cum Agnete filia *Ottonis* IV. Ducis Burgundiæ.

In Bohemia.

Premislaus III. *Ottocarus*, Austriam Imperio monitus restituere recusans, ea fuit ejectus, atque investituram quoque de Bohemiæ Regno à Rudolpho Imp. accipere fuit coactus. Ægrè ferens hanc submissionem superba Conjux, maritum ad defectionem denuò excitavit; Sed à *Rudolpho* Imp. in campo *Marchfeld* ad *Cisterscof* victus & cum XIV. M. Bohemis cæsus fuit, ann. 1278. Kal. Sept. Regnum tamen ejus filio *Wenceslao* IV. reliquit; Silesiam addidit, & filiam *Juditham* eidem elocavit. *Agnetem* verò *Ottocari* filiam dedit filio suo *Rudolpho* Sueviæ D. Albert. Argent. in Chron. ad Ann. 1278. Æneas Sylv. Cap. 27. Bohemiæ.

In Hungaria.

Belæ IV. † 1275. ſucceſſit filius *Stephanus* IV. qui Bulgariam & Myſiam occupavit. *Maria* ejus filia nupſit *Carolo Claudio* filio *Caroli* Siciliæ Reg. Ei † 1278. ſucceſſit filius *Ladislaus* III. ſub quo Tartari Cunis juncti Hungariam miſerè vaſtarunt, an. 1285. Mox Rex à Cunis (quorum filias ſtupraverat) fuit occiſus, anno 1291.

In Auſtria.

Albertus I. Dux factus, ducta *Eliſabetha* filia *Mainradi* Com. Tyrol. hodiernæ Sereniſſimæ familiæ extitit Author.

In Bavaria.

Præfuit *Ludovicus Strenuus*, qui ab initio non admodum *Rudolpho* Imp. paruit. Terras inter filios ſuos diviſit. *Rudophus* Palatinatum cum Electorali dignitate retinuit. *Ludovicus* Bavariæ Ducatum accepit.

In Domo Brunſuicenſi.

Alberto † 1278. ſucceſſerunt filii *Henricus Mirabilis*, Grubenhagæ & Eimbeccæ. *Albertus Pinguis* Göttingæ.

In Wurtembergia.

Eberhardus cum Comite Tecciæ & Civibus Eslingenſibus debellavit, quibus Imperator ſuppetias tulit, atque *Stuttgardiam* obſedit.

In Badenſi Domo.

Rudolphus cum Imperatore debellavit. † 1288.

† 1288. succeſſit filius *Hermannus* VI. † 1291. excepit filius *Fridericus* II. *Henricus* III. Marchio Hochbergicus, *Heitershemium* in Brisgoja *Ordini Johannitico* dono obtulit.

In Sabaudia.

Philippus I. pace cum *Rudolpho* Imp. inita, anno 1 82. † 1285. Succeſſit Nepos ex fratre Thoma *Amadæus* V. qui Comitem Genevenſem profligavit & Sabaudiam multis ditionibus ampliavit.

In Oriente.

Michaël VIII. *Palæologus*, quòd Latinis nimis faveret à ſuis fuit occiſus, anno 1283. Succeſſorque filius Patrem in loco Sacro tumulari noluit.

In Eccleſia.

Gregorius X. acto Lugduni Concilio, cui *Michaël* Imp. Græcus interfuit, Eccleſiam Græcam ſibi ſubjecit, ann. 1274. & Tartari aliqui Proceres baptizati ſunt. Verùm acta hujus Concilii, Græci improbarunt Hic Papa Italiam nunquam vidit. † 1275. Succeſſit *Innocentius* V. huic *Hadrianus* V. & huic *Johannes* XXI. anno 1276. cui lacunaris ruina eliſo 1278. ſucceſſit *Nicolaus* III. qui Veſperas Siculas cum *Petro* Arragoniæ R. inſtituit, quibus omnes Franci in tota Sicilia una die trucidati fuerunt, anno 1282. Succeſſorem habuit *Martinum* IV. Gallum natione. Anno 1283. qui inimicus Germanorum fuit jura-

tus & *Petrum* Arragoniæ R. excommunicavit. Successit *Honorius* IV. anno 1287. qui à Germanis quartam bonorum Ecclesiasticorum exegit, cui rei se opposuit *Probus* Episcop. Tullensis, & Legatus Papæ in Comitiis Würtzburgensibus, tantum non fuit occisus. *Carmelitis* Vestem nigram in candidam commutavit. † 1288. Successore *Nicolao* V. Academia Perusina fundata, anno 1290.

XXVII.

Adolphus I. Com. Nassov. Lin. Weisbad. Ann. 1292 † 1298. Imp. 6.

Huld. Mut. Chron. Germ. lib. 22.

§. 1. Tentarat quidem *Rodolphus* Imp. filio suo *Alberto* successionem procurare, sed semper frustrà. Industria quippè *Gerhardi* AEpiscopi Moguntini, hic *Adolphus* fuit electus & *Aquisgrani* coronatus, anno 1292.

Annal. Colmar. ad Anno 1293. & seqq.

Pappenhem. in Chron. Austr. ad An. 1295. & seqq.

§. 2. Princeps erat strenuus in armis; sed potentia non multum valuit. Fœdere pacto cum *Eduardo* I. Angliæ Reg. 100000. auri marcas accepit Principibus distribuendas, ut auxilium adduceret contrà *Philippum Pulchrum* Franciæ R. Verùm ex his nummis emit Thuringiam ab *Alberto* Landgravio, qui à suis filiis *Theodorico* & *Friderico* dissentiens, eos iniquissimè exhæredaverat. His itaque contractum improbantibus & possessioni acquirendæ resistentibus, cum exercitu in Thuringiam movit, eamque crudeliter populatus est, malo in confines quoque provincias transfuso.

§. 3.

§. 3. Accessit Principum despectus & indignorum ad officia publica promotio. *Albertus* Austriacus quoque Imperium ambire non destitit. Unde tandem conspiratione orta, Electores *Adolphum* deposuerunt, Eique *Albertum* suffecerunt, anno 1298. Vi retenturus Imperium *Adolphus*, in prœlio ad *Dornbergam* propè *Wormatiam* cecidit, & in Monasterio *Frawenfeld* fuit sepultus. Notandum tamen, quòd omnes illi, qui conspirationis fuerunt complices, violenta morte brevi fuerint abrepti. Lehman. Chron. Spir. lib. 7. Cap. 11.

In Hungaria.

Regnum adeptus est *Andræas* III. 1291. Nepos *Andrææ* II. Rem habuit cum *Alberto* Austriaco; sed lis pace fuit terminata, 1296. firmatâ Conjugio cum *Agnete* filia *Alberti.*

In Bavaria.

Ludovicus insigniter auxit terras Bavaricas & Palatinas. *Ottocarum* Bohemum fugavit. *Fridbergam* condidit, ab *Adolpho* Imp. proscriptus est, ann. 1292. † 1294.

In Würtembergia.

Eberhardus, Alberto contrà *Adolphum* Imp. adhæsit. Unde Comitatum Grœningensem pro XII. M. obulis ab illo obtinuit.

In Oriente.

Andronicus II. præfuit. *Osmannus* Turca Caramanniæ Præfectus à Principe Iconiensi, *Portæ Ottomannicæ* fundamenta jecit, 1297. Pater ejus fuit *Ertukul* Rusticus. Nomen

 habuit,

habuit à pago natalitio *Ottmanach* servorum habitaculo.

In Ecclesia.

Græci Synodo *Adramyti* habita, ab Ecclesia Latina sese iterùm sejunxerunt. *Petrus Joannes* Franciscanus Monachus, & *Petrus Cassiodorus* Italus, è sepulchris extracti & cremati sunt, quod in scriptis suis Papam *Antichristum* appellassent. Romæ *Nicolao* IV. † 1294. successit *Cælestinus* V. Eremita. At *Benedictus Cajetanus* Cardinalis, per tubum voce in ejus cubiculum clanculùm noctu dimissa, Eum adhortatus est: dimitteret Papatum, si velit salvus fieri, negotium esse suprà vires. Qua voce territus Eremita, Papatum dimisit, cui iste successit, nomine Bonifacii VIII. Ann. 1294.

XXVIII.

Albertus I. Austriæ D. Filius *Rodolphi* Imp. ex *Anna* Hochbergica, Electus *Moguntiæ*. An. 1298. † 1308. Imp. 10.

Henric. Stero ad An. 1298. §. 1. Princeps fuit audax & bellicosus, sed Infidelis & avarus. Confirmationem à Papa ægrè impetravit, per Oratores missos petitam, demùm ann. 1303. quòd Papa illum hoc modo, contrà Philippum Pulchrum Franciæ R. instigare vellet, cujus Regnum Imperatori subjecit. De limitibus cum prædicto Rege transegit, positis columnis æneis

§. 2. Nul-

§. 2. Nullo insidiarum genere caruit. Veneno tentatus, difficulter illud reddidit, rupto indè altero oculo. Conspirationem passus est multorum Procerum, quos inter Electores Ecclesiastici, Elector Palatinus & Bavarus, *Eberhardus* Comes Würtembergiæ, Marchio Misniæ, &c. & de ejus remotione actum, eâ præcipuè de causa, quòd Papa ei esset infensus, ob Conjugem *Elisabetham* filiam Comitis Tyrolensis, ex Sanguine Suevo adhuc ortum ducentem; dein quod suum magis & familiæ commodum, quàm Imperii quæreret. Factionem tamen armis suppressit, Ann. 1301. ad 1303. Albert, Argent. ad Ann. 1301.

§. 3. Tandem cùm *Johanni* Nepoti suo ex fratre *Rudolpho* Sueviæ D. paternas ditiones tradere contumeliosiùs negaret, ab hoc Baronibus *Rudolpho de Warth*, *Walthero de Eschibach* atque *Udalrico de Palma* juncto, dùm in Helvetios ire cogitaret, interfectus est Kalendis Maji in Meridie. An. C. 1308. Imp. 10. Eo in loco ubi posteà *Elisabetha* ejus Vidua, Cœnobium *Königsfelden* propè *Brugam* extruxit. Idem. ad Ann. 1308.

In Bohemia.

Wenceslao IV. successit filius *Wenceslaus* V. qui quoque Regnum Hungariæ ab Hungaris oblatum obtinuit, an. 1301. Verùm gulæ, sævitiæ, rapinæ, libidini deditus omnium odium incurrit, ac tandem in expeditione

Polonica, à Nobili Thuringo *Conrado à Bottenſtein*, *Olmuzii* in Moravia, tribus vulneribus confoſſus eſt, ann. 1306. ultimus ex *Zechi* familia. Ejus ſoror *Anna* nupta erat *Henrico* Carinthiæ D. qui quoque Regnum occupavit. *Albertus* verò Imp. eo propulſato, filium ſuum *Rudolphum* Regem fecit, quo autem ann. 1307. extincto, *Henricus* fuit revocatus.

In Hungaria.

Aliqui Statûs *Andrææ* III. pertæſi, *Carolum Robertum* Siculum & pronepotem *Stephani* IV, ex filia *Maria* ad Regnum vocarunt, ann. 1299. ortus indè mœror *Andrææ* vitam abripuit, ann. 1301. qui familiam *Stephani* I. terminavit. Hinc Hungari *Wenceslaum* Bohemum elegerunt, Nepotem *Belæ* IV. ex filia *Anna*, & hoc occiſo ann. 1306. *Ottonem* Bavariæ D. itidem Nepotem ex filia *Belæ* IV. Sed à *Ladislao* Principe Transſylvaniæ coactus fuit, corona depoſita, regno renunciare, ann. 1309.

In Auſtria.

Poſt Albertum Imp. ſucceſſerunt ejus filii ex quibus ſtirpem continuavit. *Albertus* II. *Sapiens*, uxorat. cum *Johanna* filia *Ulrici* III. ultimi Comit. Pfiretarum. *Fridericus Pulcher* ruſticos rebelles domuit.

In Bavaria.

Patri ſucceſſerunt filii *Rudolphus Balbus* qui Electo-

Electoratum retinuit, & *Ludovicus* qui Bavariam nactus est; unde Stirpes hodiernæ *Palatina* & *Bavarica* ortum habuerunt.

In Würtembergia.

Eberhardus castrum *Gruningam* pro impensis belli adversùs *Adolphum* Nassovium, i. e. 12000. libb. obulorum, ab *Alberto* Imp. nactus est, anno 1301. Urbem *Neifenam* à *Conrado* Weinspergæ Comite emit, pretio 7000. libb. obulorum, ann. 1301. Similiter medietatem Comitatis Calvensis (qui extinctis istis Comitibus ad Comites Tubingenses pervenerat) ab istis emit. Martin. Cruf. Annal. Suev. Lib. IV. Cap. 14.

In Hassia.

Henricus Puer arcem Cassellis extruxit. *Beilstenium* emit. Cum Episcopo Moguntino & Paderbornensi debellavit eosque vicit. † 1308. successit post fratrem Johannem filius *Otto* qui primogenituram introduxit, 1311.

In Helvetia.

Urii, *Suitenses* & *Underwaldenses* pagi liberi Imperii, injustè oppressi à Præfectis ab *Alberto* Imp. constitutis (qui adempta iis libertate, hos pagos suis ditionibus addere moliebatur) contrà violentam hanc oppressionem & ad conservandam suam libertatem atque statum immedietatis, fœdus defensivum inierunt, ann. 1307.

In Oriente.

Andronicus II. classem propriam exussit, & *Otto-*

Ottomanno Asiam cedere fuit coactus, qui *Perusiæ* in Bithynia sedem suam fixit. Anno 1306.

In Ecclesia.

Waldenses nulla Monachorum rabie extingui potuerunt. *Philippus Pulcher* Galliæ R. eorum persecutionem inhibuit, anno 1304. In Italia noti erant sub nomine *Fraticellorum*. Romæ *Bonifacius* VIII. in *Gibellinos* sæviit, ann. 1299. *Philippum* Franc. R. superbè tractavit, sed ab hoc *Fatui* nomine fuit condecoratus, ann. 1300. dein captus in carcere obiit, 1303. dictum fuit de eo: *Intravit ut Vulpes, regnavit ut Leo, mortuus est ut Canis.* Successorem habuit *Benedictum* IX. Ann. 1304. & iste *Clementem* V. Ann. 1305. qui sedem Papalem transtulit Romà Avenionem in Gallia, ubi mansit, LXXIV. annos. Floruerunt *Dantes* Poëta, *Johannes Duns* Scotus, Doctor subtilis dictus, *Raymundus Lullius* & *Arnoldus Villanovanus.*

XXIX.

Huld. Mut. L. 23 Chron. pag. 213.

Henricus IV. Comes Luzelburg. filius *Henrici IV.* & *Beatricis* Com. Haoniæ. Elect. Ann. 1308. †1313. Imp. 5.

§. 1. Occiso *Alberto* non pauci Imperium ambierunt; quos inter ambitiosissimus erat *Philippus* Franciæ R. Sed Pontificis instigatu eum respuerunt Electores.

§. 3. *Hen-*

§. 2. *Henricus* integras in reſtaurandis Imperii & Italiæ corruptis rebus conſumpſit vires. Namque ab ætate *Friderici* II. nullus in Italiam venit Imperator. Jura Imperatoria maximam partem neglecta jacebant. Funeſtæ *Guelphorum* & *Gibellinorum* factiones cuncta conturbabant. Singulæ Civitates quaſi ſibi relictæ, proprio ſeſe gubernabant Imperio. Præcipuæ familiæ effrænes factæ & dominationis impatientes, altera alteram perſequebatur & deturbabat.

§. 3. His igitur malis ut mederetur Imperator & ſimul coronam acciperet, in Italiam profectus eſt, ann. 1310. & ubique victor Civitates vel in deditionem accipiebat ſubmiſſas, vel vi capiebat repugnantes. *Brixiam* non ſine longæ obſidionis faſtidio captam evertit; *Cremonam* mœnibus nudavit. Conrad. Vecer. in Henrico. IV. ad An. 1310. & ſeqq.

§. 4. *Mediolanum* dictis factionibus erat diſciſſum; partim *Guidoni Turriano* Guelphorum Principi, partim *Matthæo Viſcontio* Gibellinorum Capiti parebat. *Henricus* Imp. advolans partes adſpeciem conciliavit, ibique Coronam accepit, reſtitutis per totam Italiam extorribus ſive *Guelphis* ſive *Gibellinis*. Sed mox Guelphi *Turriano* Authore ſumptis armis tumultum fecerunt, Germanos urbe ejecturi; Iſti verò *Viſcontii* & Gibellinorum auxilio ferociores, prœlio reſtaurato Guelphos urbe fugatos *Vercellas* uſque proſecuti ſunt.

§. 5. Jam

§. 5. Jam eo ipso Papæ *Johannis* indignationem Imperator incurrerat; Unde ille fratrem suum *Robertum* Apuliæ R. excitavit. Quem Imperator *Pisas* citatum banno Imperiali innodavit & capitis damnavit, anno 1311. 7. Maji. Dein Florentinos captos pacavit atque Guelphos urbe exegit. *Romam* summa vi cepit; Romanos cum *Roberto* Rege profligavit, ibique coronam contrà prohibitionem Papæ à quibusdam Cardinalibus accepit, ann. 1312. atque *Amadæum* Sabaudum Vicarium constituit.

§. 6. Aurum coronarium à Romanis more antiquo popofcit; Sed *Ursini* sibi adversi, arreptis armis, illum urbe cedere coëgerunt. Inde profectus *Aretium*, in Luccenses & Florentinos iterùm movit, sed irrito successu.

§. 7. Interim Senensium fides refriguerat, commeatum Imperatori intercludentium. Decretum autem in eos bellum mors improvisa impedivit, quippè Imperator communicaturus, à *Bernhardo* Monacho Dominicano, veneno calici immixto sublatus est ad *Boncoventum*. Attamen *Stephanus Baluzius* producit Diploma emanatum à *Johanne* Bohemiæ R. filio Imperatoris *Henrici* VII. sub dato, *In Castro Magduno super Euram Bituricensis Dioecesis, ann.* 1346. 17. *Maji.* hoc factum planè negans & Dominicanos excusans.

Henric. Stero ad An. 1313

Tom. I. Misc. pag. 162.

§. 8. Comitatum Hennebergicum in favorem

vorem *Bertholdi* Comitis, Principali axiomate insignivit *Francofordiæ* anno 1310.

Conjugem habuit *Margaretham*, filiam *Henrici* Brabantini.

In Bohemia.

Johannes I. filius *Henrici* VII. Imp. capta Praga & ducta *Elisabetha* filia *Wenceslai* IV. *Henricum* Carinthiæ D. pepulit, regnumque suæ familiæ intulit, anno 1311. Alb. Argent. ad An. 1309.

In Hungaria.

Carolus Robertus remotis æmulis *Wenceslao* & *Ottone* suprà dictis, sceptrum est adeptus, ann. 1310. *Matthæum* Palatinum & Comitem Trentschinum rebellem, ad *Caschaviam* cæsit, ann. 1312. *In Austria. Fridericus* cum *Ottone* Bavaro debellavit. Pax facta, anno 1312.

In Würtembergia.

Bellum ferbuit inter Ducem & Imperatorem Sueviæque civitates 1310.

In Sabaudia.

Amadæus V. suprà dictus, *Henricum* Imp. in expeditione fideliter adjuvans, ab hoc Imperii Princeps, anno 1310. & dein Vicarius per Italiam renunciatus est, anno 1313. dato ipsi *Comitatu Astensi* & *Ivreæ*.

In Oriente.

Andronicus II. Hospitalariis Asiâ pulsis *Rhodum* concessit, an. 1310. Turcas contrà Alanos

Alanos in auxilium evocavit, illisque ita, imprudenti consilio; iter in Thraciam ipse monstravit.

In Ecclesia.

Jussu *Clementis* V. crux in *Waldenses* assumpta est; Venetos quoque excommunicavit; quòd Ferraram *Francisci Atestini* tyrannidi eripuissent, neque priùs absolutionem iis dedit, quàm eorum legatus *Franciscus Dandalus*, ad pedes ejus provolutus, ferreâ catenâ collo cinctus, canis ad instar, sub mensa cibantis jacuisset, atque ita veniam precatus esset, anno 1310. In Concilio dein Viennensi in Delphinatu ann. 1311. de bello sacro actum; Clericis venatio interdicta; Ordo *Templariorum* damnatus & crudeliter in Francia extirpatus est, ann. 1312. & 1313. Judæos quoque *Philippus Pulcher* Franciâ expulit, & Academiam Aurelianensem fundavit, ann. 1312.

XXX.

LUDOVICUS V. (al. IV.) Bavariæ Dux. Post longam altercationem Electorum suffragia scissa sunt. Bohemus, Trevirensis, Moguntinus & Brandenburgensis, *Ludovicum*. Coloniensis, Palatinus & Saxo, *Fridericum Austriacum* elegerunt, Ann. 1314. † 1347. Imp. 33. ætat. 60.

§. 1. Ci-

§. 1. Civile mox bellum habuit cum *Friderico Austriaco*, qui coronam sumsit *Bonnæ* & *Ludovicus Aquisgrani*. Iste ut impensis par esset, Egram urbem *Johanni* Bohemo pro XXM. marcis oppignoravit, cum perpetuò reluendi pacto, ann. 1315.

§. 2. *Johannes* XXII. interim Papa electus. *Ludovico* prætulit *Fridericum*. Tractum fatalis belli malum, donec *Fridericus* ad *Ampfingam* à *Ludovico* operâ *Sigfridi Schweppermanni* Ducis victus & captus esset, ann. 1323. *Leopoldus* frater insignia Imperii penès se retinuit, fratremque liberare toto triennio sed frustrà laboravit. Donec tandem interventu Principum liberaretur inita transactione, qua Imperatorio titulo renunciavit; *Leopoldo* verò in solatium impensarum bellicarum, *Neoburgum ad Rhenum, Scaphusium, Rhenifelda* & *Brisacum* pro 20000. flor. oppignorata sunt; salvis tamen privilegiis & libertate earundem, anno. 1327. *Fridericus* triennio pòst obiit. Henr. Rebdorf. ad Ann. 1322. seq. Lehman. Chron. Spir. Lib. 7.

§. 3. *Ludovicus* à Papa excommunicatus isto invito in Italiam perruperat, ann. 1328. atque *Mediolani* coronam accepit, ubi *Visconti* ejus urbis Præfecturam dedit; quos Papa anathemate quoque feriit; coronationem quoque aliquoties requisitus denegavit. Hinc *Ludovicus* Romam profectus, *Johannem* XXII. deposuit & *Nicolaum* V. substituit, à quo coronam accepit; *Castruccium* quoque Meibom. Op. sc. Hist Pag. 508.

Civitati Romanæ præfecit; ubique in Civitatibus Vicarios reliquit, & ita venenum atque insidias metuens, in Germaniam reversus est, ann. 1329.

§. 4. Acto dein *Francofordiæ* concilio, de Authoritate Papæ & ejus insolentia disputatum, eaque ubivis in dubitationem adduci cœpit, & *Robertus* Apuliæ R. proscriptus est.

§. 5. Interim *Benedictus* XII. electus anathema continuavit, ann. 1335. *Ludovicus* celebratis *Francofordiæ* comitiis, legem tulit: Ut Imperator, majori suffragiorum numero electus, legitimus haberetur, etiam antè coronationem Papalem, privatione feudi iis proposita, qui asserent, Imperatorem à Papa dependere, ann. 1338.

§. 6. Hinc *Eduardo* Angliæ R. contrà *Philippum* Franciæ R. fœderatus, illum Imperii vicarium constituit, ann. 1340. Pomeraniam Ducibus ademptam, quòd in discordia durante, feudi renovationem neglexissent, alteri filiorum *Ludovico* Romano dedit.

§. 7. *Clemens* VI. electus ann. 1342. anathematis fulmen instinctu Galliæ Regis pertinaciter continuavit. Præscripserunt quidem pacis conditiones, sed adeò ignominiosas, ut in Comitiis Francofortanis publicè damnarentur, ann. 1344. Magis indè accensus Papa, novam electionem Electoribus imperavit; quos inter Ecclesiastici, atque è secularibus

laribus Saxo & Bohemus, *Carolum* Bohemiæ R. filium elegerunt, ann. 1346. Franconia tamen, Suevia & Alſatia in fide *Ludovici* permanſerunt, & majores turbæ exſpectabantur, cùm is *Norimbergæ* venenum propinatum, venationis motu & ſudore excuſſurus, lapſus equo obiret, ann. 1347. Imp. 33. Princeps ſane gloria & animi elatione atque Zelo pro libertate Germaniæ nulli ſecundus, plurimis prior. Huld. Mut. Lib. 25.

§. 8. Conjugem habuit *Beatricem, Wilhelmi* Hollandiæ Com. filiam, per quam Hollandiam, Seelandiam & Hannoniam ſtirpi adjunxit, ann. 1345. *Reinholdum* Gueldriæ Comitem creavit Ducem, ann. 1324. & Comitatum Juliacenſem erexit in Marchiam.

In Bohemia.

Johannes I. poſt multas res in Germania, Italia & Lituania præclarè geſtas, in prœlio ad *Creſſiacum* adverſus Anglos, cœcus licet, equo impoſitus & in hoſtes medios illatus, occubuit fortiter dimicans, ann. 1346. Succeſſore filio *Carolo* IV.

In Hungaria.

Carolo Roberto † Ann. 1342. ſucceſſit filius *Ludovicus* I. qui Poloniæ R. fœderatus Litthuanos huic iterùm ſubjecit, Bohemosque Poloniâ ejecit, ann. 1343. Tartaros repreſſit. Croatás rebelles ad officium redegit. *Jaderam* Venetis eripuit.

In Austria.

Albertus II. *Sapiens*, cum Uxore Comitatum *Pfiretarum* acquisivit. Archiepiscopo Salisburgensi varia loca pro impensis belli oppignorata. Styria, Carinthia & Carniola acquisitæ pòst obitum *Mainhardi*. Carinthiæ D.

In Palatinatu.

Rudolfus Balbus successit Patri *Ludovico Strenuo*, ann. 1294. Friderico Austriaco adhærens, à fratre *Ludovico* Imp. pellitur, & in Anglia exul moritur, ann. 1319. successore filio *Adolpho Simplice*, qui fratri *Rudolpho Cæco* Electoratum cedens obiit, ann. 1327. cum hoc *Ludovicus* Imp. divisit terras *Papiæ*. Eum † 1353. excepit *Rupertus Rufus*, qui Academiam Heidelbergensem fundarat, ann. 1346.

In Bavaria.

Alb. Argent. p. 120. *Ludovicus* Imp. mortuo *Henrico* & ejus filio unico *Johanne* Bavariæ D. Ann. 1339. & 40. totam Bavariam obtinuit. De dignitate Joh. Avent Annal. Boic. Lib. 7. Electorali ita transactum; ut proles sua atque fratris alternatim munus in electionibus exercerent; Sed hæc transactio in irritum posteà cecidit.

In Domo Brunsvicensi.

In Linea *Grubenhagensi*, *Henrico mirabili* † 1332. successit filius *Henricus Junior*, qui Terram sanctam invisurus, Cpolim venit, & ab *Andronico* II. Imp. comiter exceptus, *Auream*

Auream Bullam id est literas commendatitias ad alios Reges, Principes, Comites, Marchiones, Capitaneos, &c. obtinuit, an. 1330. die 6. *Januar.* datas; quas refert *Meibomius.* In opusc. Hist. p. 178.
Cui † 1337. successit filius *Otto* sex habens digitos. *Henrici* frater *Ernestus* Osterodam tenuit, eique † ann. 1344. successit filius *Albertus* IV. qui *Salzam* nobilium, vulgò der Helden/ quæ arx est propè *Eimbeccam*, acquisivit.

In linea *Göttingensi. Alberto pingui* † 1318. succedentes filii, terras inter se diviserunt. Primogenitus *Otto* cognomine *Largus* obtinuit *Brunsvicum*; eoque sine prole defuncto ann. 1334. ejus portio inter reliquos duos fratres fuit divisa. Secundus *Ernestus* habuit *Göttingam*. Tertius *Magnus Pius* adeptus est. Sangerhusam. Vid. Hordleder, de Caus. Bell. Germ. L. 4. C. 10.

In Domo Würtembergica.

Eberhardus Illustris Alberto contrà *Adolphum Nassovium* suppetias ferens, pignoris loco pro 12000. libb. obulor. in bellum insumptorum *Græningam* castrum ab illo acceperat, ann. 1301. quod *Fridericus Pulcher Austriacus*, reluens imperio restituit an. 1316. & *Conrado Schlüsselburgico* posteà in feudum contulit *Ludovicus* Imp. Ann. 1322. Illi † 1325. successit filius *Ulricus* IV. qui *Ludovico* adhærens contrà *Johannem* Papam Vicarius Sueviæ & Alsatiæ constituitur, atque

Vid. Ulr. Obrecht. de Vexill. Imp. Cap. 4.

à *Conrado Schlüsselburgico* castrum oppidumque *Grœningam* cum jure *Vexilliferatus* pro pretio 6000. libb. Obulor. emit, ann. 1336. atque ab Imperatore *Ludovico* confirmationem & investituram accepit. *Tubingam* quoque cum pertinentiis emit à Comitibus Tubingensibus, ann. 1342. pro 5857. flor. Eum † 1344. secutus est *Eberhardus Contentiosus* filius.

Cruf. Paral. p. 3. L. 4. C. 13.

In Hassia.

Otto bellum cum Archiepiscopo Moguntino, sed infeliciter gessit. Felicior fuit in bello cum Duce Brunsvicensi. † 1323. successore filio *Henrico Ferreo*, qui AEpiscopum Moguntinum ad *Wetzlariam* vicit.

In Domo Badensi.

In linea *Hochbergica Henrico* III. successerunt filii, qui *ramum* iterùm duplicarunt. Major natu *Henricus* IV. *Hochbergicum* continuavit. Alter *Rudolphus*, *Sausenbergicum* inchoavit, atque Landgraviatum Brisgojæ obtinuit. Hochbergici acquisiverunt per *Annam* Usenbergicam uxorem *Henrici* V. dynastiam *Usenberg* & *Kentzingen*. *Rudolphum Sausenbergicum* † 1313. excepit filius *Henricus* V. in quem *Leopoldus* ultimus dynasta in *Rœtelen*, hanc dynastiam donatione mortis causâ transtulit, ann. 1315. Ei † 1333. succeffit filius *Rudolphus* V.

In linea *Badensi Friderico* II. † 1333. succes-

ſucceſſit filius *Fridericus* III. *Pacificus.*

In Sabaudia.

Amadæus V. Inſulam Rhodum ab *Ottomanno* Turca obſeſſam liberavit, ann. 1315. Cum Johanne Delphino Viennenſi fœdus fecit ad defenſionem Regni Arelatenſis, Ann. 1314. † 1324. ſucceſſit filius *Eduardus* I. quem poſt multa præclara contrà Flandros, Delphinates & Genevenſes geſta ann. 1329. excepit frater *Aymon* I. excluſa filiâ *Johanna* nupta *Johanni* Britanniæ D. Uxorem duxit *Violantam* Montferratenſem ann. 1330. atque in pactis dotalibus ipſi ſucceſſio in *Montferratum* promiſſa fuit. Pace cum *Humberto* Delphino inita ann. 1334. obiit ann. 1343. ſucceſſore filio *Amadæo* VI. decenni.

In Helvetia.

Suitenſes Eremum direptum incenderunt, ann. 1314. propterea in bannum Imperii declarati, quem tamen *Ludovicus* Imp. mox ſuſtulit. *Leopoldus Auſtriacus* Suitenſes ſubacturus, ad *Morgartam* fuſus fugatusque fuit, ann. 1315. Indè fœdus perpetuum initum inter Urios, Suitenſes & Silvanos *Brunnæ* ann. 1315. d. 7. Decemb. confirmatum à *Ludovico* Imp. Ann. 1323. die Veneris poſt F. *Leodigarii.* Archidux *Leopoldus* obſedit *Solodurum*, ſed ſuccurrentibus Bernatibus iterùm ſolvere cogebatur, ann. 1318. Mox fœderi acceſſit *Lucerna* ann. 1332. quæ conju-

rationem Catilinariam feliciter suppressit. *Tigurini* quoque in sua urbe tumultuati, Rempublicam reformarunt, ann. 1337. Bernates pugna ad *Laupam* Duce *Rudolpho ab Erlach* nobiles circumjectos, magna clade prostrarunt, ann. 1339.

In Lotharingia.

Friderico III. † 1303. successit *Theobaldus* II. qui Philippum Pulchrum Gall. R. contrà Flandros adjuvit. Nobiles rebelles castigavit. Eum † 1312. excepit *Fridericus* IV. qui Friderico Austriaco uxoris suæ fratri ad hærens, cum eo fuit captus. Tandem in Flandria occubuit, in acie ad Montcassel, ann. 1328. Successore filio *Rudolpho*, qui obiit in acie ad Cressiacum, Ann. 1346. successorem habuit filium *Johannem*. I.

In Oriente.

Andronicus II. cum filio *Mickaële* IX. præfuit. Hoc mortuo *Andronicus* III. avum suum *Andronicum* II. throno deturbavit, ann. 1320. Cui *Orchanes* filius *Ottomanni Nicæam* & *Nicomediam* eripuit, ann. 1331. & 37. Pergamum, ann. 1340. Ei † 1341. successit *Johannes* IV. *Cantacuzenus*. Tutor datus ab *Andronico* III. filio suo *Calo Johanni* II. ipse summoto pupillo, imperium arripuit.

In Ecclesia.

Waldenses Italia fugati, in Græciam diffusi sunt.

ſunt. *Marſilius Patavinus* contrà Papam ſcripſit pro Imperatore; ut & *Nicolaus Lyranus*, *Franciſcus Petrarcha* & *Wilhelmus Occamus*. De priori fuit dictum: Si *Lyranus non lyraſſet, totus mundus deliraſſet.* *Occamum* ferunt *Ludovico* Imp. dixiſſe: *Tu nos pugnis, enſe, ferro, armis à ſeveritate aſſere. Nos te linguâ, calamo, literis, ſtylo, libris vindicabimus.* Hocque tempore Papæ authoritas ſperni cœpit & infrà Concilium fuit detruſa. *Clemens* V. canonizavit *Cœleſtinum* V. ſub nomine *Petri confeſſoris.* Eum excepit *Johannes* XXII. An. 1316. qui animæ immortalitatem negavit. Clementinas & Extravagantes publicavit, anno 1317. *Tomam Aquinatem* & *Thomam Epiſcop. Hervordenſem* canonizavit. *Philippo* Franciæ R. decimas in bonis Clericorum permiſit, ann. 1332. Succeſſit *Benedictus* XII. Ann. 1335. qui *Cameram pœnitentiarum* excogitavit. Academiam Piſanam fundavit, ann. 1339. hunc excepit *Clemens* VI. Ann. 1342. qui *Jubilæum* in ſingulos 50. annos reſtrinxit & Angelis mandavit. Eccleſia quoque Græca in pejus in dies abiit. *Flagellatorum* quoque ſecta in Germania ingruit.

XXXI.

CAROLUS IV. Bohem. R. *Johannis I.* & *Eliſabethæ* Bohem. RR. filius. Nat. 1316. *Henrici VII.* Imp. Nepos. Imperator. 1347. † 1378. Imp. 31. ætat. 52.

Alb Arg. ad Ann. 1348 pag. 145. §. 1. Instigante *Clemente V. P.* vivo adhuc *Ludovico* V. electus, nil tamen contrà hunc valuit. Illo verò è vivis sublato, discordia electores iterùm agitavit; pars *Carolum* respuit & *Eduardo* III. Angliæ R. isto verò renuente, *Friderico Thuringo* Imperium obtulit, & cùm iste quoque, acceptis à *Carolo* XM. argenti marcis, excusatione uteretur, *Guntherum Schwartzenburgicum* elegit. Sed & hunc forsan aliquid ausurum *Carolus* transactione pacavit, datis ei VIM. Marcis & urbe *Gelnhausen.* Qui verò non multò post, corrupto *Fridancko* ejus Medico, venenata potione fuit sublatus, ann. 1349. Itaque *Carolus* tandem Electoribus pertinaciâ Imperium quasi extorsit, non tamen sine largitionibus.

§. 2. Adhærentibus quondam *Ludovico*, absolutionem à banno procuravit à Papa; qua in re egregium constantiæ & fidelitatis ergà Imperatorem Basilienses dederunt exemplum, recusantes per Consulem suum *Conradum Bärenfelsium* absolutionis conditiones acceptare duriter à Papa præscriptas.

§. 3. Idem ferè fecit *Norimberga. Albertum* & *Johannem* Megalopol. Principes Imperii fecit, 1349. & Comitatum Lucemburgicum in Ducatum erexit, 1354.

§. 4. Indè in Italiam profectus 1355. priùs *Mediolani*, dein *Romæ* coronatus est, ea tamen lege, ut ocyùs in Germaniam reverteretur; cui *Carolus* summa obedientiâ, at plu-

morum

morum cordatorum nauseâ paruit, *Galeacio* & *Barnaba* fratribus Mediolanensib. Imperii vicariis constitutis.

§. 5. Actis dein *Norimbergæ* & mox *Metis* comitiis, *Auream Bullam*, legem Imperii fundamentalem & perpetuam, ad stabilienda Electorum jura & præcavenda schismata & interregna in imperio, condidit, 1356.

§. 6. Decreto *Metis* publicato 1357. controversiam de jure præferendi Imperatori gladium, inter *Rudolphum Saxonem* & *Wenceslaum Lucemburgicum* agitatam, decidit.

§. 7. *Eberhardum* Würtemberg. Com. Imperium turbantem, in ordinem redegit, 1360. Bohemiam suam magnificè exornavit.

§. 8. *Robertum* Apuliæ R. proscripsit, & à Papa petiit, ut Regno ille privetur, sed responsum hoc tulit; *Nos pacem habebimus perpetuam cum Apuliæ R. in omnibus ei faventes.* Posteà vocatus in Italiam ab *Urbano* V. contrà *Bernabonem* Antipapam, 1368. cum exercitu alpes trajecit; sed facta cum *Bernabone* pace citò rediit, postquàm Florentinis magnam pecuniæ vim extorsisset.

§. 9. Tandem ut filio *Wenceslao* successionem in Imperio procuraret, magnas in Electores largitiones effudit, omnia ferè vectigalia & non paucas civitates iis oppignoravit, reditus Imperii comminuit, à *Maximiliano* I. propterea appellatus *Imperii Vitricus*. *Sigismundo* alteri filio Marchiam Brandenburgensem dedit, 1376. §. 10.

§. 10. Quatuor habuit uxores. (1.) *Blancam* fil. *Caroli Valesii.* (2.) *Agnetem* fil. *Rudolphi* Com. Pal. Rheni. (3.) *Annam* fil. Ducis Schweidnicensis. (4.) *Elisabetham* Pomeranam.

In Bohemia.

Carolus Academiam *Pragæ* instituit, 1360. Bohemiamque multis privilegiis & prærogativis exornavit, publicata Pragæ constitutione de juribus Electoralibus Bohemiæ Regis, 1378. Ei successit filius *Wenceslaus.*

In Hungaria.

Ludovicus I. Neapolis Rex factus est, 1349. Hungariæ Litthuaniam adjecit, 1355. & mortuo *Casimiro* Poloniæ R. à Polonis in Regem fuit electus, 1371. ceu ejus ex sorore nepos.

In Austria.

Albertus II. *Sapiens* cum Helvetiis debellavit. *Friburgum* in *Uchtlandia* deseruit. † 1358. relictis filiis *Friderico Splendido*, quem nobilis *Ernlieb Pottendorfius* ob stuprum uxori suæ illatum, in venatu occidit, 1362. *Alberto* III. cum trica, qui lineam Austriacam continuavit & insignis fuit Mathematicus. *Leopoldo* Tyrolensis rami authore. Hunc enim Comitatum *Margaretha Maultasch* (à labiis pendentibus ita dicta) *Henrici* Tyrol. Com. filia unica & hæres, liberis orbata, in Fratres Austriacos donatio-

ne

ne transtulerat, 1363. *Friburgum* in Brifgoja belli & transactionis mixto jure, ad Auftriacos pervenit 1366. *Leopoldus* à *Rudolpho Montfortio* Comitatum *Veldkirch* & Præfecturam in Suevia à *Wenceslao* emit, 1375. Transactione dein *Albertus* retenta Auftria, reliquas terras omnes *Leopoldo* reliquit 1380.

In Palatinatu.

Præfuit *Rupertus Rufus*, in cujus favorem *Carolus* Imp. decretum *Norimbergæ* fecit, ad afferendum ejus jus Electorale, 1356. Terras fuas variis acceffionibus crevit.

In Bavaria.

Ludovico Imp. † 1347. fucceffit filius *Ludovicus*, cui cum filio *Mainhardo* ex *Margaretha Mautafch* fufcepto extincto, fucceffit Frater *Stephanus Fibulatus* qui *Landshutam* tenuit & cum Auftriacis de Tyroli belligeravit. Eum † 1375. excepit filius *Johannes Monachienfis.*

In Domo Brunfvicenfi.

In linea *Göttingo-Sangershufana* fuccefferunt *Magno Pio* † 1368. filii *Ludovicus* & *Magnus Torquatus*. Quorum ille Ducatum Luneburgenfem ab uxore *Mechtilde Luneburgenfi* familiæ intulit, & cùm improlis obiret, in Fratrem Magnum transtulit, qui infeliciter cum Epifcopo Hildesheim. debellans captus fuit, & ut lytrum conficeret *Sangers-*

hufam

husam & *Landsbergam* vendidit. Bello dein cum *Alberto* V. Saxone implicitus ob successionem Luneburgensem, quam materno Jure *Albertus*, ut *Mechtildis* ex sorore *Elisabetha* nepos postularat, & adjuvante *Carolo* Imp. occuparat, diem clausit, 1373. succedentibus filiis *Friderico Eimbeccensi*, *Bernhardo Luneburgensi* & *Henrico Brunsvicensi*.

In Wurtembergia.

Eberhardus Contentiosus vulgò, der Greyner. *Carolum* IV. Imp. contra *Guntherum* Com. Schwartzenburg. adjuvans. Advocatiam in XXIV. Sueviæ civitates ab eodem obtinuit. Sed cùm illas nimis oneraret, orto indè bello, ea iterùm excidit, acceptis CXXXIIX M flor, 1373 Comparavit à *Friderico Teccensi* Comitatus *Kirchheim* & *Gutenberg*, nec non Comitatum Achalmensem, *Alberto* Comite Achalmensi & Pfullingensi victo & extincto.

In Hassia.

Henricus Ferreus junctus AEpiscopo Moguntino & Landgravio Thuringiæ, *Trefurtum* cepit. Dynastiam *Itter* expugnavit, 1361. mortuis filiis *Henrico* & *Ottone*, nepotem ex Fratre *Hermannum Doctum* scripsit hæredem & obiit, 1376.

In Domo Badensi.

In linea *Hochbergica* familiæ intulit *Henricus*

icus V. dynastiam *Usenberg* & *Kentzingen* ab
ıxore *Anna* acceptam. Reliquam portionem
c in specie oppidum *Endingen* ejus filius
Iesso I. emptionis titulo acquisivit. In linea
adensi successit *Friderico* III. † 1353. filius
udolphus Magnus, dicitur enim fuisse duo-
ecim pedum. Ab uxore *Mechtilde Span-
imensi* jus succedendi in istas terras familiæ
quisivit & omnes ditiones Badenses solus
llegit. † 1372. succedente filio *Bernhardo*.

In Helvetia.

Fœderi Helvetico accessit *Tigurum* & *Gla-
a*, 1351. quorum illud ob antiquitatem,
nam obtinuit sedem. *Tugium* 1352. *Ber-*
1353. qui cum 4. prioribus, Veteres
antiquiores *Cantones* vocantur. Fribur-
ı ab Austriacis desertum in clientelam
is Sabaudiæ transiit 1350.

In Sabaudia.

nadæus VI. Pedemontii partem subegit.
strem decursionem celebravit, in quo
ıum vestitum gerens, nomen *Viridis* ob-
, 1347, Cum *Johanne* Gall. R. & *Hum-*
Delphino pactus est. Ne Rex, vel Del-
s, eorumve posteri, quicquam è terris
licis acquirant, & vice versa, Sabau-
l acquirat in Delphinatu, 1351. Indè
opias auxiliares adduxit contrà An-
1355. Ordinem *Annunciationis* insti-
tuit,

tuit, 1362. Vicariatum Imperii à *Carolo* IV. habuit confirmatum. 1365. Hinc in Græciam profectus, *Johannem Palæologum* Imp. à Bulgaris captum, *Varnam* obsidendo liberavit; Turcas fugavit; *Gallipolim* expugnavit. Domum reversus bellum cum Mediolanensibus gessit. *In Lotharingia.* Johannes in Pugna ad Pictaviam ab Anglis cum Johanne Gall. R. captus est, Ann. 1356.

In Oriente.

Johannes IV. à pupillo suo *Calo Johanne* II. operà Genuensium throno deturbatus est, 1353. sub eo *Orchanes* Hellespontum primus trajecit & *Zemerickum* atque *Gallipolim* per *Solymannum* filium expugnavit, 1357. Indè *Calo Johannes* bello cum Bulgaris gesto captus, mox verò, per *Amadæum* Sabaudum liberatus, Gallipolim *recepit.* At in eo pessimè erravit, quòd Turcarum auxilio contrà Bulgaros fuerit usus. Namque hac occasione invitatus *Amurathes* I. ope duarum navium Genuensium, 60000. armatorum in Græciam trajecit, nautis pro singulo milite singulum solvens florenum, 1359. Gallipolim denuò expugnavit, 1360. *Adrianopolim* cepit. *Johannes* Imp. *Adrianopolim* obsidens, ab *Amurathe* nec opinato prælio securè agens oppressus & in fugam conversus fuit, atque *Amurathi* annuum tributum solvere fuit coactus. *Andronicum* filium consortem Imperii

perii factum sibi insidiantem pepulit.

In Ecclesia.

Romæ. *Clemens* VI. amplissimas proposuit indulgentias, refutatas scripto à Sorbonna Parisiensi. Comitatum Avenionem in Gallia à *Johanna Sicula* obtinuit. Ei † 1352. successit *Innocentius* VI. qui *Johannem de rupescissa* Monachum Franciscanum, Apocalypsin contrà Papam explicantem, comburi jussit, 1358. Successor ejus *Urbanus* V. 1362. Rosam consecratam excogitavit, & agnos cereos finxit, 1367. Eum secutus est *Gregorius* XI. 1371. qui sedem *Avenione* retulit *Romam* 1377. Floruit his temporibus adhuc *Franciscus Petrarcha*, *Johannes Taulerus* in Germania, *Nicolaus Oremus* qui jussu *Caroli* V. Gall. R. Biblia Sacra in Gallicum idioma vertit. *Johannes Wiclef* in Anglia & *S. Brigitta*, quorum omnium scripta nævos papismi prodiderunt. Academia *Heidelbergensis* fundata à *Rudolpho* Austriaco 1356. *Cracoviensis* à *Casimiro* III. Poloniæ R. 1364.

XXXII.

WENCESLAUS. *Caroli IV.* & *Annæ Schweidnicensis* filius. Patris largitionibus & nummis, Imperium ab Electoribus jam An. 1367. emptum, plenè post patris obitum habuit. Ann. 1378. Depositus 1400, Imp. 22. † 1419.

Chr. Lehman. Chron. Spir. lib. 7. Cap. 59. & seq. Dinter. Lib. 6. Cap. 37. & seqq.

§. 1. Ignavi cognomen jure merito habuit. Monstrum magis fuit, inter tàm celsissimam & divinam Imperatorum seriem haud sine rubore numerandus. Quippè nulla habita Imperii cura, ventri & voluptati indulsit, ebriosus, crudelis, deses & vanus. Urbes & terras ad Imperium spectantes alienavit, exemit. *Johannem Galeacium* ex vicario Imperii fecit Ducem Mediolanensem Comitemque Papiensem, transmissis ipsi sceptri pileique insignibus, 1388. accepta ab eo pecuniæ summa, murmurante licèt Collegio Electorali.

§. 2. Cùmque Proceres aliquos Bohemos, citrà justam causam decollasset, à Bohemis captus & custoditus est, 1392. Sed balneatricis ope è custodia elapsus. Indè ad ingenium suum redeuns à fratre *Sigismundo* Hungar. R. denuò captus & *Viennæ* ab *Alberto* Austriæ D. custoditus, auxilio cujusdam piscatoris denuò elapsus in Bohemiam rediit, suppliciumque de pluribus sumpsit, 1393.

Hold. Mut. Lib. 26 Chron. pag. 265. Albert. Crant. Lib. 10. Saxt. Cap. 9.

§. 3. Norimbergenses pro aliquot curribus vini Bacharacensis juramento solvit. Ab Electoribus iterùm admonitus, ob ignaviam & pessimos mores dignitate remotus est.

§. 4. Ejus tempore in Suevia invaluit *Fœdus* seu *Societas clypei S. Georgii* à plerisque Germaniæ Principibus in decennium pactum 1380. renovatum 1388. quod duravit usque ad ætatem *Caroli* V. Imp. à quo planè fuit dissolutum, 1533.

fuit

§. 5. *Bombardæ* & pulvis pyrius fuerunt inventæ in Germania à *Bertholdo Schwartz* Monacho & Philochymico, 1379.

In Bohemia.

Wenceslaus tyrannum egit. *Johannes Huß* & *Hieronymus Pragensis* doctrinam suam spargere cœperunt. *Pragæ* fuit laniena Judæorum, 1400.

In Hungaria.

Ludovico I. † 1382. successit filia *Maria* cum matre *Elisabetha*; at discordans cum statibus, regnum amisit, 1384. indè *Carolus* II. nepos *Caroli Roberti* coronatus, mox instinctu *Mariæ* in hujus cubiculo interfectus est, 1385. undè *Maria* iterùm thronum conscendit. Mox tamen denuò captam à *Johanne Horwato* Croatiæ Banno, *Sigismundus* Marchio Brandenb. *Caroli* IV. Imp. filius in uxorem duxit, atque ita Hungariæ Regnum obtinuit, 1386. Bannum Croatiæ prædictum, qui Elisabetham Reginam merserat, supplicio affecit. Wallachos ad officium reduxit, 1388. Sed Lodomeriam Russiæ provinciam amisit & ad *Nicopolim* à Turcis acie fuit superatus, Francorum nimio fervore, quorum nobilissimi & inter eos Burgundiæ Dux fuit captus, 1396.

In Austria.

In ramo *Austriaco Albertus* cum Bavaris transactionem iniit, de successione Tyro-

 lensi.

lenſi. Comitem Schaumburgenſem caſtigavit. Succeſſit ei † 1395. *Albertus* IV. filius. In ramo *Tyrolenſi* cæſo ad *Sempacum* Duce *Leopoldo* 1386. ſucceſſit filius *Erneſtus* I. ſeu *Ferreus* Styriæ & *Fridericus* Tyroli.

In Palatinatu.

Ruperto Rufo † 1390. ſucceſſit *Rupertus tenax* vel *parvus* nepos ex fratre *Adolpho* Electore. Acquiſivit Comitatum Bipontinum ab *Eberhardo* Comite. Varia quoque loca ad Palatinatum ſuperiorem pertinentia & olim Bohemiæ ceſſa à *Wenceslao* recuperavit. Eum excepit filius *Rupertus rigoroſus*, 1398. Cujus filius *Rupertus Pipan* ducta *Eliſabetha Spanheimenſi* partem hujus Comitatus familiæ intulit cum urbe *Creutzenach*, 1392. † 1395.

In Bavaria.

Johannes terras cum Fratribus diviſit, 1389. † 1397. ſucceſſit filius *Erneſtus Monachienſis*.

In Ducatu Brunſvicenſi.

In linea *Grubenhagenſi* ſucceſſit *Alberto* IV. † 1397. filius *Ericus*.

In linea *Göttingenſi*, *Fridericus* cum reliquis fratribus pactus eſt & jus primogenituræ introduxit. Imperator poſteà electus dolosè occiditur à Comite Waldeccio, 1400. portione ejus ad Fratres *Bernhardum Luneburg.* & *Henricum Brunſvicenſem* delata, hi à pactione priori recedentes, terras inter ſe diviſerunt.

In

In Wurtembergia.

Ulricus filius *Eberhardi* arcem *Hohenſtauffen* à Comitibus Rietheim. confirmante *Carolo* IV. emit Bello dein cum Sueviæ Civitatibus recrudeſcente 1377. in pugna ad Wilam occubuit, 1388. *Eberhardo* verò † 1392. ſucceſſit nepos *Eberhardus mitis*, ea die natus, qua pater occubuerat.

In Haſſia.

Hermannus cum *Ottone* Brunſvicenſi debellavit propter ſucceſſionem; quo in bello fidelitas civitatium Haſſiacarum emicuit. Pactum hæreditarium cum Miſnenſibus renovavit, 1370.

In Domo Badenſi.

In linea *Hochbergica* Heſſoni ſucceſſit filius *Otto* III. Sauſenbergæ *Rudolphum* V. † 1356. excepit filius *Rudolphus* VI. Familiam auxit terris Friburgicis.

In Lotharingia.

Johanni veneno ſublato 1386. ſucceſſit filius *Carolus* I. *Audax*. Cujus frater Fridericus (qui obiit in acie ad Azincourt. 1415.) rami Valdemontii fuit Author. Dux expeditionem Boruſſicam ſuſcepit, 1391.

In Helvetia.

Angli Duce *Cuſſino* à Bernatibus cæſi & profligati, 1375. cujus victoriæ extat monu-

mentum in campo propè *Frauenbrunnam*. *Leopoldus* Austriæ D. ad *Sempacum* victus & cum 676. Illustribus & Nobilibus occisus *Königsfeldæ* sepultus est, 1386. In *Glaronæ* pago propè *Næfels* alio proelio superati Austriaci suprà 3000. amiserunt, Undè Sueviæ urbium interpositione induciæ 7. annorum inter Helvetios & Austriacos pactæ, 1389. & Ann. 1394. in XX. annos productæ sunt. Ordinatio contrà Clericos privilegiis & immunitatibus abutentes, vulgò der Pfaffen-Brieff / facta, 1370. Bernates oppidum & arcem *Burgdorf*. Comitum Kyburgensium, in deditionem armis & pacto acceperunt, 1383. Ordinatio bellica à fœderatis Helvetiis publicata, 1393.

In Sabaudia.

Amadæo VI. mortuo ex peste, 1383. Successit filius *Amadæus* VII. qui Valesiam subegit & in venatu equi lapsu obiit, 1388. Successore filio *Amadæo* VIII. sub tutela Aviæ, donec ipse regimen capesseret, 1398.

In Oriente.

Calo Johannes II. à filio *Andronico* IV. ope Venetorum reduce captus, 1388. sed à Turcis restitutus est, 1392. Successit *Manuel* II. Frater *Andronici* IV. Sub quo Imperium in pejus ruere cœpit.

In Ecclesia.

Romæ post *Gregorium* XI. ingens schisma

ma 50. annor. ortum est. *Urbanus* VI. Romæ. *Clemens* VII. Avenione electus 1378. cui Franci, Scoti, Hispani, Sabaudi & Neapolitani adhæserunt. Alter alterum excommunicavit. Prior Jubilæum contraxit ad annos 33. & festum *Visitationis Mariæ* instituit, 1389. Ei successit *Bonifacius* IX. qui *Annates* primus exegit, 1391. Dominatum Romæ obtinuit 1399. Posteriori Avenione successit Benedictus XIII. 1394. ea lege electus, ut schismatis tollendi media quæreret, hoc cùm non fieret, *Carolus* VI. Franc. R. neutrum ex Papis agnovit.

Academiæ variæ fundatæ. *Ferrariensis* opera *Bartholomæi Saliceti* JCti 1382. *Coloniensis* à Senatu Civitatis, 1388. *Andegavensis* à *Ludovico* D. Andium, 1389. *Erfordiensis* à *Bonifacio* IX. privilegiis aucta, 1391.

In Italia quidam *Albus*, vestitu candido circumvagans, errores Ecclesiæ Romanæ taxavit, sed à *Bonifacio* IX. fuit combustus. *Johannes Wiclef* ex Anglia in Bohemiam secedens, ibi Waldensium doctrinam illustravit, 1382. indè in Angliam reversus, *Johannem Hussum*, præter alios discipulos reliquit, 1387, qui in Bohemia Evangelii lucem accenderunt. Litthuani operâ *Jagellonis* M. Ducis fidem Christianam sunt amplexi, 1387. Literæ Græcæ in Italia coli cœperunt.

XXXIII.

RUPERTUS I. Comes Palatin. Imperator, 1400. † 1410. Imp. 10.

§. 1. Electores *Fridericum* Brunsvicensem elegerant, ast, cum iter *Francofordiam* dirigeret, insidiis Johannis Archiepiscopi Mogunt. à Comite Waldecciæ *Henrico* propè *Fritzlariam*, adjuvante *Friderico* Hartingshausano, occisus est. Undè electio nova *Rupertum* evexit, qui Coronam *Coloniæ* è manibus *Friderici* Archiep. accepit, 1401.

Huld. Mut. Lib. 26. Chr. Pag. 266. seqq. §. 2. Statim ab initio Aquisgranenses habuit adversos, sed proscriptos mox ad officium redegit, 1401. Regnum à Bohemis oblatum recusavit, 1402. Sed *Wenceslaum* Status Imperii juramenti nexu solvere nolentem, vi coegit. *Johannem Galeacium* Mediolanensem castigaturus, in Italia ad lacum Benacum, pòst frustrà obsessum Mediolanum, & desertus à Papa, Florentinis & Moguntino, acie à *Galeacio* fuit victus, 1403. Indè in Germaniam redux, eam disciplina & justitia exornavit, postquàm filium Imperii vicarium in Regno Arelatensi constituisset, 1401. uti patet ex diplomate apud *Marquard. Freherum*. Lib. I. Orig. Palat. C. 16

In Bohemia.

Wenceslaus adhuc est debachatus, *Anthonio* Brabantiæ D. jus suum in istum Ducatum cessit, 1411.

In

In Hungaria.

Sigismundus I. in Comitiis Hatwanianis, à filiis Palatini Garani captus, 1401. tandem ducta harum sorore, regno restitutus est. Novam cladem accepit à Turcis ad *Senderoviam*, 1409.

In Austria.

Albertus IV. *Procopium* Moravum castigaturus oppidum *Znaim* obsedit, sed ex veneno obiit, 1404. Successorem habuit filium *Albertum* V. de cujus tutela agnati certarunt.

In Palatinatu.

Rupertus factus Imperator † 1410. Tres relinquens filios totidem ramorum authores. *Ludovicus Barbatus* habuit Electoratum. *Stephanus* sedit *Simmeræ* & *Johannes* nactus est *Sultzbacium* & *Neoburgum*.

In Würtembergia.

Eberhardus Mitis, splendidus in aula procerum comitante caterva, famam divitiis animoso pectore vicit. Quippè quotidiè domi aluit 6. Principes. 8. Comites. 5. Barones & 70. nobiles. Nobiles rebelles domuit.

In Sabaudia.

Amadæus VIII. Comitatum Genevensem ab *Humberto* Comite 45000. aur. emit, 1401.

In Helvetia.

Abbatiscellani ab Abbate S. Galli *Cunone* à *Stauffen* duriter pressi & in privilegiis violati, fœdus cum Suitensibus & Glaronensibus fecerunt, 1403. atque arma contrà Abbatem verterunt junctis S. Gallensibus. Archidux *Fridericus* ab obsidione S. Galli rejectus. Tandem mediante *Ruperto* Imp. pax facta & Abbatiscellani ab Abbate exempti, 1408. Expeditio quoque trans Alpes suscepta ab Uraniis & reliquis Helvetiis, vallisque Atestina subjugata, 1410. & 1411. Novocastrenses ad lacum Jus Civitatis Bernatium assumpserunt & isti vicissim, 1406.

In Oriente.

Manuel II. Isthmum muro præmunivit 1402.

In Ecclesia.

Romæ. *Bonifacio* IX. successit *Innocentius* VII. 1404. & huic *Gregorius* XII. 1406. qui ambo ad tollendum schisma, juramento se astrinxerant, cùm verò neuter fidem juratam expleret, Cardinales in Synodo Pisana, *Gregorio* opposuerunt *Alexandrum* V. 1409. qui ad concordiam suasit; mox defuncto suffectus est *Johannes* XXIII. 1410.

In Bohemia Evangelium crevit indies, *Wenceslao* connivente & dicente; *Istum anserem* (*Huß* enim Bohemis sonat *anserem*) *aurea*

aurea sibi parere ova. Pragensis Academia dispersa, Lipsiensi ortum & incrementa dedit, auspiciis *Friderici Bellicosi* Saxoniæ Electoris, 1409. Herbipolitana quoque ab Episcopo *Johanne* instituta, 1403,

XXXIV.

JODOCUS Marchio Moraviæ Frater *Caroli IV.* Imp. factus Imperator & Coronatus *Brinæ* Metropoli Moraviæ, 1410. † quinto mense post.

§. 1. Tanto fastigio impar visus est. Legem tulit; Ut Status Imperii Imperatori resistere possint, si jura Imperii violaret.

XXXV.

SIGISMUNDUS I. Hungariæ Rex, Filius *Caroli IV.* Imp. & *Elisabethæ Pomeranæ.* Francofordiæ majore suffragiorum numero electus, 1411. † 1437. Imp. 27.

§. 1. Multa & præclara gessit. Italia & Ecclesia tribus Papis lacerabatur. *Petro de Luna* seu *Benedicto* XIII. Avenione. *Angelo Carario* seu *Gregorio* XII. & *Balthasare Cessa* seu *Johanne* XXIII. in Italia. Lehman, Chron. Spir. Lib. 7. Cap. 21.

§. 2. Regnum Neapolitanum binorum Regum altercatione & dimicatione turbatum.

tum. Etenim *Johannes* XXII. P. R. ademptum *Ladislao* regnum, *Ludovico Angio* dederat; sed ambo ab illo victi sunt.

§. 3. His malis occursurus Imperator in Italiam proficiscitur, initoque cum *Johanne* XXIII. tùm Laudæ, tùm Mantuæ consilio, de colligendo in Germania concilio universali, illud *Constantiæ* ad lacum Bodamicum agendum decrevit, 1414.

Goldast. Constit. Imp. Cap. 9. §. 4. In hoc concilio Imperator Ecclesiasticis Regalia feuda abrogare voluit, sed irrito conatu.

§. 5. Citati prædicti Pontifices, & omnes tres remoti sunt, 1415. *Benedictus* XIII. diu quidem est tergiversatus, at desertus à Cardinalibus & hæreticus declaratus, manus tandem dedit. *Johannes* XXIII. præsentiens rei exitum, ope *Friderici Austriaci*, mutatis vestibus, clàm evasit, sed è fugà retractus & *Manhemii* custoditus est.

§. 6. *Fridericus* Concilii authoritate proscriptus, majorem ditionum suarum partem amisit, 1416. Hinc *Otto Colonna* à Concilio Papa fuit constitutus & *Martinus* V. dictus. 1417.

§. 7. *Johannes Huß*, 1415. & *Hieronymus Pragensis*, 1416. vivi fuerunt combusti, contrà securitatem & Salvum conductum ab Imperatore datum. Undè bellum Hussiticum Duce *Zisca* ortum, Imperatori infelix, utpote plerunque profligato, Germanis oc-

culto-

culto pavore antè hoftem confpectum aliquoties trepidè fugièntibus.

§. 8. Finito hoc Concilio, aliud *Bafileæ* actum, 1432. quo Papæ auctoritas Concilio fuit fubjecta. Literatis admodùm favit.

In Bohemia.

Wenceslao † 1419. Succeffit ejus Frater *Sigismundus* Imp. fub quibus bellum Huffiticum maximè ferbuit Duce *Johanne Trosnovio* feu *Zifca*; quo Pragæ in tumultu 12. Senatores per curiæ feneftras præcipitati, 1419. Clerici & Monachi occifi, expulfi & Papiftæ profligati. *Martinus* V. eos excommunicavit, crucem adversùs eos prædicavit. Sigismundus omnem ferè Germaniam in Bohemiam duxit, at omnia fruftrà. Maximum damnum Huffitæ fibi ipfis intulerunt factionibus fciffi. Alii enim communionem fub utraque atque ita calicem quidem defenderunt, indè *Calixtini* dicti, de cæteris articulis non adeò fuerunt folliciti. Alii audiebant *Thaboritæ*, à monte quodam 10. milliaria Pragâ diftante, quem munientes *Thabor* vocarunt, ibique fecedentes cultum per omnia puriorem obfervarunt; hos & Romani & Calixtini perfecuti funt. In concilio tamen Bafilienfi, communio fub utraque fuit permiffa. Dein *Johannis Rokyzanii* apoftafia, iterùm arma arripientes *Thaboritæ*, cæfi & paffim fupplicio affecti funt, 1434.

Sigis-

Sigismundo ſucceſſit gener *Albertus* II. Imp. & Hungar. R. 1437.

In Hungaria.

Sigismundus à Turcis prœlio ſuperatus eſt ad *Taubenbergam*. Ei ſucceſſit gener *Albertus* prædictus.

In Auſtria.

In linea *Styriaca Erneſto* ferreo † 1429. Succeſſit Filius *Fridericus placidus* & *Albertus prodigus*. In ramo *Tyrolenſi* ſucceſſit *Friderico* (qui in Concilio Conſtantienſi in Bannum incurrit) filius *Sigismundus ſimplex*, 1439. qui ramum poſteà terminavit.

In Palatinatu.

Ludovico Elect. † 1439. ſucceſſit filius *Ludovicus Manſuetus*.

Stephanus Simmerenſis Comitatum Veldentii ab uxore *Anna Veldentina* accepit. *Johanni Sultzbacenſi* ſuccedens filius *Chriſtophorus* Daniæ Rex & Norwegiæ eligitur, 1439.

In Saxonia.

Alberto Saxoniæ Electore mortuo ſine hæredibus, *Sigismundus* Electoratum conceſſit in eodem concilio, *Friderico* Miſniæ Marchioni; præterito *Erico* IV. Duce Lauenburgico proximo agnato, 1423.

In Brandenburgia.

Sigismundus Imp. Marchiam Brandenburgenſem

gensem à Wilhelmo Divite Misniæ Marchione (cui Jodocus Imp. eam oppignoraverat) redemptam, *Friderico* V. Burggravio Norimbergensi (ex gente Hohenzollerana à Guelphis oriunda, qui 200. annis antè *Carolum M.* in Italia claruerunt) post soluta aureorum 400000. concessit, illumque consensu reliquorum Electorum in pleno concilio Constantiensi investivit, 1417.

In Domo Brunsvicensi.

In ramo *Grubenhagensi. Ericum* † 1431. excepit filius *Albertus* Gottingæ, *Bernhardo Luneburgico* † 1434. Successit filius *Fridericus Religiosus.*

Henrico Brunsvicensi † 1416. Successit filius *Wilhelmus Victoriosus* qui, cùm Civitatibus Hanseaticis, contrà Danos belligerantibus auxilio esset, *Otto Claudius* ejus patruelis ditionem Calenbergicam populatus est. Pace proin facta reversus *Wilhelmus*, terris Brunsvicensibus paria retulit. Mox verò pax procurata, 1428. in qua *Bernhardi* filiis *Luneburgum* & *Wilhelmo Brunsvicum* cum *Calenberga* relicta fuerunt. Posteà *Wilhelmus* Fratri *Henrico* tumultuato *Hanoveram* & *Calenberg* concessit; Sedeo improle defuncto excepit.

In Würtembergia.

Eberhardo Miti † 1417. successit filius *Eberhardus* V. qui cum *Henrica* filia & hærede

Henrici

Henrici Com. Montispeligard, & Montisfalcon. ultimi ad Nicopolim 1395. à Turcis occisi, istas terras familiæ intulit † 1419. Succedente *Ludovico Seniore* filio *Uraci* & *Ulrico Beneamato* qui sedit *Stuttgardiæ.*

In Hassia.

Hermannus Doctus † 1413. successore filio *Ludovico Pacifico* cui successionem in Brabantiam *Carolus Burgundus* præripuit.

In Domo Badensi.

Otto III. ramum *Hochbergicum* finiens 1415. Marchionatum istum transtulit in *Bernhardum* Badensem. Sausenbergæ, *Rudolphum* VI. † 1428. excepit filius *Wilhelmus* qui portionem Comitatus Brigantini ab uxore acceptam Austriacis vendidit. Badenæ, *Bernhardus* utrumque Marchionatum iterùm conjunxit † 1431. succedente filio Jacobo I. qui extincto *Johanne Cœco* Com. Spanhemensi ultimo 1437. in ejus terras, jure ab Avia derivato, successit.

In Lotharingia.

Carolus I. *Metim* levissimam ob causam obsedit; Sed irrito successu, 1428. Mox obiit Ann. 1430. succedere volens *Renatus Andius* gener, qui Ducatum *Barr* & Marchionatum *Pont* à *Mousson* Lotharingiæ conjunxerat, ab *Antonio Valdemontio* in pugna ad *Bulnevillam* superatus, captus & tandem coa-

ctus

ctus est filiam suam *Jolantham Friderico Antonii* filio elocare, 1444. horumque liberos futuros sibi declarare successores.

In Sabaudia.

Amadæus VIII. ditiones suas variè auxit. Ducatûs axioma Sabaudiæ tributum à *Sigismundo* Imp. in Concilio Constantiensi, 1416. Tandem abdicato regimine & *Ludovico* filio concesso, eremiticam vitam *Ripaliæ* est amplexus; non diù post Papa factus in Concilio Basiliensi, & *Felix* V. dictus 1439.

In Helvetia.

Induciæ cum Austriacis in 50. annos prorogatæ sunt Badenæ, 1414. Executio banni Imperialis & Ecclesiastici in *Fridericum* Austriacum vibrati, Helvetiis à Concilio & Imperio injuncta, sub eadem banni pœna. Undè Bernates, Tigurini, &c. Argoviam & Comitatum Badensem cum oppidis & arcibus occuparunt, 1415. in quæ postea *Fridericus* pro se & posteris, in transactione cum Imperatore *Constantiæ* inita d. 12. Maji 1418. renunciavit. Bellum inter Abbatiscellanos & Abbatem S. Galli recruduit, 1411. qua occasione, illi fœdus civitatis cum Helvetiis inierunt. Horum interpositione, tandem controversia fuit amicabiliter per laudum terminata, 1421. Ast non diu pax stetit; Abbas quippè *Henricus Mansdorfius* illos banno Papali innodavit, 1425. Undè ite-

rùm bellum, in quo Abbatiscellani, pòst varias pugnas à *Friderico Toggenburgico* cæsi, 1427. Abbati se submiserunt, salvis tamen fœderibus & libertate, 1429. Bellum quoque Bellentiacum, cum *Philipo Maria* Duce Mediolanensi gestum, nullo tamen Helvetiorum commodo, 1422. Occasio erat *Bellenzona* oppidum, à Comite Monsaxio Uraniis & Underwaldiis venditum. Bernates & Tigurini fœdus & amicitiam particularem & perpetuam inierunt, 1423. Secunda expeditio trans Alpes suscepta contrà Ducem Mediolanensem, 1425. cui tandem, pace facta, *Bellenzona* fuit relicta, solutis Helvetiis XXXM. coronat. Controversia orta inter Tigurinos & Bremgardenses, ob Præfecturam Kelleranam, vulgò das Keller-Ambt; quæ Bremgardensibus erat oppignorata. Cùm verò posteà *Sigismundus* Imp. Tigurinis liberas Præfecturas cum *Bremgarda* oppignorasset, cum jure reluendi oppignorationes antiquiores, Bremgardensium ad petitionem, Tigurini, juri reluendi prædictam Præfecturam renunciarunt, 1419. reservata sibi Jurisdictione superiori & Criminali. Lis fuit composita per Septem pagos, 1429. d. 8. Aug. ita ut à judiciis inferioribus dictæ Præfecturæ appellaretur *Bremgardam*, & indè *Tigurum*. Sigismundus Imp. Bernatibus possessionem Aregoviæ perpetuam confirmavit, 1434. Bellum Tigurinum inchoatum, occasionem præbente *Fride-*

Friderico Comite Toggii, qui poſt Jus Civitatis Tigurinæ aſſumptum, idem fecit cum *Suitiis*, ſine præjudicio prioris, 1436. Subditisque ſuis permiſit, idem fœdus cum Suitenſibus pangere.

In Oriente.

Manuel II. à Turcis obſeſſus, per Manuelem fratrem nothum liberatur, 1411. Ei ſucceſſit filius *Johannes* V. 1419. quem Turcæ ſimiliter obſederunt, 1424.

In Eccleſia.

Concilium Conſtantienſe initium habuit, 1414. d. 6. Nov. *Johannes Huß* Bohemus, 1415. & Hieronymum Pragenſis, 1416. combuſti. Laicis calix ſubtractus, 1417. Concilio poteſtas ſuprà Papam aſſerta. *Ne hæreticis fides ſervetur*, decretum. *Martinus* V. Papa electus. *Johannes Ziſca* Huſſum vindicavit. *Martino* ſucceſſit *Eugenius* IV. ſub quo Concilium Baſilienſe cœptum, 1431. in quo Huſſitis calix redditus, & Papa Concilio ſubjectus eſt, 1434. Avenione *Benedicto* XIII. ſucceſſerat *Clemens* VIII. 1424. qui verò ſe ſpontè abdicavit, 1428. *Hedwigis* Poloniæ Regina, *Jagellonis* conjux, *S.* Biblia Polonicè verti curavit. *Johannis Wicleſi* cadaver in Anglia erutum & combuſtum, 1418. Academiæ fundatæ. *Roſtochienſis* à *Johanne* & *Alberto* Ducib. Megalopol. & Senatu, 1415. *Lovanienſis* à *Johanne* IV. Duce Brabant. 1426.

1426. *Pictaviensis* à *Carolo* VII. Franc. R.
1431. *Cadamensis* Anno & authore eodem.

IMPERATORES
EX DOMO AUSTRIACA.

XXXVI.

(1.) ALBERTUS II. Austriæ D. filius *Alberti IV.* & *Johannæ Bavaricæ* Imperat. 1438. † 1439. Imp. I. Mens. 8.

Lehman. Chroni. Spir. Lib. 7. C. 92.

§. 1. Ducta *Elisabetha* filia *Sigismundi* Imp. primò Moraviam pro dote acceperat; dein mortuo socero, in Regnis Bohemiæ & Hungariæ & in Imperio successit, atque ita triplice diademate, illustre caput, uno anno, exornatum vidit.

§. 2. Spem optimam de hoc Principe, mors fato propera abscidit. *Uladislaum* Polonum Bohemiâ depulit. *Amurathem* Turcam ad Albæ Græcæ obsidionem devicit. Sed in reditu, in insula *Scuta*, colica correptus obiit, conjuge gravida relicta, & in Alba Regali sepultus jacet.

In Bohemia.

Aliqui ex Bohemis *Casimirum* fratrem *Uladislai* Poloniæ R. elegerunt; sed *Albertus* eum repressit ope Electorum Bavariæ & Brandenburgiæ, 1438.

XXXVII.

XXXVII.

(2.) FRIDERICUS III. Austriæ. D. filius *Ernesti Ferrei* & *Cimburgæ Massovicæ.* Nat. 1415. Imperator electus *Francofordiæ*, 1440. coronatus *Aquisgrani* à *Theodorico* Archiepiscopo Colon. 1442. † *Linzii* 1493. Imp. 53. Mens. 3. ætat. 78.

Huld. Mut. Lib. 28. Chr. p.285. Magn. Chr. Belg. pag. 376. seqq.

§. 1. Annos, quos fata *Alberto* abstùlerant, *Friderico* videntur adjecisse; longissimè quippè imperavit, adeoque multa gerendi habuit occasionem. Pacis tamen fuit amator, & sæpius dicere fuit solitus: *Imperatorem injuriarum tenacem esse haut oportere, qui enim nesciret indulgere, nescire imperare.*

§. 2. Armeniacos à Delphino Franciæ Alsatiæ & Helvetiæ inductos repressit, 1444. Coronam Bohemicam sibi oblatam recusavit. *Ladislaum* posthumum *Alberti* II. apud se in tutela retinuit, vexatus propterea à *Johanne Hunniade* Vice Rege Hungariæ, & coactus illum Hungaris permisit, 1452. ea lege, ut *Hunniades* in Hungaria; *Podiebradius* in Bohemia & *Ulricus* Ciliæ Comes in Austria, vices *Ladislai* fideliter gererent.

§. 3. In Italiam profectus, Romæ cum *Eleonora* Augusta ab *Eugenio* IV. fuit coronatus, 1452. *Borsiam* & *Herculem* Estenses, Duces Mutinæ creavit.

§. 4. *Ulricus* Ciliensis Comes, contrà conventa, in Austria omnia impote nter & suo arbitrio agens, indè *Eyzingeri* impulsu pulsus 1453. dein Albæ Græcæ in comitiis trucidatus est.

Vid. Joh. Joach. Müller. Theatr. Comit. edit. Jenæ, 1713.

§. 5. Post mortem *Ladislai* sexennale bellum gessit cum *Alberto* fratre & *Sigismundo* Austriæ Ducibus, de ipsa Austria; quos tamen post multa pericula suppressit, 1464. Regnum Hungariæ, *Matthiæ Corvino* acceptis 80000. aureor. permisit.

§. 6. Cum *Carolo* Burgundiæ D. bellum habuit, ob *Rupertum* Archiepiscopum Colon. à capitulo remotum, Caroli cognatum; At mox sequenti anno in pacem commutatum, 1474. Ejus filiam *Mariam*, post ejus mortem, duxit *Maximilianus* filius, Imperatoris, cum qua Burgundiam accepit, 1477. non sine contradictione & armis *Ludovici* XI. Franc. R. qui Ducatum Burgundiæ occupavit; sed à *Maximiliano* victus, 1478. pacem fecit, & *Margaretha* filia bimula *Maximiliani* cum *Carolo* Delphino desponsata; quam tamen iste posteà patri remisit, & Annam Britanniæ hæredem *Maximiliani* sponsam, in itinere interceptam, duxit, 1491.

§. 6. Rex Lombardiæ à *Nicolao* V. fuit coronatus. Holsatiam in Ducatum erexit, 1474. Pacem publicam Francofordiæ constituit, 1488.

§. 7.

§. 7. *Matthias Corvinus* Hungariæ R. *Fridericum* infestatus. Austriam & Viennam occupavit, 1485. Eo verò mortuo, *Maximilianus* omnia recuperavit Patri, 1490. postquàm Francofordiæ Rex Romanorum esset electus, 1486. & dein Aquisgrani coronatus.

In Bohemia.

Alberto II. succeffit filius posthumus *Ladislaus* III. 1440. cujus vices agebat *Georgius Podiebradius* illustris Bohemus, Hussitarum fautor; qui opera *Johannis Rokyzanii* ex exilio reducis, *Thaboritas* in comitiis damnatos suppressit, 1444. *Ladislao* subita morte extincto, 1458. successit *Georgius Podiebradius*, quem Sixtus IV. excommunicavit & *Matthias Corvinus* Hungar. R. vexavit. Ille verò Thaboritas seu fratres Bohemicos acerrimè persecutus est. † 1471. succedente *Uladislao* IV. *Casimiri* IV. Poloniæ R. Filio; qui Lusatiam, Moraviam & Silesiam Georgio ab Hungaris ereptas recuperavit, etiam Hungariæ R. creatus est, post obitum Matthiæ Corvini 1490.

In Hungaria.

Mortuo *Alberto* II. Hungari discordes elegerunt *Uladislaum* V. Polon. R. cui *Elisabetha* vidua *Alberti* posteà nupsit, 1440. qui per *Johannem Hunniadem*, aliquoties *Amurathem* devicit & ad pacem petendam

 adegit.

adegit. Cùm verò Caramanniæ Præfectus rebellis, *Amurathem* in se converteret, *Uladislaus* instinctu Papæ & Cardinalis *Juliani* Regem à Juramenti nexu liberantis, Thraciam fœdifragus est adortus, at mox ad *Varnam* cum toto ferè exercitu ab *Amurathe* cæsus est, 1444. Ei successit *Ladislaus infans*, filius posthumus *Alberti* II. 1445. quem *Johannes Hunniades Friderico* III. Imp. eum reddere renuenti, vi extorsit, 1452. ejusque vices in Hungaria gessit, Turcas variè cæsit. *Ladisla*o subita morte abrepto, 1458. successit *Matthias Corvinus* filius *Johannis Hunniadis*, qui *Friderico* III. Imp. pro sua prætensione 80000. aureor. dedit. *Georgio* Bohemiæ R. Silesiam, Lusatiam & Moraviam eripuit & *Friderico* III. Viennam & Austriam ademit, 1485. mortuum excepit *Uladislaus* IV. Polonus Bohemiæ R. 1490.

Æn. Silv. Europ. Cap. 5.

In Austria.

Albertus V. Imperator factus, an. 1438. †. 1439. in cujus filio *Ladislao* posthumo Hungariæ & Bohemiæ R. ramus defecit, 1458. In linea Styriaca post obitum *Alberti prodigi*, 1463. hominis inquieti, *Fridericus* Imper. floruit, multùm exagitatus à fratre & agnato *Sigismundo*. Comitatum *Ciliæ* acquisivit. † 1493. relicto successore *Maximiliano*.

In Palatinatu.

Ludovico Barbato Electori † 1439. successit filius

filius *Ludovicus Mitis*, quem defunctum, 1449. excepit filiolus *Philippus ingenuus* unum saltem annum natus. Sed Tutor *Fridericus Victoriosus*, terras & Regalia vi occupavit atque homagium proprio nomine, ut Elector, à subditis exegit; renuentes suppliciis & violentia coëgit. Undè in Comitiis Imperii Augustanis in bannum fuit declaratus, quod autem sprevit. Patrimonium suum Electoratui incorporavit. Bellum gessit, cum *Ulrico Stuttgardensi*, *Carolo Badensi* & Episcopo Spirensi, quibus propè *Seckenheim* victis & captis ingens lytrum extorsit, 1462. Matrimonium ad *Morganaticam* contraxit cum *Clara* à *Tettingen*, ex quo matrimonio Comites Löwensteinii & Werthemii provenerunt. † 1476. Successore *Philippo ingenuo* nepote & pupillo prædicto.

Stephanus Simmerensis. † 1444. relictis filiis *Friderico Cynonáto*, qui Simmeram tenuit & postea lineæ Electoralis fuit author. † 1480. succedente filio *Johanne Seniore*. *Ludovico Nigro*, qui Bipontium & Veldentiam habuit. *Moguntiam* expugnavit. † 1489.. successorem habuit filium *Alexandrum Claudium*.

In Bavaria.

Albertus Pius, Patris † 1438. successor, sceptrum Bohemicum sibi oblatum recusavit. † 1460. Eum excepit filius *Albertus* IV. qui *Ratisbonam* occupatam 1486. bannum Im-

perii metuens immedietati restituit. Dein *Georgio Divite*, agnato Landshutano extincto, ejus hæreditatem adversùs *Rupertum Palatinum* armis sibi asseruit, totamque Bavariam conjunxit.

In Domo Brunsvicensi.

Grubenhagæ *Alberto* † 1490. successit filius *Philippus Senior.* Göttingæ, *Fridericum Religiosum* excepit filius *Otto Victoriosus*, qui Hizackera potitus est, pulso Comite Buloviensi. † 1491. successore filio *Henrico.*

Brunsvici, *Wilhelmo Victorioso* † 1482. successit filius *Wilhelmus Junior*, atque terras Göttingenses morte *Ottonis Coclitis* vacuas fuit adeptus.

In Saxonia.

Friderico Bellicoso † 1412. successit filius *Fridericus Placidus*. Cujus filii *Ernestus Pius* & *Albertus animosus*, à nobile *Conrado Kauffingensi*, ex arce *Altenburg* famoso plagio sublati, 1455. sed mirè liberati fuerunt. Ille † 1467. hos habuit successores. *Ernestus* fundavit *lineam Ernestinam* tenuitque Electoratum † 1486. succedente filio *Friderico Sapiente*. *Albertus* sevit *lineam Albertinam*; Strenuus *Friderici* Imp. & *Maximiliani* propugnator contrà Hungaros & Belgas, gubernator Frisiæ constitutus, exspectativam in successionem JuliacoClivensem obtinuit.

In

In Brandenburgia.

Friderico Electori mortuo, 1440. succesſit filius *Fridericus Pinguis*, qui † improlis 1471. hæredem habuit fratrem *Albertum*, dictum *Achilles Germanicus*, quòd eſſet bellicoſus & ſtrenuus. Norimbergam acri bello afflixit. Pacem cum Pomeraniæ D. *Bogislao* X. fecit, futuram ſucceſſionem ſibi pactus. Confraternitatem primam cum Saxonibus atque Haſſiacis inivit, 1473. † 1486. Reliquit duos filios *Johannem Pinguem* Electorem & *Fridericum*, qui Franconicas terras tenuit.

In Würtembergia.

Uraci ſucceſſit *Ludovico* † 1450. filius *Eberhardus Barbatus*, qui iter ſanctum ſuſcepit, 1465. Reverſus, primogenituram in familiam introduxit, 1473. Academiam Tubingenſem fundavit, 1477. Stuttgardiæ *Ulricus* cum *Friderico Palatino* debellavit, ſed captus 1462. 100000. flor. pro lytro ſolvit † 1480. ſucceſſore Filio *Eberhardo* II.

In Haſſia.

Ludovicus Pacificus ſceptrum Imperatorium recuſavit, 1440. Cum Moguntino debellavit. Comitatus *Ziegenhaim* & *Niddam* acquiſivit, 1453. † 1458. Eum exceperunt filii *Ludovicus Caſſellanus*, qui ditiones variè auxit. Ei defuncto, 1471. ſucceſſit filius *Wilhelmus* I. & *Henricus Marpurgicus*, qui Comitatum Cattimœlibocenſem & Diezenſem

ſem ab *Anna* Uxore familiæ intulit, 1479. Cæterùm diſcors & in bello cum fratre vixit. Nepotumque tutelam geſſit. † 1482. Eum ſecutus filius *Wilhelmus Junior* ramum iterùm terminavit, An. 1500.

In Domo Badenſi.

Sauſenbergæ *Wilhelmus* † 1458. ſucceſſorem habuit filium *Rudolphum* VIII. qui familiæ bona auxit Comitatu Novocaſtrenſi & dynaſtia *Badenweiler* ex dono *Johannis* Com. Friburgenſis Ultimi, 1444. Filius ejus Philippus pactum ſucceſſorium inivit cum agnato *Chriſtophoro.*

Badenæ, *Jacobo* I. † 1453. ſucceſſit filius *Carolus* (cujus Frater *Bernhardus* cilicium aſſumpſit, inter *Sanctos* poſtea relatus) bello implicitus cum *Friderico Victorioſo* Palatino, acie victus & captus, lytri nomine partem Comitatus Spanheim. *Heidelsheim.* & alia tradidit 1462. † 1475. Eum excepit filius *Chriſtophorus.*

In Sabaudia.

Amadæo VIII. ſucceſſit filius *Ludovicus* I. 1440. qui *Wilhelmum Balomierium* Cancellarium ſuum avarum & injuſtum, alligato collo lapide, in Lacum Lemannum juſſit demergi. Ei ſucceſſit filius *Amadæus* IX. 1465. qui *Ludovicum* XI. Franc. R. contrà *Carolum* Burgundiæ D. adjuvit, mente dein captus obiit 1472. Succeſſit filius *Philibertus* I. puer ſexen-

sexennis; qui à *Carolo Burgundo* cum matre *Jolanta* & fratribus captus, sed ope pædagogi sui liberatus est. Eum secutus est *Carolus* I. 1482. qui donationem Cypri à sua cognata *Charlotta* accepit, 1485. & obiit 1488. Successore *Carolo Johanne Amadæo*, infante novem mensium, sub tutela matris *Blancæ*.

In Lotharingia.

Renatus Ducatum dedit filio *Iohanni* II. 1445. Ipse in provinciam concedens † 1486. Regnum Neapolitanum irrita expeditione repetiit 1460. Arragoniam dein invasurus obiit 1470. Succedens *Nicolaus*, locum mox fecit *Renato* II. 1473. quem *Carolus* Burgundus exercuit.

In Helvetia.

Bellum Tigurinum ferbuit, adjuvantibus Tigurinos Austriacis; undè *Fridericus* III. Imp. Imperium frustrà contrà Helvetios, provocans, Franciæ Regem *Carolum* VII. excivit, qui Delphinum cum valido exercitu in Helvetiam misit, 1444. qui in pugna ad D. *Iacobum* propè *Basileam*, adversùs 1600. Helvetios, cruentissima potitus victoriâ, cæsis suorum VIM. pluribus sauciis, re infectâ retrocessit. Indè *Sigismundus* Austriæ D. ab *Ænea Silvio* seu *Pio* II. P.R. excommunicatus, demandata Helvetiis executione, Turgojam amisit. Tandem mediante *Ludovico* Bavariæ D. aliisque Civitatibus, pax coaluit in XV. annos

annos, 1460. Quoniam verò *Mülhusini* & *Scaphusiani*, Helvetiorum clientelæ sese addixerant, bellum recruduit & expeditio in Alsatiam ab Helvetiis suscepta. Pax dein *Brisaci* fuit restituta, 1468. Indè Alsatiam *Sigismundus* Austriacus oppignoravit *Carolo* Burgundiæ D. qui per suum Præfectum *Hagenbachium*, Helvetios multùm vexavit, quo, per hos & *Sigismundum*, facta pace, pœnitentem, *Brisaci* damnato & decollato, bellum Burgundicum ortum habuit, 1474. quo *Iacobus Romontius* ad *Elikart* fusus fugatusque. Indè *Carolus* Dux *Gransejum* ad lacum obsidens prœlium amisit, 1475. quæ clades ad *Muratum* duplicata, 1476. & mox cum cæde ipsius Ducis ad *Nancejum* in Lotharingia triplicata est. 1477. *Sigismundus* Archidux, vires suas cernens impares, fœdus hæreditarium vulgò Erb-Einigung erexit. Posteà fœderi accesserunt *Friburgum* & *Solodurum*.

In Oriente.

Iohanni V. successit frater *Constantinus* IX. *Dragoses*, 1445. quem *Mahumetes* II. Turca Cpoli obsedit, 1452. & tandem capta urbe, 1453. die Pentecostes, cum ingenti civium strage inter turbam occidit, atque ita Imperium Orientale finem suum accepit.

Æn. Silv. in Europ. Cap. 3. & 7.

In Ecclesia.

Concilium Basiliense continuatum. *Eugenius* IV. concilium egit *Florentiæ*, ubi simulata

lata & parùm conſtans unio Eccleſiæ Græcæ cum Romana inita & numus propterea cuſus. *Nicolaum Talentinum* canonizavit, quem 301. miracula ediꝺiſſe bulla docet. Tandem à Concilio Baſilienſi depoſitus ob contumaciam & *Felix* V. (anteà *Amadæus* VIII. Sabaudiæ D.) electus & *Baſileæ* exaltatus & conſecratus eſt, 1439. *Romæ* autem *Nicolaus* V. ſuffectus, 1447. cui *Felix* pacis cauſa ceſſit. Ille Bibliothecam Vaticanam inſtruxit, 1450. Ejus ſucceſſor *Calixtus* III. copias contrà Turcas miſit, ut impleret votum à ſe factum: *Ego Calixtus Pontifex, Deo Omnipot. Sanctæ & individuæ Trinitati voveo; me bello, maledictis, interdictis, execrationibus & demùm quibuscunque rebus potero, Turcas Chriſtiani nominis hoſtes perſecuturum.* Undè milites cruce ſignavit & campanas ſonari juſſit. Eum excepit *Pius* II. 1458. anteà *Æneas Silvius* dictus; qui Papam ſuprà concilium extulit, 1459. ſolitus fuit dicere: *Conjugium Clericis magna ex cauſa ademptum, majori reſtituendum eſſe.* Eum ſecutus in Sede *Paulus* II. 1464. gloriatus eſt, ſe jus & fas in ſcrinio pectoris gerere. *Jubilæum* ad 25. annos contraxit. Cardinalibus rubrum veſtitum dedit. Huic ſucceſſit *Sixtus* IV. qui feſtum *Conceptionis Mariæ* inſtituit, 1476. & lupanaria publicè toleravit. Succeſſor *Innocentius* VIII. libidinoſus nepotiſmum introduxit, 1488. Eum excepit *Alexander* VI.

1492. qui Lucretiam fertur habuisse filiam, sponsam & nurum. In Bohemia, *Thaboritæ* fuerunt pressi à *Georgio Podiebradio*. Ars typographica fuit inventa, eamque exercuit *Johannes Mentelius* & *Johannes Guttenberg* Argentorati, 1440. Quidam inventores faciunt *Johannem Faustum*. Alii *Conradum* & *Arnoldum* fratres & Cives Moguntinos. Alii *Laurentium Costerum* Civem Harlemensem. *Academia Basiliensis* à *Pio* II. fundata, 1460. primo Rectore *Georgio ab Andlaw*. Eodem anno instituta *Friburgensis* ab *Alberto* VI. Archiduce. *Nannetensis* à *Pio* II. privilegiata à *Carolo* VIII. Fran. R. *Burdigalensis* ab *Eugenio* IV. 1441. confirmata posteà à *Ludovico* IX. Franc. R. *Valentiniana* in Delphinatu à *Ludovico* Delphino, filio *Caroli* VII. R. 1452. *Glascoviensis* in Scotia à *Turneballo* Episcopo, 1454. *Grypswaldensis* ab *Uratislao* IX. Pomeraniæ D. 1456. *Ingolstadensis* à *Ludovico Divite* Bavariæ D. 1472. *Upsaliensis* in Suecia à *Sixto* IV. 1476. *Tubingensis* ab *Eberhardo* Comite, 1477. *Moguntina* ab Electore *Diethero ab Isenburg*, 1482.

XXXVIII.

(3.) MAXIMILIANUS I. Filius *Friderici III.* & *Eleonoræ Lusitanæ* Nat. 1459. Rex Romanorum, 1486. Imperator, 1493. † Welsi, 1519. Imp. 25. Ætat. 60.

§. 1. Re

§. 1. Rebus jam vivo Patre gestis inclaruit. *Mariam* Burgundiæ hæredem duxit, adeoque Burgundiam & Belgium Austriæ conjunxit. 1477. Ea mortua, *Annam* Britañiæ hæredem sibi desponsavit, sed à *Carolo VIII.* Franc. R. sibi fuit intercepta. 1491. Artesia tamen sibi restituta fuit placatus. Hinc duxit *Mariam Blancam* Mediolanensem.

§. 2. Violentias, invasiones, diffidationes & illicita fœdera in Imperio, deprædationes, quæ adhuc à tempore magni interregni, inter Principes & Nobiles horrebant, sustulit & suppressit.

§. 3. Actis *Wormatiæ* comitiis, *Judicium Camerale* instituit, supremum in Imperio tribunal. 1495. *Eberhardum Barbatum* Comitem Würtemb. creavit Ducem. Pacem publicam ordinavit.

§. 4. Bellum cum Helvetiis auxilio fœderis Suevici infeliciter gestum, pace finivit. 1499. Fœdus hæreditarium confirmavit 1511. Rusticos rebelles in Episcopatu Spirensi circà Bruchsaliam proscripsit & suppressit 1502.

§. 5. Bellum ortum inter *Albertum Monachiensem* & *Philippum Palatinum* (cujus filio *Ruperto*, *Georgius* Bavariæ D. filiam suam *Elisabetham* desponsaverat & testamento hæredem scripserat, sed oppugnato ab *Alberto* prædicto) post aliqua prælia *Philippo* infelicia, pace terminavit & Bavariam *Alberto* asseruit. 1505.

§. 6. Icto dein cum *Ludovico XII.* Fr. R.

(qui tùm in Italia Neapolim & Mediolanum armis illatis vindicabat) & *Julio II.* P. R. fœdere 1507. Venetis, Romam ituro armatum transitum denegantibus & increscente potentia ferocioribus, bellum intulit; in quo Veneti ad *Ghieram Adduam* cæsi, omni ferè *terra firma* exuti sunt. 1509. quam tamen paulatim vigilantia & dexteritate Ducis *Leonhardi Loredani* recuperarunt.

§. 7. Interim, non solùm *Julius* Pontifex in fœdere refriguit, sed etiam Franciæ Rex clàm hostilia contrà Imperatorem molitus, nummos *Carolo* Gueldriæ D. Imperatoris hosti submisit. Undè *Maximilianus* abalienatus à Gallis, bellum iis intulit & Mediolanum *Maximiliano Sfortiæ* attribuit. 1512. *Ludovicus* Rex pugnâ ad *Ravenam* mansit victor; cùm autem Helvetii *Sfortiæ* auxiliarii facti fuissent, cruentissimo ad *Navarram* prœlio fuit superatus. 1513.

§. 8. *Maximilianus* quoque Venetos ad *Vicentiam* vicit 1513. Prœlio dein ad *Marignanum* vitio Helvetiorum discordantium victus est 1515. Quare desertus quoque à plerisque *Mediolanum* Gallo relinquere fuit coactus. Mox quoque pax cum Venetis conclusa *Bruxellis* 1516.

§. 9. Titulum Pontificis Cæsareo conjungere voluit, promissis Cardinalibus CCCM. Ducatis, si se post obitum *Julii II*, Papam eligerent; ceu patet ex ejus literis, *Brixiâ* d. 16.

Goldast. Act. Imp pag. 96.

d. 16. Septemb. 1511. ad Principem *Liechtensteinium* missis.

§. 10. Filio suo *Philippo* desponsavit *Johannam* filiam *Ferdinandi V.* & *Isabellæ* Hispanicæ, qui Rex Hispaniæ factus †. 1506. relictis duobus filiis, *Carolo* & *Ferdinando*.

§. 11. Imperium in decem circulos distribuit 1512. Militiam Germanicam disciplina & bono ordine instruxit, operâ *Georgii Frontpergii* Locumtenentis generalis.

§. 12. Bibliothecam Viennensem instituit, ministerio *Conradi Celtis*; quippè literatorum ingens fuit Mœcenas.

In Bohemia.

Uladislao. IV. qui edictum sangui-nolentum contrà fratres Bohemicos emisit 1508. confirmatum in Comitiis Kuttenbergicis 1510. successit filius *Ludovicus II.* 1516. dictus *immaturus*, puer decennis.

In Hungaria.

Eidem *Uladislao* successit prædictus filius Ludovicus, 1516.

In Austria.

Familia terris Burgundicis, Belgio & Hispaniarum Regnis crevit. Defuncto quoque *Sigismundo* improle, ejus terræ *Maximiliano* cessére 1493. Multa quoque loca ab *Alberto Bavarico* obtinuit.

In Palatinatu.

Philippus Elector duxit *Margaretham* filiam *Ludovici Divitis* Bavariæ D. ex qua se-

cundo loco natus est *Rupertus Virtuosus*, qui thori sociam habuit *Elisabetham* filiam *Georgii Divitis* avunculi sui. Mortuo dein avo *Ludovico* 1504. *Rupertus* hæres vocatus, ditiones occupare voluit. Ei se opposuit *Albertus IV. Monachiensis*, agnatus defuncto *Georgio* in quarto gradu. Undè ortum est acre bellum. *Maximilianus* Imp Sororius *Alberti*, Palatinos patrem & filium banno innodavit. Iste victus ad *Ratisbonam* ex mœrore obiit 1509. Tota igitur belli moles & impetus in Patrem detonuit, quare gratiam implorans Cæsaris, illam in Comitiis Coloniensibus cum pace obtinuit, Ducatu *Alberto* relicto 1505. †. 1508. Successore filio *Ludovico Pacifico*.

Johanni Seniori in Ducatu Simmerensi succeslit filius *Johañes Junior* 1509. *Alexandro Claudo* Bipontino †. 1519. succeslit *Ludovicus* & *Rupertus* filii, quorum ille Bipontii, alter Luzelsteinæ sedit.

In Bavaria,

Alberto IV. post bellum cum Palatino feliciter gestum †. 1508. succeslit *Wilhelmus* filius, ex Testamento Patris.

In Saxonia,

In *linea Ernestina*, præfuit *Fridericus Sapiens* strenuè & prudenter. *Lutheri* fuit protector. Imperium post obitum Imperatoris sibi oblatum recusavit. In *linea Albertina*. *Albertus Animosus* in expeditione adversùs Frisios *Embdæ* mortuus 1500. successorem habuit filium *Georgium Divitem*. *In*

In Brandenburgia.

In *linea Electorali*, *Johañi pingui* †. 1499. Succeſſit *Joachimus I.* filius, *Neſtor Germanicus* dictus. Ejus frater *Albertus* Præſul Magdeburgicus & mox quoque Archi-Epiſcopus Moguntinus à *Leone X.* Cardinalis fuit creatus 1518. In *linea Franconica*, filius *Friderici*, *Georgius Pius* Onoldinus,Evangelium promovit.

In Domo Brunſwicenſi.

Philippus Senior doctrinam Evangelicam introduxit. In *linea Brunſwicenſi* reliquit *Wilhelmus* duos filios, *Henricum* & *Ericum*. Ille Principatum *Wolffenbütel* à patre acceptum, in Friſia orientali occiſus 1514 in filium *Henricum* tranſmiſit. Iſte *Calenbergam* habuit.

In Würtembergia.

Uraci *Eberhardus Barbatus*, à *Maximiliano* Imp. in Comitiis Wormatienſibus, primus *Würtembergiæ* & *Teccæ* Dux fuit creatus 1495. †. 1496. Succeſſore patruele *Eberhardo II.* Stuttgardenſi, hic in bello Palatino-Bavarico *Maulbrunnam* cepit,& Comitatum *Löwenſtein* occupavit. Eum 1504. improlem extinctum, excepit frater *Henricus*, qui †. 1519. duos reliquit filios, *Ulricum Animoſum* qui *Stuttgardiæ* ſedit & *Georgium* qui *Montempelicardum* poſſedit.

In Haſſia.

Wilhelmus mente captus ob philtrum

Romæ, in reditu exterra ſancta hauſtum†. 1515
Ejus Frater *Wilhelmus Medius* Reinfelſenſis bello Bavarico, aliquot loca Palatino eripuit, inter quæ *Homburgum*. †. 1509. Succeſſorem habuit *Philippum Magnanimum* filium ex *Anna Megalopolitana*, quæ etiam filii fuit tutrix.

In Domo Badenſi.

Philippo Sauſenbergico †. 1503. ſucceſſit ex pacto à *Maximiliano* Imp. 1499. confirmato, agnatus *Chriſtophorus* Badenſis, qui ab Imperatore Præfectus Lucemburgiæ factus *Rodenmacheren*, *Herſpringen* & *Uſeldingen* eſt lucratus. Comitatus verò Novicaſtrenſis cum Dynaſtia S. Georgii in Burgundia & jure in Principatum Auraniæ, ceſſit filiæ *Philippi* unicæ *Johannæ*, quem iſta marito *Ludovico Longovillano* attulit.

In Sabaudia.

Carolo Johanni Amadæo ſucceſſit *Philippus II.* filius *Ludovici* Ducis Comes Breſſanus 1496. quem non diù pòſt mortuum 1497. excepit filius *Philibertus II.* qui †. 1504. Succeſſore fratre *Carolo III.* qui bellum cum Valeſiis habuit, Cableſiam vaſtantibus; dein *Ludovicum XII.* Franc. R. contrà Genuenſes adjuvit.

In Lotharingia.

Renato à *Carolo* Burgundiæ D. exagitato ſucceſſit Anno 1508. filius *Anthonius*, cujus frater *Claudius*, Dux Guiſius, Stirps Guiſiorum communis, magnus Franciæ Venator fuit factus.

In

In Helvetia.

Maximilianus Imp. Helvetiis onera Imperii ferre recusantibus, fœdus Suevicum immisit 1498. & 99. Hinc Cæsariani, propè *Dornacum*, haud longè à Basilea cæsi 1499. ac eodem anno ad *Guttenbergam* in Rhætia. Mox propè *Constantiam* in loco *Schwaderloch*. Quæ clades ad *Frastenzam* quadruplicata est, cui quinta in campis Malseranis accessit. His præliis fractus *Maximilianus*, interpositione *Maximiliani Sfortiæ* Mediolan. Ducis pacem *Basileæ* cum Helvetiis conclusit. Anno eod. qua istis omnia occupata relicta & confirmata fuerunt, & judicium provinciale in Turgoja, Constantiensibus anteà competens, quoque concessum. Hinc fœderi accesserunt *Basilea* & *Scaphusia* 1501. *Maximilianus Sfortia* Dux Mediolan. Helvetiis in præmium operæ fideliter navatæ attribuit 4. Præfecturas Italicas, *Lugano*, *Locarno*, *Mendrisio* & *Valle Maggia* 1512. Postremò fœderi accessit *Abbatiscella* 1513. *Mülhusia* quoque in Suntgoja inter socios recepta 1515. quod idem contigit *Rohtwilæ* in Suevia 1519. Fœdusque Civitatis inter Bernates, Solodurenses & Friburgenses renovatum 1517. Ab his temporibus, bellis externis immisceri cœperunt Helvetii & *Ludovico XII.* Franc. R. associari, contrà monitum *Fr. Nicolai* Eremitæ Suitensis, hac ætate, maxima sanctimoniæ, abstinentiæ & castitatis laude elati & ferè

oraculi loco habiti. Pax perpetua cum *Francisco I.* Franc. R. inita 1516. post cruentissima in Italia prælia.

In Ecclesia.

Romæ, *Alexander VI.* sceleribus & vitiis obrutus & immersus, *Valentino Cæsari Borgiæ* filio suo Imperium Italiæ quæsivit, omnis nefas & crudelitatis patronus, ad exitium Italiæ natus, undè ortum proverbium. *Semper sub Sextis, perdita Roma fuit.* Cum Turcis conspiravit 1494. *Hieronymum Savanarolam* cremavit 1498. †. 1503. Eum secutus *Pius III.* cui mox successit bellator *Julius II.* qui abjectis in Tiberim clavibus *Petri*, gladium arripuit *Pauli* & *Ludovicum XII.* Franc. R. excommunicavit, quod autem Rex irrisit, & non solùm Concilium *Pisis* coëgit contrà Papam, sed etiam monetam cusit hac epigraphe: *Perdam Babylonis nomen.* Negotium habuit cum Duce Ferrariæ, qua occasione numus cusus conversionem Pauli Apostoli repræsentans, cum epigraphe: *Contrà stimulum ne calcitres.* Templum Vaticanum primus exornare cœpit, operâ *Bramantis* Architecti 1506. Mox prædicto Regi & *Maximiliano* Imp. fœderatus, Venetos est adortus 1509. & inobsidione *Mirandolæ* ipse Dux fuit. Patrimonium Petri auxit absolutione casuum reservatorum. Ei †. 1513. successit *Leo X.* qui decies centena millia coronatorum in suam coronationem impendit; undè damnum

num resarciturus *Johannem Tezelium* Pirnensem, Monachum Dominicanum & alios indulgentiarum propolas in Germaniam misit 1515. 1516. & 1517. quorum impudentiæ & Simoniacæ fraudi sese opponere cœpit *Martinus Lutherus*, Monachus Augustinus. Floruére hac ætate *Johannes Reuchlinus*, Eloquentiæ & linguarum Sacrarum restaurator, nec non *Erasmus Roterodamus* Basileæ sepultus; Celebris quoque ille pictor Basiliensis *Johannes Holbenius*. Academia Viadrina à *Joachimo* Electore fundata 1506. & Academia Wittebergensis à *Friderico III.* Electore Saxoniæ 1502.

XXXIX.

(4.) CAROLUS V. Hispan. Rex. Nepos *Maximiliani I.* ex filio *Philippo* & *Johanna* Hispan. RR. Nat. *Gandavi* 1500. Imperator electus 1519. coronatus *Aquisgrani* ab Archiepiscopo Coloniensi 1520. †. 1558. Imp. 39. Ætat. 58.

§. 1. *Franciscus I.* Franciæ Rex, omnibus viribus ad Imperium aspiravit, fautoribus non paucis; sed *Carolus*, commendante *Friderico* Saxone, illi fuit prælatus.

§. 2. Post obitum Patris *Philippi* & Avi materni *Ferdinandi*, totius Hispaniæ Regna est adeptus, adeoque in tantam excrevit potentiam, ut *quintæ Monarchiæ* molimina gessisse credatur.

§. 3. Acerrima habuit bella, cum Francis, cum Papa, cum Turcis, cum Afris, cum Proteſtantibus in Germania.

§. 4. Namque, quoniam Rex *Franciſcus* voto ſuo exciderat, rancor animo propterea contrà *Carolum* conceptus, mox evaporavit, & poſt Navarram infeliciter tentatam, *Johannem Albretanum* expulſum Regno, reſtituere fuit conatus. *Genuam* dein & *Mediolanum* occupavit; verùm non diu tenuit; partim quòd *Carolus Borbonius* Conneſtabilis Franciæ ad Imperatorem, valido exercitu Italiam prementem, defecerat; partim quod Papa, ad eum Italia pellendum omnes nervos intenderat; partim quòd ipſe Rex, amiſſo ad *Ticinum* prœlio, captus & in Hiſpaniam abductus fuerat 1525. Ubi non ex voto habitus, morbum ex mœrore contraxit, ob quem libertati reſtitutus eſt 1526. ea lege, ut *Eleonoram* Sororem Imperatoris duceret, Arteſiam aliasque provincias Hiſpanis cederet, filiosque obſides daret.

Guicciard. lib. 14. & 16. Hiſt. Ital.

§. 5. Primum quidem & ultimum fuit executus, at regionibus pactis cedere renuit, cauſſatus partim metum, partim Statuum Regni diſſenſum. Quod, cùm minùs dignum Principe pronuntiaret *Carolus*, eum Rex ad duellum provocavit, quod non renuit ille (locus enim propè *Fontarabiam* erat dictus) & comparuiſſet, niſi diſſuaſionibus Magnatum ſuorum paruiſſet.

Vid. Linm. ad cap. Carol. V. pag. 71. ſeqq.

§. 6.

§. 6. Interim *Lautreccium* denuò cum exercitu in Italiam misit *Franciscus*, cujus gesta in Neapolitano & Mediolanensi tractu, ab initio satis erant felicia; at mox defectio *Andrææ Doriæ*, pestis & animus ipsius *Lautreccii* incircumspectus, Gallos iterùm Italiâ ejecit. Insecuta hæc est pax *Cameracensis*. 1529. qua Rex Galliæ, superioritati in Artesiam, ut & prætensioni in Neapolim & Mediolanum renunciare, atque vicies centena millia ducatorum, pro lytro suorum filiorum exsolvere, necessum habuit.

§. 7. Sed mortuo dein Duce Mediolanensi, Ducatum hunc occupare annisus est Rex Galliæ, & Ducem Sabaudiæ armatum transitum denegantem invasit 1537. atque fœdus cum Solymanno Turca pepigit. Imperator verò Provinciam & Belgæ Picardiam adorti, hoc ejus propositum non parùm sufflaminarunt; mox verò, mediante Papa, *Nissæ* in Provincia induciæ novennales initæ sunt 1538. Tantùm fidei posteà Regi habuit Imperator, ut seditionem *Gandavi* ortam se daturus, iter suum, per mediam Franciam sumpserit; quod & Ille securum exactè præstitit.

§. 8. Posteà verò, cùm Algieriana expeditio parùm prospera fuisset *Carolo*, Rex, necem *Cæsaris Fregosi* Oratoris sui Venetias & *Antonini Rinconis* Oratoris Constantinopolim destinati, conquestus, quinque exerciti-

bus

bus Imperatorem invasit, & in Pedemontio ad *Cerisolam*, copias Cæsarianas fugavit, in auxilium quoque navibus advecto *Barbarossâ* pirata Turcico, oras Italiæ infestante & *Nissam* obsidente. Carolus autem fœderatus *Henrico VIII.* Angliæ R. *Parisios* fermè occupavit.

§. 9. Tandem pax iterùm conclusa fuit *Crespiaci* 1544. & biennio post cum Anglis. Defuncto Rege Francisco 1547. ejus filius & successor *Henricus II.* fœdus cum Turcis renovavit & Mauritio Electori Saxoniæ fœdere junctus, irruptione in Lotharingiam facta, *Metim*, *Tullum* & *Verodunum* per *Annam Montmorancium* occupavit. *Carolus* Imp. advolans, *Metim* iterùm at frustrà obsedit. *Henricus* Rex, bello in Italiam translato, Sienam præter alia loca occupavit, sed cuncta restituere fuit coactus 1555. & dein ad *Vaucellas* haud procul *Cameraco* inducias pactus est 1556.

§. 10. Hæc cum Gallis. Cum *Clemente VII.* P. R. non minus negotium habuit Imperator; Ille enim potentiæ *Caroli* nimis florenti invisus, fœdus cum Gallis, Venetis, Florentinisque iniit, ad illam reprimendam tendens. Imperator rem resciens, *Georgium Fronspergium* cum exercitu in Italiam misit 1526 qui copias Italicas, Duce *Johanne Mediceo*, ad *Mantuam* profligavit. Junctus dein *Carolo Borbonio*, post Florentiam frustrà obses-

sam,

ſam, Romam obſedit & ſumma vi cepit & diripuit 1527. d. 6. Maji (quo in impetu *Carolus Borbonius* ictus occubuit)

§. 11. *Clemens* Papa, in mole Hadriani, quò confugerat, denuò obſeſſus, fame urgente, victori ſeſe permiſit die 6. Junii. Hanc victoriam nummo impreſſit Imperator, cum epigraphe: *In ſpem priſci honoris.* Eum tamen reſtituit, poſtquàm certam pecuniæ ſummam ſolviſſet, atque Jus Patronatus, in quosdam Epiſcopatus in Regno Neapolitano ſitos, *Carolo* tradidiſſet 1528. mox pacem ſolemnem cum eo concluſit *Barcellonæ* 1529. & *Bononiæ* ab eo fuit coronatus 1530. die 14. Februar.

§. 12. Cum Turcis quoque Imperator debellavit. Cæſo enim ad Mohazium *Ludovico* Hungariæ R. 1524. *Ferdinandus Auſtriacus* & *Johannes* Comes Zypſenſis Waywoda Tranſylvaniæ de Regno contenderunt. *Johannes* ab Hungaris electus 1526. & coronatus, ſed à *Ferdinando* Sororio *Ludovici* pulſus, ad *Solymannum* Turcam confugit, ejusque patrocinium & opem imploravit, qui hac occaſione illectus, poſt *Budam*, *Eſſeckium*, *Comorram* aliaque loca occupata, *Wiennam* Auſtriæ obſedit 1529. & omni vi oppugnavit, ſed fruſtrà, egregia enim defenſio gubernatoris *Philippi* Com. Palat. & *Nicolai* Com. Solm. illum obſidione depulit.

§. 13. Indè Imperator ad Afros trajecit. Namque *Ariadenus Barbaroſſa* pirata nobilis, pulſo

pulso *Muleasse* Tuneti Rege, regnum occupat. Iste ad *Carolum* Imp. confugit, qui classe instructa Africam petiit, *Barbarossam* fugavit & *Muleassem* gloriosè restituit 1535. tributum tamen annuum sibi pactus. Posteà Algieram frustrà oppugnavit & classe tempestate disjecta, vix incolumis evasit 1541.

Thuan. lib. 7. Histor.

§. 14. Funestissimum quod gessit bellum, fuit cum Principibus Germaniæ. Jam enim diximus, sub *Maximiliano*, *Martinum Lutherum* Monachum Augustinum Erfordiæ, *Johannis Tezelii* impudenti indulgentiarum venditione excitatum, ei se opposuisse. Ab initio quidem leniter, eaque intentione, ut nollet Schisma in Ecclesia facere. Namque, quoniam Jus Canonicum quæstionarios & indulgentiarum propolas damnat; alios quoque hac in re adjutores se habiturum speravit.

§. 15. Itaque misit literas ad *Adelbertum* Archiepiscop. Moguntinum, (qui dimidiam partem pretii indulgentiarum lucrabatur) & ad Episcopum Brandenburgensem loci ordinarium, eosque est exhortatus, ne impios istos propolas, ulteriùs cum tanto omnium bonorum scandalo grassari pateretur, sed condigna castigatione coerceret. At surdis narravit fabulam.

§. 16. Undè motus, theses aliquot *Wittemberga* contra has indulgentias affixit, etiam aliquot

aliquot concionibus eos est detestatus 1517. Eo ipso verò, Pontificis & Monachorum odium incurrit, Romamque citatus est, ut causam diceret. Mox in comitiis Augustanis à *Maximiliano* Imp. actis, Cardinalis *Cajetanus* Legatus Pontific. cùm *Lutherum* comprehendere non posset, ob protectionem *Friderici III.* Elect. Saxon. & Salvum conductum ab Imperatore præstitum, eum, ut scripta, dicta revocaret, conatus fuit inducere, at operâ irrita.

§. 17. *Leo X.* P. R. auream & consecratam rosam Electori per *Carolum Miltitium* Canonicum Moguntin. transmisit, ut ejus permissu, *Lutherum* comprehensum *Romam* perduceret, sed & hic conatus fuit irritus. Hinc disputatio *Lipsiæ* fuit instituta 1519. inter *Carolostadium* socium *Lutheri* (ipse enim *Lutherus* securitatem à Duce Georgio impetrare nequivit, adeoque in Comitatu *Carolostadii* accessit) & Doctorem *Eckium* Pontificium, in qua *Carolostadius* probavit: *Papæ authoritatem non esse ex Deo.*

§. 18. Paulatim itaque *Lutheri* asseclæ multiplicati sunt, & Germani jugum Papale excutere cœperunt. Papa interim, Romæ acta Synodo, *Lutherum* excommunicarat & ejus scripta exusserat, bullasque excommunicationis hinc indè per Germaniam sparsit.

§. 19. *Lutherus* vicissim Papam excommunicavit, ejusque bullas & Decreta *Witem-*

tem-

temberga ante portam exussit 1520. addens has diras: *Quia tu perturbasti Sanctum domini, etiam te consumat ignis æternus*, à quo die, generalis defectio à Papa fuit insecuta.

§. 20. *Carolus* Imp. Lutherum proscripsit. Indè colloquium *Wormatiæ* habitum 1521. ubi protectio *Friderici III.* Electoris, omnibus *Lutheri* insidiatoribus potior fuit. Post illius obitum, ejus successor *Johannes Constans* patrocinium continuavit, & paulatim Germaniæ Principes religionis mutationem introduxerunt, *Lutheri* dogma amplexi.

§. 21. In comitiis Spiræ dein habitis An. 1529. cùm Imperator edictum *Luthero* contrarium emisisset; Elector Saxoniæ, *Philippus* Landgravius Hassiæ, aliique Status Imperii & Civitates liberæ, contrà illud formaliter sunt protestati, ad Concilium universale appellantes; undè *Protestantium* nomen primò ortum.

§. 22. Exindè tamen, quasi quædam induciæ fuerunt secutæ & in Comitiis Augustanis Protestantium Statuum confessio, *Carolo* Imp. fuit exhibita, continens articulos, in quibus à Pontificiis dissentirent, composita à *Luthero* & *Philippo Melanchtone* 1530. undè *Augustana confessio* dicta est.

§. 23. Interim, ipsi Protestantes inter se dissentire cœperunt, & *Huldericus Zwinglius* Tiguri reformator, *Luthero*, in puncto de *S. Cœna*, controversiam movit; in conventu tamen

Mar-

Marpurgico 1529. ad mutuam charitatem & tolerantiam conſpirarunt, & dein per *Concordiam Wittebergenſem*, in qua *Lutherus* cum Theologis Helveticis ſatis conſenſit, arctior unitas reſtituta eſt 1536. & 1537. poſt obitum autem ejus, vulnus diſcordiæ recruduit, fruſtrà obnixo Melanchtone.

§. 24. Quoniam autem Principes Proteſtantes in Imperio, Pontificiorum machinationes optimè cernentes, ſe ſatis ſecuros non putabant, fœdus *Schmalkaldiæ* Civitate Haſſiæ inierunt defenſivum & Anno 1535. in decennium prorogarunt, contrà futuros Pontificiorum conatus & molimina violenta. Undè bellum Schmalkaldicum & nomen & ortum traxit 1547. cùm anno præcedente *Lutherus* jam eſſet mortuus.

§. 25. Imperator quippè indignè ferens hanc Proteſtantium confœderationem, icto cum *Paulo III.* P. R. fœdere, repreſſis Gallis & Turcis, in Germaniam converſus, *Johannem* Electorem Saxon. & *Philippum Magnanimum* Haſſiæ Landgravium proſcripſit. Illum ad *Mühlbergam* ſuperatum cepit & Electoratum ademptum, *Mauritio* ejus agnato ex linea Albertina, conceſſit. Hunc quoque contrà fidem datam *Hallæ* captivum retinuit.

§. 26. Quibus ſuppreſſis, deſperatus videbatur Proteſtantium Status, & forſan verè fuiſſet, niſi novus Elector *Mauritius* inito fœdere cum *Henrico II.* Franciæ R. Impera-

torem ad *Oenipontem* tantùm non oppressisset; à quo tempore restitutæ Protestantium res, mox *Transactione Passaviensi* fuerunt confirmatæ 1552. captivi Principes restituti, & dein in *Pace Religiosa* Augustæ Vindelicia inita, Authoritas & Jurisdictio Papæ & Episcoporum, in territoriis Principum Protestantium suspensa, religionis verò Status in iis terminis, quibus tunc fuit, relictus est, donec, per universale Concilium, concordia universalis stabiliretur 1555.

§. 27. Rusticorum quoque fuit rebellio per Germaniam, sub prætextu libertatis Evangelicæ; decimas, censum, tributa non solùm denegantium, sed etiam passim crudelia patrantium 1525. At mox ubique magnis cladibus, imprimis ad *Franckenhausam* affecti, debitas pœnas passim dederunt 1526.

§. 28. Anabaptistæ quoque, Ducibus *Nicolao Storckio* & *Thoma Munzero* Germaniam seditionibus valdè turbarunt. Sed passim cæsi & authores supplicio affecti sunt 1526. Mox verò, *Monasterii* in Westphalia, novas turbas dederunt, *Bernhardus Rottmann. Johannes Lugdunensis* sartor & scenicus, *Bernhardus Knipperdolling* & *Johañes Matthæi* 1535. *Johannes Lugdunensis* se Regem orbis fatuè pronunciavit, tres simul uxores duxit, varios suæ sectæ, absque merito, ex solo fanatico impulsu, decollavit; Apostolos XXVIII. in quatuor mundi plagas ablegavit & alia exe-

cranda

tranda patravit cum ſuis ſociis. Tandem verò, urbe ab Epiſcopo & aliis Principibus recuperata, turba hæc enthuſiaſtica diſturbata, illique condigna pœna fuerunt ſublati.

§. 29. His præcipuè actis, *Carolus* Imperator, fratri *Ferdinando* (qui jam Rex Romanorum fuerat electus 1531.) Imperium tradidit *Gandavi* 1556. reſervatis ſibi CM. thaleris annuis, & Monaſterium *S. Juſti* in Hiſpania ingreſſus, ibi vanitatem mundi agnoſcens obiit.

§. 30. Ducatum Mediolanenſem Imperiò apertum, filio ſuo *Philippo* contulit. *Ferdinandum Gonzagam* ex Marchione Mantuæ fecit Ducem 1530. Idem axioma Florentiæ dedit *Alexandro Mediceo* 1531.

In Bohemia.

Ludovico II. in pugna ad *Mohazium* contrà Turcas occumbenti 1526. ſucceſſit *Ferdinandus* frater Imperatoris, (qui *Annam* ſororem *Ludovici* conjugem habebat) poſtquàm tamen multùm debellaſſet cum Hungaris & Bohemis. *Fratrum* in Bohemia res videbatur reſtitui, occaſione *Lutheri* in Germania; imprimis verò Magiſtri Pragenſes, theſes 20. contrà Papam propoſuerunt 1523. At ſucceſſum indè ſperatum inhibuit infidelitas *Galli Zaheræ*, Paſtoris ad Lætam Curiam Pragæ veteris, qui ex amico *Lutheri* ſubitò inimicus factus, in comitiis, non ſolùm contrarias prioribus poſitiones edidit, ſed & om-

nes his subscribere recusantes, acriter jussu Regis fuit persecutus. Cùmque dein *Carolus* Imp. Protestantes in Germania vicisset, *Ferdinandus* cum exercitu in Bohemiam movit, Pragam cepit, cives privilegiis exuit, plures decollavit, relegavit, fustigavit, mulctavit. Itaque *Fratres* ubique ejecti & *Jesuitæ* Pragæ introducti sunt. Unio hæreditaria cum Saxonibus inita 1527.

In Hungaria.

Ludovico II. bellum intulit *Solymannus II.* Turca. *Belgradum* expugnavit 1521 & Regem, in pugna ad *Mohazium* commissa, vicit 1526. qui fugiens, in palude mersus obiit, natus annos XX. *Ferdinandus Austriacus*, ejus sororem *Annam*, in matrimonio habuit; undè in partes scissi Hungari, alii *Ferdinandum*, alii *Johannem Zapulensem* Comitem Zipsensem Transylvaniæ Waywodam elegerunt; hinc enatum est bellum. *Ferdinandus* Budam expugnavit & Albæ Juliæ coronam accepit 1527. *Johannes* viribus impar ad *Solymannum II.* confugit. Transylvaniam ei tributariam fecit, ejusque auxilium imploravit, qui cum 200000. armat. in Hungariam profectus, Budam recuperavit, *Wiennam* at frustrà obsedit 1529. *Johanni* coronam *Budæ* imposuit. Undè *Ferdinandus*, transactione cum *Johanne* inita, huic regnum reliquit 1538. ea lege, ut familia Austriaca post eum regnaret. Cùm verò *Ferdinandus*, novas res in Transylvania

moli-

moliretur contrà pactum, res iterùm ad arma venit; verùm in medio apparatu *Johannes* obiit 1540. relicto infantulo paucos dies nato; huic Hungari, ſimùl cum baptiſmate nomen *Johannis Sigismundi* & coronam dederunt, atque patrocinio Turcæ commendarunt, qui *Ferdinandi* copias cæſit, Budamque denuò expugnavit. Attamen *Ferdinandus* regnum obtinuit. Inter has turbas, *Petrus Perenius* Palatinus Hungaricus, Evangelii lucem Patriæ ſuæ accendit, non ſine applauſu & ſucceſſu. Eam quidem reſtinguere conatus Rex *Ludovicus*, duo edicta punitoria promulgavit, contrà deſertores Papiſmi 1523. & 1525. Mors autem eorundem executionem præpedivit, & *Ferdinandus* religionis & conſcientiæ libertatem Hungaris permiſit, quamvis iſta turbis & difficultatibus non caruerit.

In Auſtria.

Stirps Auſtriaca in duplicem abiit ramum in filiis *Philippi I.* Hiſpaniæ R. *Carolus* ramum Hiſpanicum inchoavit, quem *Carolus II.* cum ſeculo proximè elapſo finivit 1700. *Ferdinandus* Hungariæ & Bohemiæ Regna nactus, ramum Germanicum propagavit. *Conſtantiam* occupavit. Præfecturam Hagenojenſem pignoris nexu liberavit. Nec non *Burgoviam* 1558.

In Palatinatu.

Electori *Ludovico Pacifico* †. 1544. ſucceſſit

cessit frater *Fridericus II.* qui religionem Evangelicam introduxit 1546. †. 1556. relicto successore *Ottone Henrico*, nepote ex fratre *Ruperto Victorioso*, qui doctrinam Evangelicam amplexus, ab Imperatore propterea ditionibus exutus, ope *Mauritii* Saxoniæ Electoris restituitur, per Transactionem Passaviensem 1552. †. 1559. è linea ultimus.

Johanni Juniori Simmerensi, successit filius *Fridericus III.* qui mortuo sine prole agnato *Ottoni Henrico* Electori, in Electoratu successit 1559. *Bipontii* mortuus 1532. *Ludovicus*, successorem reliquit filium *Wolfgangum*, qui, ex testamento agnati *Ottonis Henrici*, terras Neoburgicas & Solisbacenses in Palatinatu superiori accepit. *Lüzelsteinæ* successit *Ruperto* †. 1544. filius *Georgius Johañes*.

In Bavaria.

Wilhelmus, cum Electore Palatino *Friderico*, contendit de Electorali dignitate, vi transactionis Papiensis; sed frustrà, improbante Cæsare. Successit filius *Albertus V.* 1550.

In Saxonia.

In linea Ernestina successit *Friderico Sapienti* †. 1525. frater *Johannes Constans*, qui strenuus Evangelii propugnator fuit. †. 1532. successorem reliquit filium *Johannem Fridericum*, Principem pium & intrepidum. Electioni *Ferdinandi* Rom. Regis diu restitit atque fœderis Schmalkaldici caput fuit; proscriptus propterea, ad Mühlbergam acie victus,

ctus, captus & Electoratu exutus est 1547. vixque vitam exoravit †. 1554. relicto filio *Johanne Friderico II.* qui *Gothæ* sedem fixit, & *Johanne*, qui *Vinariæ* vixit. Electoratum abstulit *Mauritius* agnatus.

In linea Albertina. Vixit *Georgius Dives*, Romani dogmatis strenuus defensor; fratrem *Henricum* ob iter in terram sanctam notum, cupiebat exhæredem, quòd Romanæ doctrinæ eum sciebat inimicum. Ast filios duos inopinata morte abreptos, pariter & ipse secutus 1539. fratrem prædictum invitus habuit hæredem & successorem. Iste statim Evangelium restituit, instigatus maximè à conjuge *Catharina Mecklenburgica.* Mox eum †. 1541. excepit filius *Mauritius*, qui, inito fœdere cum *Carolo* Imp. contrà agnatum *Johannem Fridericum* Electorem, Electoratum prædicto modo familiæ suæ acquisivit. Mox verò armis in Imperatorem conversis & fœdere cum *Henrico II.* Galliæ R. inito, illum Oeniponti necopinato prælio oppressit; undè transactio Passaviensis secuta 1552. Proscripto dein ab Imperatore *Alberto* Brandenburgico ipsi executio fuit demandata, quæ ei vitam in prœlio ad *Sivershausam* abstulit 1553. successore fratre *Augusto*, qui, inita cum *Johanne Friderico Gothano* transactione, Electoratum & Misniam retinuit, ea lege, ut extincta stirpe sua, cuncta redirent ad Ernestinos. Confraternitas quoque inter Saxonicam, Branden-

burgicam & Hassiacam domum fuit renovata.

In Brandenburgia.

In linea Electorali, *Joachimo I.* †. 1535. successit filius *Joachimus II.* In linea Franconica, *Casimiri Culmbacensis* filius *Albertus Alcibiades*, miles strenuus, Franconiam turbavit; Norimbergam pressit. Proscriptus propterea à Cæsare, cum *Mauritio* Saxone ad *Sivershausam* conflixit. Tandem, ditionibus exutus, *Pfortzhemii* exul obiit 1557. *Georgius Pius Onoldinus*, Dux Jägerndorfensis fuit factus †. 1543. Eum excepit filius *Georgius Fridericus*, qui hæres extitit *Alberti* in ditionibus Culmbacensibus. *Albertus* filius natu minimus *Friderici IV. Onoldini*, Magnus Magister ordinis Teutonici per Borussiam factus, inito pacto, cum *Sigismundo I.* Poloniæ R. Avunculo suo, terras ordinis in feudum, Ducali axiomate, recognovit 1525. ingratiis *Caroli V.* Imp. à quo fuit proscriptus. Academiam Regiomontanam fundavit 1544.

In Domo Brunsvicensi.

Philippo Seniori, †. 1551. successit filius Philippus, qui ramum Ann. 1595. terminavit. In linea Göttingensi, *Henrico.* †. 1532. successit filius *Otto*, qui tandem, Harburgo & annua pensione contentus, fratri *Ernesto* terras resignavit; qui religionem Evangelicam introduxit atque confessionem Augustanam, cum fratre *Francisco Cisbornensi* subscripsit

ſcripſit †. 1546. relinquens quatuor filios, quorum primus *Franciſcus Otto*, præmatura morte fuit abreptus. Secundus *Fridericus*, in prœlio Sivershauſano vulneratus obiit 1558. Tertius *Henricus*, inchoavit *ramum Dañenbergicum* & quartus *Wilhelmus*, author fuit *rami Zellenſis*. In linea Brunſvicenſi, *Henricus Junior* acre bellum habuit, cum Epiſcopis Hildeſienſi & Mindenſi atque Henrico Lüneburgico agnato, in quo, pugnâ ad *Soltaviam* data, Henricus Lüneburgicus victor extitit. *Ericus* †. 1540. ſucceſſorem habuit filium *Ericum II.*

In Würtembergia.

Ulricus Animoſus, arcem *Hohentwiel* à vidua Clingenbergica emit. Comitatum Löwenſtein Palatinis eripuit, mox tamen Comitibus in feudum conceſſit. Sed ob *Reuthlingam* interceptam, fœderis Suevici ſocios in ſe armavit, qui ademptum ipſi Ducatum *Carolo V.* Imp. vendiderunt 1520. quem iſte fratri *Ferdinando* in diviſione dedit 1530. Duce proſcripto. Sed illo in Hungaria occupato, *Ulricus* adjutus copiis *Philippi Haſſiaci* & pecunia Gallorum, quibus *Montempelicardum* oppignoravit, arma corripuit, atque ſuperatis ad *Lauſenam* Auſtriacis 1534. omnia amiſſa recuperavit & mox per pacem Cadamenſem, in integrum fuit reſtitutus, ita tamen, ut Ducatum feudi nexu ab Auſtriacis recognoſceret. Doctrinam Evangelicam intro-

troduxit. Dein fœderis Schmalkaldici author, denuò terras amisit 1546. & non nisi duris conditionibus & solutis CCCM. Ducatis, recepit 1547. †. 1550. successore filio *Christophoro*. *Georgius Montispelicardensis*, itidem ob fœdus Smalkaldicum proscriptus, terras amisit, sed recepit 1553. †. 1558. successore filio *Friderico*.

In Hassia.

Philippus Magnanimus Rusticos rebelles castigavit 1525. religionem Evangelicam introduxit 1527. Gravem & diuturnam controversiam, ob comitatum Cattimœlibocensem, cum Nassoviis, tandem favorabiliter terminavit; ita, ut relicto Nassoviis Diezensi Comitatu & solutis sexies CM. aur. omnia reliqua retineret; insignia verò utrique familiæ fierent communia. Academiam Marpurgensem fundavit 1526. confirmatam posteà ab Imperatore 1541. Henricum Ducem Brunsvicensem victum terris exuit suis 1542. mox bellum denuò moventécepit 1545. Bello dein Schmalkaldico implicitus, Imperatori post infelix prœlium ad *Mühlbergam* se sistens, à Granvellano deceptus, voce Einig mutata in Ewig / Hallæ captivus fuit retentus 1547. sed restitutus 1552.

In Domo Badensi.

Christophoro †. 1527. successit filius *Bernhardus*, Badensis lineæ author. Religionem Evangelicam introduxit †. 1537. Eum excepit

cepit filius *Christophorus*, qui *Rodenmacheren* tenuit, & *Philibertus* qui *Badæ* sedit. Alter filius Christophori *Ernestus*, lineam Durlacensem condidit; religionem Lutheranam introduxit †. 1553. successore filio *Carolo Sancto*, qui sedem transtulit Pfortzhemiâ *Durlacum*, ubi arcem à Patre cœptam perfecit.

In Sabaudia.

Carolus III. cum *Francisco I.* Franc. R. debellavit. Hic enim majorem partem Sabaudiæ, quasi matri suæ *Ludovicæ Sabaudicæ* debitam, prætendit & præter reliqua loca *Montmelianum* cepit, proditione Præfecti *Francisci Claremontii* Neapolitani 1535. & quoniam Genevenses hostili more tractaverat Carolus, Bernates, Valesii & Friburgenses, eodem tempore bellum ei intulerunt. Bernates Episcopo Lausanensi pulso, terram vaudianam (*le païs de Vauds*) occuparunt. Friburgenses Comitatum Romontinum. Valesii Cabalesiæ partem sibi sumpserunt. Galli *Taurinum* ceperunt & contrà fidem datam diripuerunt 1536. frustrà iterùm à *Carolo* Duce obsessum, cui præter *Nissam* extremum refugium, nihil ferè erat reliquum & vix hanc poterat conservare. Sed contrà classem Gallico-Turcicam Duce *Barbarossa* fortiter defendit 1543. Mortuus *Vercellis* 1552. successorem habuit filium *Emanuelem Philibertum*, quem *Philippus II.* Hispan. Rex Belgii Gubernatorem nominavit; undè Gallos ad

S. Quin-

S. Quintinum in Picardia, ingenti clade affecit 1557.

In Lotharingia.

Anthonius Francisco I. Gall. R. adhæsit, litem circà successionem Saarwerdensem primus Nassovicis movit. An. 1527. †. 1544. excepit filius *Franciscus* †. 1545. successorem habuit filium *Franciscum* qui †. 1545. Ducatum reliquit filiolo bimulo *Carolo II.* quem Henricus II. Gall. R. Parisios abduxit 1552. educavit, & terris suis reddidit.

In Helvetia.

Religionis mutationem stabilivit *Huldericus Zwinglius*, priùs *Glaronæ*, dein *ad Eremum* in Suitensibus pastor 1514. ubi errores Ecclesiæ Romanæ refutare cœpit. Vocatus *Tigurum*, ibi summo templo præfuit; munus concionandi auspicatus est 1519. atque ita permovit Senatum, ut Anno 1520. & dein 1523. Senatus Cto decreta fuerit Papis mi abrogatio. Mox *Basilea* concionibus *Johannis Oecolampadii* & *Berna* concionibus *Bertholdi Halleri* motæ, Ecclesias suas reformarunt 1528. & 1529. In Rhætia *Johannes Comander* pastor ad *S. Martinum* Curiæ, Evangelium *Ilantii* disputando stabilivit 1526. Idem successus Evangelii fuit in Glaronensibus 1527. & 1528. Quibus præter alia loca accessit *Scaphusia*.

Anabaptistæ tamen, non paucas dederunt turbas & seditionem rusticorum excitarunt contrà

contrà Civitates 1525. in agro Tigurino, Dux erat *Conrad. Grebel* & *Felix Mantz*. In agro Bernensi *Balthasar Hubmeyer*. In Civitate ad fanum S. Galli, *Thomas Schuker*. Qui tamen multo labore, partim etiam suppliciis, ad meliorem sensum fuerunt reducti.

Fœdus perpetuum cum *Francisco I.* conclusum est 1521. in quod tamen Tigurini tùm temporis consentire noluerunt. Renovatum posteà cum *Henrico II. Rege*. Rhæti quoque arctiore fœdere invicem juncti sunt 1524. Articulos certos inter se pacti, concernentes Clericos eorumque jura 1526. Helvetii etiam Pontificii, arctum cum Valesiis ligarunt fœdus 1528. & 1533.

Successus Evangelii in Helvetia, discordiam & bellum peperit. Pontificii quippè fœdere cum Papa & Imperatore inito, Tigurinis varias intulerunt injurias. *Underwaldii* rebellibus Bernatium rusticis 800. armatos submiserunt. Tigurini itaque, rupto fœdere cum quinque pagis, Rheguscos & Turgojam occuparunt & ad *Capellam* castra sunt metati 1529. Mox tamen interventu & diligentia reliquorum locorum, *pax* conclusa fuit, quam *provincialem* dixerunt. Hinc quatuor Civitates Evangelicæ, fœdus religionis defensivum inierunt. Hæc res quinquepagicos adeò malè habuit, ut pacem provincialem neglexerint, & res eò pervenit, ut Tigurini illos commeatu excluserint 1531. Accessit reformatio

Rappen-

Rappenschweilensis & mox secuta pugna Capellensis. d. 11. Octobr. 1531. in qua Tigurini, itinere fatigati & loco inferiores, profligati sunt, cæsis circitèr DXII. inter quos ipse fuit *Zwinglius*. Cujus cadaver, contrà gentium jus, violatum & tandem combustum est, inter multa ludibria; cor verò, mediis in flammis, illæsum permansit. Non multò post, quinquepagici ad montem Tugiensem iterum superiores fuerunt. Interim Rex Franciæ & Dux Sabaudiæ, cum Marchione Badensi interpositi, pacem procurarunt, quam, utraque pars belligerans, in prato propè *Barram* conclusit 1531. quæ secunda *pax provincialis* dicitur. His pugnis Evangelicorum parùm prosperis, moti quidam inconstantes, veluti Rapperschweilenses, Bremgartenses, Möllingenses &c. deserto Evangelio, ad priorem cultum redierunt. Bello dein contrà *Carolum* Sabaudiæ D. occasione Genevensium orto, tractus terræ cis lacum Lemannum à Bernatibus Duce *Nægelio* occupatus, & dein in transactione cum Duce, *Lausannæ* 1564. d. 30. Oct. inita, perpetuo jure retentus est, reliquis Duci redditis. Fœdus dein inter Bernates & Genevenses renovatum est 1558. & Lausannæ Senatus Bernensis Academiam fundavit 1536.

In Ecclesia.

Renovata Evangelii Lux passim affulsit. Authoribus in Germania *Martino Luthero* & *Philippo Melanchtone*. In Helvetia, *Hulderico Zwing-*

Zwinglio, *Johanne Oecolampadio* & *Bertholdo Hallero*. In Anglia, *Cramero* Archiepiſcopo Cantabrig. In Scotia, *Johanne Cnoxo* & *Hameltonio*. In Polonia, *Nicolao Oleſznicio*. In Litthuania, *Nicolao Radzivilio*. In Gallia, *Johanne Calvino* Noviodunenſi & *Maſſonio Rivierio*. In Dania, *Johanne Bugenhagio*. In Belgio, *Jacobo Præpoſito*, *Martino Dorpio* & *Johanne Rhodio*. In Boruſſia Ducali, *Andræa Oſiandro* & *Paulo Sperato*, præter multos alios uno tempore excitatos. Mox tamen Anabaptiſticus furor & lis ſacramentalis inter *Lutherum* & *Caroloſtadium* Profeſſor. Witteberg. Evangelium non parùm fuit morata 1524. huic acceſſit novus diſſenſus inter *Melanchtonem* & *Matthiam Flaccium* Illyricum, qui docuit; *peccatum eſſe ſubſtantiam* 1548. & 1549. *Michaël Servetus* Hiſpanus, Socinianus & in SS. Trinitatem blasphemus Genevæ fuit combuſtus 1553. Evangelici in Belgio, Anglia & paſſim perſecutione preſſi & ſuppliciis affecti. Romæ verò *Leonem X.* excepit *Hadrianus IV.* 1521. *Caroli V.* Imp. Præcept. In comitiis Norimberg. 1523. per nuncium ſuum reformationem Eccleſiæ promiſit, ſed morte præpeditus præſtare nequivit. Succeſſit ei *Clemens VII.* 1523. continuum bellum ſeptem annorum geſſit, ſed ab Hiſpanis & Gallis cum urbe captus eſt 1527. Eum ſecutus eſt *Paulus III.* 1534. qui ordinem *Jeſuitarum* ab *Ignatio Lojola* milite Hi-

ſpano

ſpano inſtitutum, confirmavit 1540. *Concilium Tridentinum* ad inſtantiam Principum Proteſtantium & Imperatoris, quamvis invitus inchoavit 1545. Succeſſorem habuit *Julium III.* 1550. qui, cùm *Eduardus VI.* Angliæ R. legatum non miſiſſet gratulatum *Julio*, numum cuſit, cum epigraphe: *Gens & Regnum, quod non ſervierit tibi, peribit.* Dein cum Regis filia *Maria* Sceptrum tenens, *Philippo II.* nuberet & Romanum dogma in Anglia refloreſceret, alterum cuſit numum, in quo *Julius III. Cardinalis Polus* ut nuncius, *Carolus V.* Imp. *Philippus II.* & *Maria*, cum femina ſupplice Angliam denotante, cui *Julius* manum porrigit, cum circumſcriptione: *Anglia reſurges ut nunc graviſſimo die.* Regem & Deum ſe vocavit, teſte numo, cui hæc circumſcriptio apud *Philippum Bonani* Jeſuitam *D. Julius III. Reipl. Chriſtianæ Rex ac Pater.* Ei ſucceſſit *Marcellus II.* 1555. quem poſt XXII. dies excepit *Paulus IV.* *Maria* Angliæ R. legatis Romam miſſis, abſolutionem petiit & Regnum Papæ ſubjecit; hinc numus cuſus, cum epigraphe: *Hæreſi extincta.* Quod *Marco Anthonio Colonnæ* bona adempta, nepoti ſuo *Friderico Caraffæ* dediſſet, hoſtem habuit *Philippum II.* Hiſpanum, qui ipſi Ducem Albanum immiſit. *Paulus* Papa verò, opem *Henrici II.* Franc. R. imploravit, pax tamen coaluit *Cavæ* 1557. Academia Hafnienſis fundata à Rege *Chriſtierno* 1539. & Je-

In Num. Pontif.

& Jenensis ab Electore *Johanne Friderico* 1548.

XL.

(5.) FERDINANDUS I. *Frater* Caroli V. *Rex Romanorum electus* 1531. *Rex Bohemiæ & Hungariæ* 1527. *Imperator* 1556. †. 1564. *Imp.* 8. *Mens.* 4. *Ætat.* 61.

§. 1. Circà electionem ejus in Regem Romanorum, difficultates fuerunt motæ, ab Electore Saxoniæ aliisque Statibus, quasi hoc modo libera electio adimeretur; sed pax Cadamensis cunctas sustulit.

§. 2. Fuit cæterùm Princeps prudentissimus, clemens, liberalis, mitis & circà restaurandam in religione concordiam assiduus; quod probat *pax Religiosa*, ejus præcipuè opera, Augustæ Vindeliciæ inita 1555.

§. 3. Cardinalem *Martinusium*, primarium suum Ministrum, cum inimicis suis clàm tractantem, jussit interfici, excommunicatus propterea à *Julio III.*

§. 4. Constantienses Augustanam confessionem amplexos proscripsit; undè in summas angustias redacti, consilio ex re nata capto, Austriacis se submiserunt 1548. contradicentibus licèt circuli Suevici Statibus. Sleid in. lib. 21.

§. 5. Bellum inter *Albertum* Brandenburgicum, filium *Casimiri* & *Melchiorem Zobelium* Episcop. Herbipolitanum, *Wigandum* *Redo-*

Redowizium Episcop. Bambergensem & Norimbergenses ortum, composuit 1558.

§. 6. Austriacis integræ cœnæ usum permisit 1559. Filium *Maximilianum* Regem Romanorum coronari curavit 1562. Genuensibus proscriptionem est interminatus, quòd Marchionem Finaliensem pepulissent 1563.

In Bohemia & Hungaria.

Ferdinando I. successit filius *Maximilianus II.* 1562.

In Sabaudia.

Philibertus Emanuel, pace Cambresiaca 1559. conclusa, terras suas recuperavit, exceptis *Pignerola*, *Taurino*, *Villanova* aliisque. *Pignerolam* quidem mox recepit, at posteà *Taurino* commutans, Gallis reddidit 1562. pacem firmavit conjugio cum Margaretha Francica.

In Ecclesia.

Romæ *Paulus IV.* moribundus, inquisitionis officium, ceu sanctum aliquid, commendavit. Post obitum suum, publico Cardinalium edicto, memoria ejus fuit abolita, isque cum tota gente *Caraffarum* damnatus 1559. Ei successit *Pius IV. Carolo IX.* Gall. R. & *Alberto* Bavariæ D. calicis usum petentibus denegavit. Tridentinum Concilium finem accepit 1563. postquàm XIIX. annis durasset, ita tamen, ut inter Sessionem 16. & 17. decennium integrum intercesserit. Ejus *Decreta*, Galliæ, Angliæ & Daniæ RR. ut & Prin-

cipes

cipes Protestantes in Imperio non agnoverunt. In Germania, *Johannes Brentius* litem inchoavit, de ubiquitate corporis Christi. *Johannes Marbachius*, in puncto prædestinationis, contrà *Hieronymum Zanchium* disputavit Argentorati. In Gallia, *Hugonottarum* nomen ortum, & Strages Vassiacena à D. Guisio data 1561. In Hispania quoque, ut & in America Evangelici duriter habiti sunt. In Belgio, Cardinalis *Granvellanus* inquisitionem vi introduxit 1560. Basileæ, horrendam hæresin procudit *David Georgius* Batavus, qua post ejus mortem demùm detecta, ille è sepulchro erutus, ejusque cadaver cum effigie & libris publicè fuit concrematum 1559. Tota ejus familia, in Ecclesia publicè, hæresi execrandæ renunciavit juratò. In Borussia, *Lucas Osiander* docuit; *Nos justos fieri, justitia Dei essentiali.* In Polonia minore, Synodus Xianzensis damnavit *Franciscum Stancarum* Mantuanum, docentem: *Christum mediatorem esse tantùm quoad hominem* 1560. *Faustus Socinus* in Italia suam hæresin disseminavit, quam à *Johanne Paulo Alciato* Mediolanensi haustam, Genevæ propugnare ausus est *Georgius Blandrata* Medicus, sed urbe carere propterea fuit coactus 1563. Academia *Duacensis* fundata à *Philippo II.* Hispan. Rege 1563. *Dillingensis* ab *Ottone* Truchsessio Waldpurg. Episcopo Augustano 1564.

XLI.

(6.) MAXIMILIANUS II. Filius *Ferdinandi I.* & *Annæ Bohemicæ.* Nat. 1547. Germaniæ, Bohemiæ & Hungariæ R. creatus 1562. Imperator 1564. †. 1576. in Comitiis Ratisbonensibus. Imp. 12. Mens. 2. Ætat. 49.

§. 1. Princeps fuit paternarum virtutum simul cum Imperio hæres; in eo solo Patri dissimilis, quod hunc in multis superavit. Nobilitati Austriacæ liberum religionis exercitium permisit, dicere solitus: *Conscientiis dominari velle, id verò esse cœli arcem invadere,* undè quoque suis, usum calicis à Papa, & Clericis matrimonium petiit, huicque in fide fuit suspectus.

Bulch. holz ad. Ann. 1564.

§. 2. Inducias cum *Selymo II.* Turca iniit 1568. Cùmque *Pius V.* P. R. *Cosmum Mediceum* Magnum Ducem Hetruriæ creasset 1569. illi acriter fuit infensus, interminatus quoque, si pergeret ita Jura Imperii & Imperatoris attentare, neque pati voluit hunc Regem creari. Filio tamen ejus *Francisco* Magni Ducis axioma posteà confirmavit 1575.

§. 3. Factionem Grumbacensem feliciter suppressit. Namque *Wilhelmus Grumbachius* Nobilis Franconiæ, cum sui similibus, *Melchiorem Zobelium* Episcopum Herbipolitan. inter-

Chytr. Sax. lib. 23.

interfecerat & in Franconia varii generis infolentias commiferat. Hunc profcriptum & cum affeclis Auguftam Vindelic. in comitia citatum 1566. fed contumaciter emanentem, in bannum fuperius declaravit, & cum illo *Johannem Fridericum* Saxoniæ D. ejus protectorem & receptatorem. Executionem banni fecit *Auguftus* Elector Saxon. qui urbe Gothana & arce *Grimenftein* expugnatis, utrumque captum ad Imperatorem adduxit. *Grumbachius* cum cancellario *Chriftiano Brunck* in quatuor partes difcerpti & focii capite truncati. Dux *Johannes Fridericus* verò, ad perpetuum carcerem damnatus eft 1566. in quo *Neoftadii* cuftoditus obiit demùm 1595.

§. 4. Inducias cum Turcis pactas, follicitatus à Papa & Venetis, rumpere noluit 1570. & 1571. Illyricos rebelles caftigavit 1572. Cum *Stephano Bathorio* Tranfylvano fimul Poloniæ Rex electus, huic cedere fuit coactus 1574. Dantifcanos tamen, quòd *Stephano* nimis citò fefe fubjeciffent, punivit 1576.

In Bohemia.

Maximilianus II. mitis præfuit, & confcientiæ libertas ubique floruit haud interturbata. Eum placidè defunctum excepit filius *Rudolphus* 1576.

In Hungaria.

Maximilianus II. mitis præfuit, & cum *Johanne Sigismundo* Tranfylvano debellavit,

eique per *Lazarum Schwendium* victo, multa loca eripuit 1565. Zigethum verò amisit 1566. denique inducias VIII. annor. cum *Selymo II.* Turca iniit 1568. quas tamen iste violavit & *Caniſcham* occupavit 1571. *Maximilianus* filium suum *Rudolphum* Regem coronari fecit 1572. qui novas inducias VIII. annorum cum Amurathe conclusit 1576.

In Auſtria.

Post *Ferdinandum* †. 1564. præfuit *Maximilianus* Imp. Subditis conſcientiæ libertatem permisit. Rex Poloniæ fuit electus; sed *Stephanus Bathorius* eum prævenit. Ejus frater *Carolus*, lineam Græzenſem fundavit & Styriam, Carinthiam & Carniolam tenuit; Religionis libertatem Statibus pro pecuniæ ſumma confirmavit.

In Palatinatu.

Fridericus III. Elector, religionem reformatorum fuit amplexus. Reformatis in Gallia auxilia ſubmiſit 1571. ducente *Wilhelmo* Bipontino †. 1576. ſucceſſore filio *Ludovico. Wolfgango* Neoburgico †. 1569. ſucceſſerunt filii. *Philippus* Neoburgi. *Johannes Senior* Bipontii & *Carolus* Birckenfeldæ. *Georgius Johannes Lüzelſteinenſis* jura territorialia à patruele *Wolfgango* obtinuit.

In Bavaria.

Albertus V. Primogenituram introduxit. Comitatum *Hagen*, mortuo *Ladislao* ultimo comite, Bavariæ conjunxit.

In

In Saxonia.

Auguſtus Elector banni Imperialis executor, arcem *Grimmenſtein* diruit. Terræ Gothanæ *Johanni Friderico* ademptæ, fratri ejus *Johanni Wilhelmo* conceſſæ ſunt. Quas tamen illius filiis *Johanni Caſimiro* & *Johanni Erneſto* reſtituit. Quorum ille 1633. Iſte verò 1638. ramum terminavit.

In linea *Vinarienſi*, *Johannes Wilhelmus* ſociatus *Auguſto* Electori, Gotham prædicto modo obtinuit †. 1573. reliquit duos filios *Fridericum Wilhelmum Altenburgici* rami conditorem & *Johannem* hodiernæ Vinarienſis lineæ ſatorem.

In Brandenburgia.

In linea Electorali, *Joachimus II.* †. 1571. ſuccedente *Johanne Georgio* filio, qui extitit ſtirps comunis hodiernorum Marchionum.

In Domo Brunſvicenſi.

In linea *Dannenbergica*, præfuit ejus author *Henricus*, qui retentis ditionibus Dannebergicis, Ducatum fratri *Wilhelmo* conceſſit.

In linea *Cellenſi*, *Wilhelmus*, inferiorem Comitatum Hojenſem, hæreditario jure, accepit.

In linea *Brunſvicenſi*. *Ericus II.* ſimul cum prædicto *Wilhelmo* Cellenſi, in partem Comitatus Hojenſis, *Ottone* ultimo Comite defuncto, ſucceſſit.

In linea *Franconica*. *Albertus* Boruſſiæ

Dux †. 1568. successorem habuit filium *Albertum Fridericum* †. 1618. sine prole.

In Würtembergia.

Christophorus Constans subditorum saluti bonis legibus prospexit. Magistrum ordinis Teutonici *Elwangam* occupantem fugavit, qui bellum XXX. M. ducatis redemit. Comitatum Löwenstein Comitibus ademit. Pietati addictus, Augustanam confessionem *Tridenti* publicè defendit †. 1568. successit filius *Ludovicus Pius.*

In Hassia.

Philippus Magnanimus cum Nassoviis de Comitatu Diezensi transegit, solutisque 450000. flor. & tradita quarta parte, reliquum retinuit 1557. †. 1567. Præter alios reliquit filios *Wilhelmum Sapientem*, lineæ Cassellanæ authorem & *Georgium* Darmstadiensis lineæ conditorem. Ille Dynastiam *Plesse* 1571. & partem Comitatus Hojensis obtinuit, quam Tecklenburgicis in feudum concessit 1582. Urbem quoque & Præfecturam *Smalkalden* ex successione Hennebergica fuit consecutus 1583.

In Domo Badensi.

In linea *Badensi*, *Philibertus* in prœlio ad *Moncontúrium* occubuit 1569. relicto filio *Philippo.* Cujus tutelam Bavari arripientes, Evangelicos Marchionatu expulerunt. At ille obiit 1588. in apparatu nuptiarum. *Christophorus* ejus frater, inter copias Regis Sue-

ciæ

ciæ merens, *Cæciliam* filiam *Gustavi I.* Regis duxit, ex qua †. 1575. filium *Eduardum Fortunatum* reliquit successorem.

In linea *Durlacensi*, *Carolus Sanctus* prœlio ad *Moncontarium* interfuit. Ei †. 1577. successit filius *Georgius Fridericus* & *Ernestus Fridericus*.

In Sabaudia.

Philibertus Emanuel, Principatum *Oneliæ* ab *Hieronymo Doria* permutatione acquisivit, & non multò pòst, Comitatum *Tende* eodem modo obtinuit †. 1580.

In Helvetia.

Bernates fœdus Civitatis cum Genevensibus initum primò 1526. & dein aliquoties renovatum 1536. 1548. perpetuum fecerunt 1558. quo utraque Civitas arctissimè fuit conjuncta. Fœdus quoque inter Ducem Sabaudiæ & 6. Civitates Catholicas conclusum *Lucernæ*, d. 15. Nov. 1560. Transactio quoque inter eundem Ducem atque Bernates facta *Lausannæ d.* 30. *Octob.* 1564. qua fœdus cum Genevensibus confirmatum, tractusque Vallensis (*Pays de Vauds*) juxtà lacum, Bernatibus in perpetuum concessus atque lacus terminus inter utriusque ditiones positus fuit. Fœdus quoque cum *Carolo IX.* Gall. R. renovatum 1564. *Pius IV.* P. R. fœdus iniit cum V. pagis Lucernæ 1565. Septem quoque Civitates Thurgojam regentes, transactionem fecerunt, cum Episcopo Constantiensi, *Bade-*

næ 1560. d. 7. Febr. vectigal & bona subditorum respicientem. Similis transactio ratione vectigalis cum *Ferdinando I.* facta 1561. d. 25. Januar.

In Ecclesia.

Romæ, *Pio IV.* successit. *Pius V.* 1565. acris morum fuit censor, imprimis ergà Clericos. Inquisitionem acerrimè defendit & exercuit. Publicato Decreto, turpes feminas Româ ejicere, sed frustrà fuit conatus. Elisabetham Anglam excommunicavit 1569. *Carolum IX.* pecunia adjuvit contrà Protestantes, in cujus nuptiis, *Laniena Parisiensis* contigit, in qua 25000. fideles perierunt 1572. Ei successit *Gregorius* XIII. 1572. qui, occasione lanienæ Parisiensis, numo impressit, Angelum exterminatorem, sinistra crucem, dextrà gladium tenentem, cum epigraphe, *Hugonottarum Strages* 1572. Construxit *Collegium omnium Nationum*, in quo 200. Jesuitæ aluntur. *Fridericus* III. Elector Palatin. Augustæ in Senatum veniens, filio ejus *Casimiro* Bibliorum Codicem portante, inter membra Augustanæ confessionis agnitus est; *Augusto* Electore ejus pietatem collaudante 1566. *Jacobus Andræas Schmidlinus* Theologus Würtemberg. composuit *Formulam Concordiæ*, qua reformati à Luthero planè fuerunt divulsi 1576. Academia Lugduno-Batava instituta 1575. Helmstadiensem Maximilianus Imp. privilegiis exornavit 1576. Tarra-

Tarraconensis in Catalonia fundata à *Caspa-ro Cervant* Cardinale 1572. Altorfina à Senatu Norimberg. 1575. Salmuriensis in Gallia ab Henrico III. Gall. R. Mossipontana 1573.

XLII.

(7.) RUDOLPHUS II. Filius *Maximiliani* & *Mariæ Hispanicæ* Nat. 1553. Rex Hungariæ 1572. Bohemiæ & Germaniæ 1575. Imperator 1576. †. 1612. Imp. 35. Mens. 2. Ætat. 59.

§. 1. Imperium habuit satis pacificum, nisi quòd cum Turcis vario marte debellarit. Alchymiæ, Astrologiæ & Graphices studio fuit detentus. *Tychonem Braheum* nobilem Danum & egregium Astronomum, præter alios viros doctos, in aula sua habuit.

§. 2. Austriacis liberum religionis exercitium indulsit, intercessione Saxoniæ Electoris, datis iis *literis Majestaticis*. Viennæ tamen cultum Evangelicum abrogavit. In Comitiis Augustanis, de Calendario Gregoriano altercatum est 1582. rejicientibus illud Principibus Protestantibus.

§. 3. Coloniæ *Gebhardus Truchsessius* Archiep. uxorem duxit *Agnetem Mansfeldiam* & cultum Evangelicum introducere voluit, qua de causa, Archiepiscopatu pulsus est ab *Ernesto* Bavariæ D. 1582.

§. 4.

§. 4. Argentorati, duo Episcopi *Carolus Lotharingicus* & *Joh. Georgius Brandenburg.* in electione discordi electi 1592. de Episcopatu decertarunt; lis tandem arbitrio *Henrici IV. Fr. R.* commissa, ita definita est 1603. ut diviso Episcopatu uterque partem obtineret, post mortem autem alterutrius reuniretur. Sed anno sequenti, mediante *Friderico* Würtembergiæ D. Brandenburgicus Lotharingico totum Episcopatum concessit, acceptis 130000. flor. & pensione annua.

§. 5. Evangelicis Aquisgrani religionis exercitium ademptum 1593. & 1611. undè tumultus in urbe & Jesuitæ pulsi. Secutum est bannum Imperiale 1614. & urbs à *Spinola* capta.

§. 6. *Paderborna* ab Episcopo subjugatur amissis privilegiis 1604.

§. 7. *Donawertha* Civitas Imperialis libera, quòd Catholicis processionem publicam per urbem inhibuisset, ab Imperatore proscripta est, delata executione *Maximiliano* Bavariæ D. qui eam in deditionem acceptam sibi & domui suæ submisit 1607.

§. 8. Indè Principes Protestantes, conclusam jam anteà *unionem*, in quam *Henricus IV.* Franc. R. erat receptus, *Hallæ Suevorum* renovarunt 1609. Cui Pontificii suam opposuerunt *Ligam* Herbipoli initam 1610. cui accessit Rex Hispaniæ *Philippus III.*

§. 9, Mortuo sine prole mascula *Johanne*

Wilhel-

Wilhelmo Juliaci, Montium & Cliviæ D. lis de ſucceſſione orta, inter *Johannem Sigismundum* Electorem Brandenb. *Johannem* Ducem Bipontinum, *Philippum Ludovicum* Ducem Neoburgicum, *Carolum* Marchionem Burgavienſem & Domum Saxonicam in ſimultanea inveſtitura fundatam, cui Imperator inveſtituram quoque conceſſit 1610. Verùm Domus Brandenburgica & Neoburgica reliquos omnes poſſeſſione excluſerunt.

§. 10. Interim *Matthias* Archid. frater Imperatoris, huic Hungariam & Auſtriam 1608. dein quoque Bohemiam 1611. ſubtraxit, & fratrem in magnam inopiam adegit, ita ut, in conventu Electorum Norimberg. ſumptus ad ſuſtentandam Imperii dignitatem petere fuerit coactus. Mox relicta ingenti gaza obiit.

In Bohemia.

Rudolphus Imp. conventu Regni habito, mitem egit Regem; Bohemis, poſt aliquot motus, conſcientiæ libertatem & *Majeſtatis literas* indulſit, quibus eximia privilegia Evangelicis conceſſa fuerunt. *Huſſitarum* quoque nomen deſiit 1608. Tandem à fratre *Matthia* victus, huic Regnum permittere fuit coactus 1611.

In Hungaria.

Rudolphus cum *Amurathe* debellavit, qui rupta pace irruperat 1582. At malè multatus, pacem denuò petitam obtinuit; Sed iterùm

rùm fregit 1592. à *Philippo Emanuele* Mercurii Duce aliquoties cæsus & fugatus. Transylvaniam in fidem accepit 1595. Quippè *Stephanus Bathorius* patris successor, absolutus à Papa, à juramento Turcis præstito, *Mariam Christianam Austriacam* duxit & mox Principatum Cæsari tradidit, æquivalentis loco accipiens Principatus *Oppelen* & *Ratibor* in Silesia, & pensione annua 15000. thaler. Mox tamen eum facti pœnituit, sed suo malo †. apoplexia 1610. *Stephanus Botskajus* Evangelicos, contrà *Bastam* & *Barbianum* Imperatoris Duces, defendit, & cum libertate religionis Principatum Transylvaniæ accepit 1606. Eodem anno, induciæ vicennales cum Turcis initæ. *Sigismundus Ragotsius* in Transylvania successit 1607. quam cessit *Gabrieli Bathorio* 1608. *Heiducki* induciis adversi, arma deponere recusarunt, caussati, Turcas rebellione *Gambolæ* in Asia, *Aleppum, Damascum* & *Tripolim* excitantis, ad angustias esse redactos. Hac occasione arrepta, *Matthias* Archid. contrà eos castra metatus, Regni Status contrà fratrem sollicitavit & huic Regnum eripuit 1608. Evangelici variè gravati & pressi, & à *Bathorio* defensi 1610. & 1611.

In Austria.

Matthias Archid. Evangelicis exercitium religionis ademit; undè post rejectam Statuum supplicationem tumultus & arma. Interpositione tamen Statuum Moraviæ compo-

sitio

ſitio procurata libertatem religionis permittens, ſed malè obſervatam 1608. *Albertus* Archid. ducta *Iſabella Clara Eugenia* Infante Hiſpanica, Belgium pro Hiſpaniæ Rege gubernavit. Styriæ *Carolo* †. 1590. ſucceſſerunt filii *Ferdinandus* Viennenſis & *Leopoldus* Oenipontanus.

In Palatinatu.

Ludovicus Elector, pulſis reformatis, Lutheranos introduxit †. 1583. relicto ſucceſſore *Friderico* IV. filio ex Eliſabetha Haſſiaca, ſub tutela patrui *Joh. Caſimiri* adolevit, reformatorum dogmate imbutus, undè Lutherani iterùm pulſi †. 1610. Teſtamento tutorem ſcripſerat filio ſuo *Friderico V. Johannem Bipontinum*; cui ſe oppoſuit agnatus *Philippus Ludovicus*, cauſſatus teſtamentariæ tutelæ non eſſe locum ex Aurea Bulla. Sed obtinuit in poſſeſſorio Bipontinus; Conventui Electorali 1611. & electioni Imperatoris Matthiæ interfuit 1612. *Philippus Ludovicus Neoburgicus* formulam concordiæ introduxit. Bipontii *Johannes* †. 1604. è *Magdalena Juliacenſi* tres reliquit filios.

1. *Johannem Juniorem* Bipontinum, qui jura territorialia habuit.

2. *Fridericum Caſimirum*, Landsbergicum.

3. *Johannem Caſimirum* Kleeburgicum.

Qui ad ſucceſſionem Juliacenſem aſpirantes, à Brandenburgico & Neoburgico præven-

præventi, pecuniam accipientes transegerunt.

Birckenfeldæ, Carolus †. 1600. è *Dorothea Brunsvicensi* duos reliquit filios. *Georgium Wilhelmum*, qui *Birckenfeldam* tenuit & *Christianum*, qui, *Bischwileram* nactus, arcem ibi extruxit.

Veldentiæ, Georgius Johannes †. 1592. successorem habuit *Georgium Gustavum* filium.

In Bavaria.

Alberto V. †. 1579. successit filius *Wilhelmus V.* author *lineæ Wilhelminæ*, qui totam Bavariam solus tenuit, fratribus appannagia data. Tandem regimen filio *Maximiliano* tradidit 1596. Ipse obiit 1626. *Maximilianus Donawerdam* ab Imperatore banno percussam occupavit & sibi subjecit 1607.

In Saxonia.

Augusto Electori †. 1586. successit filius *Christianus* I. qui reformatis se aggregavit †. 1591. & reliquit tres filios.

1. *Christianum* II. patris in Electoratu successorem, qui Lutheranos restituit, atque à *Rudolpho* Imp. investituram Ducatus Juliacensis obtinuit 1610. sed possessione caruit †. 1611.

2. *Johannem Georgium* fratris in Electoratu successorem.

3. *Augustum* Administratorem Naumburg †. 1615.

In linea *Vinariensi* & quidem ramo *Altenburgico* successit *Friderico Wilhelmo* †. 1602. filius

filius *Fridericus Wilhelmus II.* In ramo *Vinariensi*, *Johannes* †. 1605. successorem habuit Vinariæ *Wilhelmum* & Gothæ *Ernestum*. Eorum frater *Bernhardus* exercitus Suecici Dux æternam nominis famam sibi peperit, at in flore ætatis obiit *Brisaci* 1639. quod ceperat anno præcedenti. Principatus Hennebergicus, mortè ultimi Comitis *Georgii Ernesti* 1583. partim ad Hassiacos, partim ad Saxones pervenit.

In Brandenburgia.

Johannes Georgius †. 1598. successorem habuit in Electoratu *Joachimum Fridericum*, qui, †. 1608. reliquit filios *Johannem Sigismundum Electorem* & *Johannem Georgium* Jægerndorfensem. In Ducatu Culmbacensi *Christianum*. In Onoldino *Joachimum Ernestum*.

In Domo Brunsvicensi.

Wilhelmus Cellensis nactus Comitatum *Diepholt* ab ultimo Comite *Friderico* 1581. †. 1592. successorem habuit filium primogenitum *Ernestum*. Cui †. 1611. successit frater *Christianus* Præsul Mindanus. *Erico II.* Brunsvicensi †. 1584. successit *Julius*, qui Academiam Helmstadiensem fundavit 1576. undè *Julia* vocatur †. 1589. successore filio *Henrico Julio*, qui bellum gessit cum Civitate Brunsvicensi, eamque obsedit, sed frustra, Civitatibus Hanseaticis defensionem urbis suscipientibus. Urbs ad petitionem Ducis in bannum Imperii declarata 1611. Comitatum *Blancken-*

berg, morte ultimi Comitis *Johannis Georgii* 1599. acquisivit †. 1613. relictis filiis *Christiano* Episcopo Halberstadiensi & *Friderico Ulrico* patris successore.

In Würtembergia.

Ludovicus Pius Illustre collegium Tübingæ instituit 1588. & sine prole moriens 1593. ramum terminavit. Ei successit agnatus *Fridericus Mompelgardensis* qui mediante pecunia transigens cum Rudolpho Imp. consentientibus reliquis agnatis Austriacis, investituram binorum Ducatuum immediatam obtinuit, abolito nexu feudali à *Ferdinando I.* introducto. Reservata tamen Domui Austriacæ successione, in casum deficientis prolis masculæ *Pragæ* 1599. d. 24. Januar. Ditiones suas variis locis & Dynastiis auxit, atque è Styria ob religionem pulsis, urbem condidit in silva Martiana, eamque suo nomine *Fridrichstatt* appellavit; sed illi tàm amœno hospitio læti, nomine mutato *Freudenstatt* dixerunt †. 1608. Reliquit ex *Sibylla Anhaltina* tres filios, totidem ramorum authores. 1. *Johannem Fridericum*, qui, Stuttgardiæ sedit. 2. *Ludovicum Fridericum*, qui, *Montempelicardum* tenuit. 3. *Julium Fridericum*, qui, *Brenzam* fuit nactus.

In Hassia.

Wilhelmus Cassellanus postquàm ditiones suas variis arcibus exornasset †. 1592. relicto ex *Sabina Würtembergica* successore filio *Mauritio*,

ritio, qui, religionem reformatam introduxit 1605. *Georgius Darmstadiensis* †. 1596. relicto ſucceſſore filio *Ludovico*, qui, jus primogenituræ introduxit & Academiam Gieſſenſem fundavit 1607. Namque mortuo 1604. *Ludovico Marpurgico* patruo improle,in teſtamento terras ita diviſit, ut Marpurgicas daret lineæ Caſſellenſi & Gieſſenſes lineæ Darmſtadienſi; undè tamen lis acris fuit orta; *Mauritio* acceptante teſtamentum, *Ludovico* verò contradicente.

In Domo Badenſi.

Eduardus Fortunatus Badenſis, ad caſtra Romanorum tranſiit; qui, cùm æs alienum peregrinationibus intentus non ſolveret, nec debitas penſiones annuas creditoribus præſtaret, eaque res in præjudicium agnati Durlacenſis cederet, iſte Marchionatum Badenſem,vi pacti gentilitii occupavit 1594. Uxorem duxerat imparis conditionis feminam *Mariam ab Eyken*, ex qua †. 1600. præter *Hermannum Fortunatum* reliquit *Wilhelmum ſucceſſorem*, cui tamen Durlacenſes ſtatus controverſiam moverunt. *Erneſtus Fridericus* Durlacenſis, religionem à fratre *Jacobo* turbatam reſtituit. Marchionatum Badenſem prædictas ob cauſas occupavit †. 1604. ſucceſſorem habuit fratrem *Georgium Fridericum.*

In Sabaudia.

Carolus Emanuel Marchionatum Saluzzanum occupans. Gallos, Genevenſes & Hel-

vetios excitavit; undè sedibus suis ejectus, sed mediante Papa pax conclusa & Dux restitutus est 1601. relictis Regi *Henrico IV.* præter Rhodanum fluv. ditionibus *La Bresse*, *Bugey*, & *Gex*. Posteà mœnia *Genevæ* scalis transcendere tentans nocturno impetu, à civibus somno excitatis, multa suorum cæde deturbatus recessit 1602. d. 12. Decemb. Diem istum quotannis festivum habent Genevenses. Montem ferratum quoque sine successu tentavit, opponentibus se Gallis.

In Lotharingia.

Carolus II. †. 1608. relinquens ex *Claudia Francica Henricum* successorem, mitis ingenii Principem & *Franciscum* Comitem Valdemontii, Ducum hodiernorum satorem.

In Helvetia.

Episcopus Basiliensis fœdus erexit cum septem locis Catholicis, *Lucernæ* 1579. particulare quoque fœdus inter se inierunt prædicta loca 1589. & Bernates cum *ligis Rhæticis* 1602. Fœdus quoque cum *Henrico IV.* Galliæ R. renovatum. Civitas Genevensis frustrà à Sabaudis tentata scalis 1602. auxiliarios Helvetios obtinuit.

In Ecclesia;

Romæ *Gregorio XIII.* renovati Calendarii authori succelsit *Sixtus V.* 1585. qui *ligam Sanctam* instituit Ferrariæ 1586. *Henricum* Navarræ Regem & Principem Condeum excommunicavit. *Jacobum Clementem* mona-

chum, Regis *Henrici III.* occiſorem, canonizavit. Magnum obeliſcum, à *Caligula* ex Ægypto quondam Romam translatum, iterùm ſtatuit, ut & columnas *Trajani* & *Antonini.* Priori impoſita imagine *S. Petri.* Poſteriori verò *S. Pauli.* Corraſo V̄. million. theſauro obiit 1590. Succeſſore *Urbano VII.* quem poſt ſpatium bimeſtre excepit *Greg. XIV.* & hunc *Iñocentius IX.* 1591. Iſtum ſecutus *Clemens VIII.* 1592. qui Bibliorum lectione Laicis interdixit. Senatum Cardinalium de propaganda fide inſtituit 1598. Ferrariam Patrimonio Petri adjecit. *B. Raymundum* Dominicanum Catalonenſem apotheoſi donavit 1601. Legationem Perſicam Romæ vidit. Patriarcham Venetorum examini ſuo ſubjicere voluit, ſed irrito conatu. Ei ſucceſſit *Leo XI.* & huic mox *Paulus V.* 1605. qui de peccato originali Virginis Deiparæ diſputari vetuit. Venetos excommunicavit, qui *Jeſuitas* urbe & agro ſuo ejecerunt 1606. dicentes; *Andate, niente portate, mai ritornate.* Res ferè ad arma erupit, ſed mediante Rege Galliæ, & cedente Papa, tamen fuit compoſita. Colloquium *Montiſpelicardi* habitum inter Auguſtanæ & Helveticæ confeſſioni addictos 1586. aliud celebratum *Ratiſbonæ* inter Evangelicos & Pontificios 1601. *Mauritius* Haſſiæ Landgravius, reformatos Doctores Marpurgi introduxit 1605. Evangelici in Polonia, acta Synodo Petricovienſi, *Syncretiſmum* piè inierunt 1578.

Smalcius verò Socini impietates ibi dissemi-navit 1580. *Edictum Nannetense* in Gallia ab *Henrico IV.* reformatis fuit indultum & in Conventu Regni confirmatum 1599. Academia Franequerana in Frisia fuit instituta 1585. nec non Parmensis in Italia 1599. Giessensi privilegia concessit *Ludovicus* Landgravius 1607. Jesuitæ docuerunt Romæ; *Non esse articulum fidei, Papam credere successorem Petri* 1604. *Carolus Borromæus* à Paulo V. fuit canonizatus 1610. *Johannis Marianæ* liber, de Rege & Regis institutione, sententiâ Parlamenti Parisiensis damnatus & publicè per carnificem fuit exustus; ob dogma: *Quòd quilibet, Regem hæreticum occidere jure possit.* Liber quoque Cardinalis *Bellarmini*, de Civili summi Pontificis potestate in temporalibus, ab eodem consilio damnatus; sed executio ad petitionem Nuntii Apostolici suspensa fuit 1610. Liber *Philippi Mornæi* seu *Historia Papatûs* à Sorbonna Parisiensi damnatus & improbatus 1611.

XLIII.

(8.) MATTHIAS I. Frater *Rudolphi*, electus & coronatus est *Francofordiæ* 1612. cùm jam Belgii Gubernator fuisset 1577. & ad Poloniæ Regnum aspirasset 1576. & iterùm 1587. †. 1619. Imper. 6. Mens. 3. Ætat. 62.

§. I.

§. 1. Sub eo tricennalis belli fundamenta jacta sunt, & Evangelici in Comitiis Ratisbonensibus graviter de abusu jurisdictionis Consilii Aulici; de exclusione Assessorum Evangelicorum in Camera Imperii; de sinistra interpretatione pacis religiosæ; de votis majoribus in causis religionis &c. conquesti sunt 1613. Pontificii similiter, acto Francofordiæ conventu, gravamina quædam Imperatori exhibuerunt contrà Evangelicos, quæ benigniùs ab Imperatore recepta, dissidium insigniter auxerunt.

§. 2. Aquisgranenses Evangelicos ab Imperatore proscriptos, *Albertus* Archidux per Marchionem *Spinolam* subegit 1614. qui quoque *Mulhemium* destruxit. *Brunsvicum* fuit obsessum 1615. *Ernestus* Comes Mansfeldius Bohemorum Dux belli, fuit proscriptus 1618.

In Bohemia.

Matthias Protestantes in Bohemia premere cœpit. *Ferdinando* agnato Bohemiæ Rege coronato 1617. sedem *Pragâ* transtulit *Viennam*; relicto vicario Regni Archiepiscopo Pragensi; cujus machinationibus, *literæ Majestaticæ*, à Rudolpho Imper. prudenter concessæ, Bohemis ademptæ; Ecclesiæ destructæ; Scholæ clausæ & conscientiæ pressæ sunt. Accensi indè Bohemi, tumultu post longas & inanes supplicationes facto, tres præcipuos Regni Viros, Baronem *Slavatam*, Baronem *Martinizium* & Secretarium *Fabricium*, de arce

Pragenſi per feneſtras præcipites dederunt, ſed illæſos 1618. & armata manu, ductu *Erneſti Mansfeldii*, in Auſtriam irruperunt, atque *Jeſuitas* Pragâ ejecerunt, conſtitutis 30. Senatoribus.

In Hungaria.

Hungari, in Comitiis 1613. actis, Germanos à dignitatibus & officiis excluſos voluerunt. Tandem utraque natio mixtim admiſſa. *Matthias* cum *Gabriele Bathorio* Tyranno Tranſylvaniæ debellavit, ſed irrito ſucceſſu. Regnum tandem conceſſit agnato ſuo *Ferdinando* 1618. In Tranſylvania, *Gabrieli Bathorio* capitis damnato, ſucceſſit *Bethlem Gabor*, qui regionem Turcis ſubmiſit ab Hungaria avulſam.

In Auſtria.

Imperator, conventu *Linzii* celebrato 1614. liberum religionis exercitium, Statibus, vi conceſſionis Maximiliani II. & capitulationis Rudolphi 1609. factæ, petentibus denegavit. Bellum, occaſione *Uſkokiorum*, cum Venetis geſtum à *Ferdinando*, pace finitum, mediante Rege Hiſpaniæ 1617. *Albertus* Archidux obiit 1621. improlis.

In Bavaria.

Bellum inter *Maximilianum* Ducem Bavariæ & *Wolfgangum Diedericum* Archiepiſcopum Salisburgenſem, ob commercium Salis & monaſterium *Berchtolsgaden*. Archiepiſcopus cum theſauro aufugit, ſed ex fuga recus actus & reſignare coactus eſt 1613.

In Saxonia.

Confraternitas cum Brandenburgicis & Haſſiacis renovata 1614. *Naumburgi.* Sed eam,ex parte Domus Brandenburgicæ,Cæſar confirmare renuit.

In Domo Brunſvicenſi.

Brunſvicum à Duce *Johanne Ulrico* obſeſſum 1615. auxilium accepit à Civitatibus Hanſeaticis. Tandem pace facta cautum; ut Civitas banno Imperiali ſoluta, Duci homagium præſtaret, reſervatis & confirmatis ſibi privilegiis & immunitatibus; pactis quoque conventis in vigore ſuo ſtantibus. Homagium proin præſtitum eſt more ſolito 1616. d. 6. Febr.

In Eccleſia.

Colloquium *Durlaci* habitum, ſed irrito ſucceſſu 1613. In Gallia. Decreta Concilii Tridentini, reclamante necquicquam Magiſtratu civili, introducta ſunt 1614. Edictum Nannetenſe confirmavit *Ludovicus XIII.* 1615. *Marcus Antonius de Dominis*,Archiepiſcopus Spalatenſis, papiſmum deſeruit 1616. *Paulus V.* Romæ jubilæum celebravit 1617. Idem in Saxonia factum. In Belgio. Synodus Dordracena contrà Arminii aſſeclas & dogma celebratum 1618. Lis de B. Virginis conceptione, à Rege Hiſpaniæ incudi reddita. Academia Grœningenſis ab Ordinibus Gröningæ & Omelandiæ fundata 1614. Paderbornenſis à Præſule *Theodoro Fürſtenbergio* 1616.

XLIV.

(9.) *FERDINANDUS II. Filius* Caroli *Archid. Styriæ &* Mariæ Bavaricæ. *Nat.* 1578. *Rex Bohemiæ* 1617. *Hungariæ* 1618. *Imperator electus* Francofordiæ 1619. *d.* 22. *Jul.* †. 1637. *Imper.* 18. *Mens.* 5. *Ætat.* 59.

§. 1. Inter Austriacos Principes in Germania fuit potentissimus. Belli feralis in Imperio fuit author. *Fridericum V. Palatinum* à Bohemis Regem contrà se electum, post pacem frustrà tentatam, in monte albo propè *Pragam*, acie superatum, tota Bohemiâ per *Maximilianum Bavarum* ejecit 1620. Moraviam *Bucquojus* subegit; Silesiam & Lusatiam Elector Saxoniæ, ac ita unio fuit dissoluta 1621.

§. 2. *Christianum* Brunsvicensem, *Georgium Fridericum* Badensem, *Ernestum* Mansfeldium, Palatini fœderatos profligavit. Marchionatum Badensem & Palatinatum per Tillium & Spinolam occupavit 1622. captaque *Heidelberga*, egregia illa Bibliotheca Romam fuit translata. *Fridericum* in comitiis Ratisbonensibus Electoratu privavit, illumque *Maximiliano Bavaro*, contradicentibus licèt Principibus Protestantibus, concessit. 1623.

§. 3.

§. 3. Evangelicos non folùm Bohemia, fed & Auftriâ ejecit 1624. Qua re excitati Principes Proteftantes in Germania, imprimis circulus Saxoniæ inferioris, acto Lüneburgi conventu, fœdus pro libertatis & religionis defenfione inierunt & *Chriftianum IV.* Daniæ Regem belli Ducem conftituerunt 1625. Sed eum *Tillius* vicit ad *Lutheram* & *Fridlandus* Mansfeldium ad *Deffaviam* 1626. Pax dein particularis *Lübeccæ* cum Dano conclufa eft 1629.

§. 4. Quibus omnibus ad votum Aulæ Imperialis fuccedentibus, prodiit *Edictum*, de reftituendis bonis Ecclefiafticis, poft transactionem Paffavienfem occupatis. Duces Megalopolitani profcripti & eorum terræ *Fridlando* conceffæ.

§. 5. Bello tunc inter *Guftavum Adolphum* Sueciæ & *Sigismundum III.* Poloniæ Reges flagrante, Imperator *Arnhemium* cum copiis auxilio fubmifit Polonis. Undè ille irritatus, & à Statibus Germaniæ oppreffis quotidiè interpellatus, accedente iis quoque Saxone, bellum *Ferdinando*, irridenti quidem, indixit, pactis priùs cum Polono induciis 1630.

§. 6. Indè Germaniæ gementi & extrema jam patienti, incredibili celeritate & felicitate fuccurrit. Pomeraniam, Brandenburgiam paucis menfibus fubegit.

§. 7. *Tillius*, Magdeburgum captum barbara inhumanitate diripuit & exuffit, cæfis

36000.

36000. incolis 1631. mox ad *Lipsiam* ingenti clade affectus, terga dedit; denuò profligatus ad *Lycum* amnem, ex vulnere accepto decessit *Ingolstadii*. Rex. Suecię Franconiam, Sueviam, Palatinatum & alias ad Rhenum ditiones, cæsis & pulsis Hispanis & Austriacis, occupavit. *Monachium* Bavariæ metropolim in deditionem accepit 1632.

§. 8. *Fridlandus* & *Pappenhemius*, in prœlio ad *Luzenam*, prostrati à Rege Sueciæ in eadem acie occumbente 1632. Capta dein *Ratisbona* & Suecis ad *Nerolingam* victis 1634. res Cæsaris parumper erigi iterùm cœperunt.

§. 9. Elector Saxoniæ & alii Germaniæ Principes, bello fatigati, pace *Pragæ* conclusa, cum Imperatore in gratiam redierunt 1635. Multi alii verò protestati sunt.

§. 10. *Ludovicus XIII.* Galliæ R. Suecis fœderatus, bellum *Ferdinando* indixit & Sueci Cæsarianos & Saxones ad *Withstockium* cæserunt 1636. Hos inter motus *Ferdinandus* obiit.

§. 11. Cæterùm Ordinationem Judicii Aulici renovavit 1626.

In Bohemia.

Bohemi, rejecto *Ferdinando*, quasi præcedens electio nulla esset, sed per metum & minas extorta; *Fridericum V. Palatinum* elegerunt. Iste coronam hanc, contrà consilium prudentium Principum illius temporis, suique Soceri *Jacobi* Angliæ R. ut placeret animo

animo uxoris elato, accepit improvidus 1619. Sed victus ad *montem album*, haud procùl *Praga*, à *Maximiliano Bavaro* & Cæsarianis, Bohemiâ fuit dejectus 1620. Bohemi itaque in deditionem accepti, Ecclesiis, privilegiis & bonis exuti; Evangelici ubique pulsi; Nobiles XXVII. quos inter Comes Slickius & Wenceslaus Baro Budovizius atque Johannes Jessenius Medicus & Orator capite truncati sunt 1621. d. 11. Jul. *Jesuitæ* reducti, Evangelicos ubique exterminarunt, ejus præcones, impetrato regio mandato, pepulerunt 1624. *Ferdinandus* dein filio suo *Ferdinando III.* Regnum concessit, coronato Pragæ 1627. d. 25. Nov. Saxo Suecis sociatus Pragam & Bohemiam subjugavit 1631. Silesiam quoque occupavit 1634. Pace verò Pragæ facta 1635. *Ferdinandus* Lusatiam *Johanni Georgio I.* Electori, pro impensis belli dedit.

In Hungaria.

Ferdinandus cum *Bethlemo Gabore*, *Mansfeldio* & *Friderico Palatino* debellavit variè. Ille enim occupato regno coronam sibi imposuit 1620. Cæsareos cæsit 1621. pace autem facta 1622. regno & regio titulo cessit; Transylvaniæ possessione & Principis Imperii axiomate contentus. Mox verò Turcis & Tartaris sociatus, arma Imperatori iterùm intulit, sed cladem ad *Neutram* accepit, undè pacem perpetuam iniit cum *Ferdinando III.* 1627. cui Pater regnum & coronam, non sine

ſine contradictione Hungarorum ceſſerat 1625. *Gabori* †. 1629. Turca ſubſtituit *Georgium Ragotskium*, qui Evangelicorum jura armis defendenda ſuſcepit. Induciæ cum Turcis ad XXV. annos prorogatæ 1629. Hungaris libertas religionis confirmata 1630. *Ragotskius* Turcas cæſit 1636.

In Auſtria.

Matthiæ †. 1619. ſucceſſit *Ferdinandus* agnatus Græzenſis, qui ſedem *Græziâ* transtulit *Viennam*. Auſtria à *Bethlemo Gabore* & Bohemis depopulata. Evangelici ſuprà Amaſum arma ſumpſerunt, ſed à *Tillio* coacti, ad officium armis poſitis redierunt 1620. Ruſtici ſuprà Amaſum denuò ob religionem preſſi, armis iterùm correptis, victo *Herbersdorfio* Linzam obſederunt, ſignis militaribus inſcribentes rythmum:

Weills gilt die Seel und auch das Blutt/
So gib uns/GOtt! ein Helden-Muht.

Sed mox variis in prœliis cæſi & profligati, ſub jugum priſtinum colla dederunt 1626. Hinc Evangelici Auſtria & Vienna ejecti.

In Palatinatu.

Fridericus V. Elector à Bohemis Rex electus & coronatus Pragæ 1619. fatalem ſenſit periodum. Namque cæſus 1620. & proſcriptus 1621. ditiones Electorales cum dignitate amiſit & hæc cum Palatinatu ſuperiore in *Maximilianum Bavarum* translata 1623. Inferior Palatinatus ab Hiſpanis ſub *Spinola* occupatus,

tus. Exul itaque & à Socero *Jacobo* Angliæ R. destitutus auxilio, obiit Moguntiæ 1632. *Philippus Ludovicus* Neoburgicus †. 1614. relictis duobus filiis.

1. *Wolfgango Wilhelmo*, Neoburgico, qui occasione jurgii in aula Brandenburgica Soceri futuri, concipiens odium, sacra Romana fuit amplexus, atque *Magdalenam Bavaricam* duxit; indèque fratres & subditos protestantes multùm vexavit. Facta cum Brandenburgico transactione Dusseldorpii 1624. ditiones Juliacenses ita fuerunt divisæ; ut Brandenburgicus habeat Ducatum Clivensem, Comitatum Marcanum & Ravenspergensem. Neoburgicus autem, Ducatus Juliacensem & Bergensem atque Comitatum Ravenstein. Londorp. Act. Publ. Lib. 6. C. 250. p. 815.

2. *Augusto Solisbacensi* †. 1632. relictis filiis *Christiano Augusto* & *Philiberto* Campi Mareschallo Cæsareo.

Johannes Bipontinus †. 1635. successorem habuit filium *Fridericum*.

In Bavaria.

Wilhelmo V. †. 1626. successit *Maximilianus* filius ex *Renata Lotharingica*. Hic auxiliator Imperatoris contrà *Fridericum Palatinum*, de Palatinatu superiore & Electorali dignitate fuit investitus 1623. Ligæ Catholicæ caput factus, *Heidelbergam* vi summa expugnavit; sed posteà Suecos Rege *Gustavo Adolpho* sensit graves.

In

In Saxonia.

Johannes Georgius I. Ferdinandum in bello Bohemico adjuvit. Postea verò Protestantium causam, junctus Suecis, contrà præpotentiam, Domus Austriacæ defendit. Undè Cæsariani ad *Lipsiam* acie cæsi 1631. & anno sequenti ad *Luzenam*. Saxonia & Misnia tamen graviter à *Fridlando* habitæ. Tandem refrigeratus Elector, pacem cum Cæsare Pragæ conclusit 1635. in qua Lusatiam, perpetuo jure, in satisfactionem impensarum bellicarum accepit. Sueci verò Saxoniam Duce *Bannierio* invaserunt 1636.

In Brandenburgia.

Johannes Sigismundus Elector, religionem reformatam introduxit †. 1619. successore filio *Georgio Wilhelmo*, qui Suecis Berolinum circum cludentibus *Spandaviam* in securitatem tradidit 1631. Societatem verò denegavit. Ejus ætate, Duces Pomeraniæ extincti sunt, in quam, vi pacti confraternitatis, succedere debuisset Elector, sed possessionem Sueci tenebant.

Johannes Georgius Dux Jägerndorfensis, bello Bohemico partes Palatinas secutus, bannum imperiale incurrit 1621. †. 1624. relicto filio *Ernesto*, qui improlis obiit 1642.

Johannes Ernestus Onoldinus, Unionis Evangelicæ fuit Dux 1610. Sed non admodùm felicitate usus †. 1625. Successore filio *Alberto*.

In

In Domo Brunsvicensi.

Augustus Dannebergicus, Princeps doctissimus, seculi decus & miraculum, primò sedit *Hitzgeræ*; sed mortuo 1636. fratre, Principatum Dannebergicum nactus, sedem transtulit *Guelpherbytham*. Undè linea sua nomen accepit, ibique egregiam Bibliothecam adornavit.

Christianus Cellensis, Principatum Grubenhagensem ex sententia Cæsarea sibi vindicavit †. 1633. succedente fratre *Augusto* Administratore Ratzeburgico, qui Principatum Calenbergicum ex hæreditate agnati Brunsvicensis *Friderici Ulrici* ultimi accepit 1634. †. 1636. Ei successit frater *Fridericus H r-burgicus*.

In Würtembergia.

Johanni Friderico †. 1628. *Stuttgardiæ* successit *Eberhardus III.* filius ex *Barbara Sophia Brandenburgica*. Post prœlium Nerolingense ditiones suas amisit 1634. Indè *Argentinæ* degens, partem terrarum recepit 1638. Ejus frater *Fridericus*, domicilium fixit *Neostadii* ad *Cocharum*. Locumtenens Generalis factus †. 1682.

Ludov. Fridericus Mömpelgardicus † 1631. Ei successit post fratrem *Leopoldum Fridericum* †. 1662. Filius *Georgius*.

Julius Fridericus Brenzanus †. 1635. relictis filiis *Sylvio Nimrode* qui Ducatum Oelsensem in Silesia ab uxore *Elisabetha Mün-*

ſterbergica accepit ; undè ramus nomen traxit , & *Manfredo* qui Waiblingenſem ramum condidit †. 1662. Ejus filius *Fridericus Ferdinandus* ramum terminavit 1705.

In Haſſia.

Mauritius Caſſellanus Comitatum Waldeccium occupavit , quòd Comes feudum ab Imperatore , quaſi immediatus accepiſſet 1621. litem de ſucceſſione Marpurgica contra Darmſtadienſem amiſit 1623. Jus primogenituræ introduxit 1627. †. 1632. relictis filiis.

1. *Wilhelmo* Caſſellano patris ſucceſſore. 2. *Friderico* qui *Eſchwegam* ad *Werram* tenuit. 3. *Erneſto* , qui *Reinfelſam* nactus eſt. Landgravius Suecis junctus Cæſareos pepulit. *Hanoviam* obſidio liberavit Duce *Melandro*. Undè Haſſia à Cæſareis Duce *Gözio* malè habita †. 1636. in obſidione *Stickhauſæ* 1637. Ejus vidua *Amalia Eliſabetha* Hanovienſis tutelam capeſſivit , Darmſtattano ſe opponente & Decretum banni Imper. producente ; undè tutrix apud Suecos fuit conqueſta.

Ludovicus Darmſtattanus Jus primogenituræ introduxit. *Ferdinando II.* Imp. adhærens, Marpurgenſem ſucceſſionem ab eodem contrà Caſſellanos obtinuit, quam Caſſellanus tranſigendo eidem tradidit, adjectis aliis quibusdam locis †. 1627. ſucceſſore *Georgio II.* filio ex *Magdalena Brandenburgica*, qui Auſtriacis itidem adhæſit, atque inveſtitus fuit de

de Comitatu Isenburgico, Comitibus ab Imperatore adempto; sed tamen transactione Ratisbonensi restituto 1642. reservata Hassiacis exspectativa. *Fridericus* frater *Ludovici* domicilium habuit *Homburgi* †. 1638. succedente filio *Friderico II.*

In Domo Badensi.

Wilhelmus Badensis, Marchionatum recepit per sententiam in Judicio Aulico latam 1622. atque ratione fructuum perceptorum cum agnato Durlacensi *Etlingæ* transegit 1629 *Georgius Fridericus* Durlacensis, Unioni Evangelicæ pro Friderico Palatino accedens, à *Tillio* ad *Wimphenam* acie superatus, à Cæsare proscriptus, extorris †. 1638. Successore filio *Friderico V.*

In Sabaudia.

Carolus Emanuel, bellum Gallis junctus contrà Hispanos gestum, pace *Ticini* inita finivit 1617. Mox cum Genuensibus inchoavit 1624. Cumque morte Ducis Mantuani, bellum oriretur inter Gallos & Cæsarem, huic adhærens, plerasque ditiones amisit †. 1630. successore *Victore Amadæo I.* filio è *Margaretha Francica*, qui, pace *Chierasci* mediante Papa per *Mazarinum* conclusa 1631. Gallis *Pignerolam* concessit, atque Trinense Territorium in Ducatu Montisferratensi obtinuit. Primus regium titulum ob Cyprum Insulam, coronamque clausam assumpsit, atque Gallis denuò junctus, Hispanos bello adortus est;

ſed prœlio ad *Montembaldum* ſuperior, mox obiit 1637. Eum excepit *Carolus Emanuel II.* filius è *Chriſtina* Francica.

In Lotharingia.

Henrico †. 1624. ſucceſſit nepos & gener *Carolus III.* Ejus frater *Nicolaus Franciſcus*, Præſul Tullenſis Cardinalis, relicto Clericatu 1634. matrimonium contraxit cum *Claudia* filia altera *Henrici* Ducis patrui ſui. Gallos *Carolus* ſenſit graves 1632. *Bernhardus* Dux Weymar. Burgundiam invadens Lotharingum cæſit 1637.

In Helvetia.

Bernates fœdus cum Rhætis inierunt 1602. & Tigurinis juncti cum Venetis 1615. nec non ſoli cum Duce Sabaudiæ 1617. in Civitate *Aſty*. Litem quoque cum Epiſcopo Baſilienſi habuerunt ob jura in valle S. Imberti atque Monaſterienſi. *Rhæti* quoque factionibus ſciſſi & diſcordes tumultuati ſunt; occaſione ſumpta ab armato tranſitu militum Venetorum contrà Hiſpanos. Judicium punitorium *Toſſanæ* inſtitutum contrà proditores patriæ, à quo *Johannes Baptiſta Sambre* damnatus & in 4. partes ſciſſus eſt. *Johannes* Epiſcopus Curienſ. exilio punitus & *Nicolaus Ruſca* Archipresbyter Sondrinus in tortura obiit. Undè Helvetii Catholici armarunt & conventus Badenæ celebratus 1618. Factio Hiſpanica, *Neutraliſtas* ad *Curiam* fugatos ſuperavit, exulesque revocavit, mox tamen à *Neu-*

à *Neutralistis* viribus auctis denuò expulsos 1619. Hispani Duce *Feria* à Grisonibus pontificiis instigati & implorati, *Vallem Tellinam* invadentes, atque prædictis incolis juncti, lanienam cruentam & inhumanam fecerunt, prætextu falsarum criminationum 1620. Undè bellum. Veneti & Helvetii Reformati, miserè oppressis succurrunt; sed à *Pimentello* cæsi & fugati sunt, atque religio Romana ubique stabilita. Indè auxilium à Gallis petitum, & Madritii intercessu oratoris Gallici *Bassompierre* compositio & amnestia facta, atque religio Romana ad annum 1617. restituta, abolitis innovationibus 1621. Sed isthæc pax incolis pontificiis displicuit, horumque imploratione ipsis tandem Hispanis. Undè Rhæti à Gallis adjuti Hispanos in Comitatu Bormiensi invaserunt, *Vallem Tellinam* recuperaturi. *Leopoldus* Archidux *fœdus judiciorum* occupavit; hac re territa reliqua duo fœdera, missis *Mediolanum* Deputatis, pacem iniquam inire atque Hispanorum arbitrio fuerunt coacti. Unde tertium fœdus, in hac transactione neglectum & Servitutis Austriacæ impatiens, arma corripuit atq; auxilia & subsidia ab Helvetiis reformatis & Venetis accepit; sed victi & sub pristinum jugum redacti, auxilium Regis Galliæ cum Helvetiis denuò implorarunt, quod & Sabaudus promisit. Papa *Vallis Tellinæ* sequester factus. Undè Grisones à fœderatis excitati, liberta-

tem suam vindicaturi, pulsis *Austriaco-Hispanis* Vallem Tellinam armis occuparunt 1624. Papa vindicaturus, arma ipsis intulit, & tandem pace inter Gallos & Hispanos facta, vallem recuperavit 1627. invitis Rhætis & Helvetiis reformatis. Itaque à Gallis inani spe suspensi, iterum ad Hispanos transierunt Rhæti, & Galli Vallem Tellinam derelinquere fuerunt coacti, quæ tandem Rhætis iterùm paruit. Dissidium inter Tigurinos & Quinque pagos pontificios, ob res matrimoniales & religionem concernentes in Thuregovia & Rheguscis ortum, transactione finitum 1632. qua, incolis reformatis prædictorum locorum, liberum religionis exercitium permissum & confirmatum fuit, resque matrimoniales ad Consistorium Tigurinum amandatæ. Acerba quoque controversia inter Civitates *Bernam* & *Solodurum* exorta, quæ tantùm non in bellum erupit. Bernatum quippè præsidiarii *Mülhusiam* destinati, ad *Claustra* propè *Balstal* à Solodurensium Præfectis ex insidiis oppressi, spoliati, sauciati atque miserè occisi. Ob quod infame factum Bernates irâ incensi, amicitiam atque commercium cum Solodurensibus ruperunt, cumque condignam satisfactionem atque reparationem damni & injuriæ Solodurenses facere recusarent, Bernates in Comitiis mense Januario 1633. celebratis, redditis fœderis tabulis, bellum Solodurensibus eventualiter indix-

indixerunt. Interpositione verò Regis Galliæ & reliquorum locorum, asperi utriusque Civitatis animi tandem reconciliati, atque sontes capite, exilio, confiscatione puniti snnt. Protectio Civitatum Sylvestrium Austriacarum, à Comite Fürstenbergio Cæsaris Oratore, postulata, fuit declinata. Comes Hornius Suecici exercitus Dux *Constantiam* obsedit, qua re conturbati Uranienses, Suitenses, Silvani & Tugienses in Thurgojam armata manu descenderunt, atque ad *Wilam* consederunt, ibique *Kilianum Kesselring* Tigurinum Civem, *Steinæ* Præfectum, in vincula conjecerunt, proditionis sed falsò accusatum. Undè Tigurini injuriam hanc conquesti, ad arma clamarunt similiter, quatuor pagis autem accessit Lucerna. Aspera indè contentio, quæ tamen, operâ & prudentiâ reliquorum Sociorum, fuit sopita, in Conventu Frauenfeldensi 1633. Hispani Duce Feria Scaphusianum territorium transgressi, Civitates Silvestres recuperarunt; indeque per agrum Basiliensem in Alsatiam sunt profecti. Fœdus inter Hispanos & Helvetios Pontificios renovatum *Lucernæ* 1634. d. 10. Mart. Varia gravamina Evangelicorum & imprimis Toggiorum, contrà *Pium* Abbatem S. Gallensem increverunt, utpotè libertatem & privilegia, fœdere provinciali aliisque legibus & Instrumentis fundamentalibus contenta, violari conquerentium. Undè Tigurini sollici-

tati, legatione ad Abbatem frustrà missa, ejusdem reditus in Dynastia *Stammheim* pignorarunt. Quinque pagi pontificii verò Abbatis partes sunt tuiti. Res tandem & pax interpositione Bernatium fuit conglutinata. Regi Galliæ quatuor legiones auxiliatrices 12000. armat. submissæ 1635. mense Augusto.

In Ecclesia.

Evangelici in Germania, Bohemia, Hungaria & Gallia satis malè habiti & ubique pulsi sunt. In Belgio tamen, America & India Orientali, navigationum occasione, incrementa non contemnenda acceperunt. In Gallia quoque libertas Religionis tandem illis reddita & Edictum Nannetense denuò confirmatum 1628. Romæ. *Paulus V.* decimas duplicatas, ad continuandum bellum Bohemicum, Clero Italo imperavit. Ei †. 1621. successit *Gregorius XV.* qui canonizavit *Ignatium Lojolam, Franciscum Xavierium, Philippum de Neri, Isidorum* ruricolam & *Theresiam* fundatricem Carmelitarum discalceatarum. Eum †. 1623. excepit *Urbanus VIII.* qui Marcum Antonium de Dominis (quem Gregorius Papa ex Anglia Romam revocarat) in carcerem detrusum necavit, ejus cadaver cum libris exustum & cineres in Tiberim dispersi sunt 1624. Montem pietatis Romæ instituit. Dogma, de immaculata conceptione B. Virginis, decreto Gregorii in favorem Hispanorum fuit confirmatum 1622.

Colle-

Collegium de propaganda fide fundatum. Cardinalibus *Eminentiæ* titulus primùm tributus 1630. *Cyrillus* Patriarcha Cpolitanus confessionem fidei Ecclesiarum Orientalium in Britannia publicavit, undè à Jesuitis vexatus est 1628. *Urbanus* Jubilæum celebravit 1625. cupreum tectum à Pantheo sustulit; undè scomma *Pasquini. Quod non fecerunt* Barbari, *fecerunt* Barbarini. Ducatum Urbinatensem morte D. *Francisci Mariæ* vacuum, Statui Ecclesiastico incorporavit 1632. Academia Rintelana in Comitatu Schaumburgico fundata à Comite *Ernesto* 1621. Item Ultrajectina à fœderatis Belgii Ordinibus 1634.

XLV.

(10.) FERDINANDUS III. Filius Ferdinandi II. ex Maria Anna Bavarica. Nat. 1608. coronatus Rex Hungariæ 1625. d. 8. Decembr. Bohemiæ 1627. d. 25. Novemb. Rex Romanorum Ratisbonæ electus 1636. d. 12. Decembr. coronatus d. 20. Dec. Imper. 1637. †. 1657. Imp. 20. Mens. 1. d. 17. Ætat. 49.

§. 1. Bellum cum Suecis & Gallis vario marte continuavit, & ab initio haud improsperè *Gallassio* & *Hatzfeldio* Ducibus. Ille in

Pomerania progressus fecit. Iste Palatinos Principes in Westphalia profligavit 1638.

§. 2. *Bernhardus* Dux Vinariensis, pulso *Gallassio*, cepit *Brisacum* Ann. eod. Eoque mortuo medias inter lauros, oppidum istud cum exercitu Gallis cessit.

§. 3. *Bannierius* Saxoniam, Misniam & indè Bohemiam invasit 1639. Comitiis dein Ratisbonæ actis, *Amnestia* decreta est 1640. quæ, cùm *Bannierius* interrumpere vellet, cladem accepit & mox *Halberstadii* fatis cessit 1641.

§. 4. Indè ad *Guelpherbytam* manus consertæ. *Hohentwiela* frustrà obsessa. *Lambojus* à Vinariensibus & Hassis cæsus. Victoriâ dein ad *Lipsiam* obtenta, *Torstensohnius* in ditiones Austriacas irruit. *Lübeccæ* verò & *Hamburgi* pacis negotia suscepta fuerunt 1642.

§. 5. Gallo-Vinarienses, à Bavaris ad *Duttlingam*, nec opinato prœlio oppressi sunt 1643. *Uberlinga* capta & illi ad *Mergenthemiam* denuò profligati 1644.

§. 6. *Gallassius* ex Holsatia in Bohemiam rejectus, ad *Jancoviam* seu *Tabor* infeliciter conflixit; Suecorum progressum *Brinna* inhibuit 1645.

§. 7. *Gustavus Vrangelius*, successor *Torstensohnii*, bellum variè continuavit, pactis cum Bavariæ Electore induciis, in Bohemiam irrupit. *Egram* ad deditionem compulit 1647.

§. 8. Post eum exercitui Suecico præfuit *Carolus*

Carolus Gustavus Com. Pal. Rhen. *Pragam* obsedit *Königsmarckius*, & capta jam arce & altera urbis parte, pacem jam diu tractatam cum Suecis & Gallis *Monasterii* & *Osnabrugæ* Imperator & Imperium conclusit 1648. Illis Pomerania & Verdensis atque Bremensis Episcopatus cum *Wismaria* dati. His verò Alsatiæ Præfectura, Sundgoja & Brisacum concessa. *Carolo Ludovico* autem filio *Friderici V.* Palatini, inferior Palatinatus fuit restitutus, isque octavus Elector factus, accepta dignitate *Archithesaurarii* & exspectatione in Palatinatum Superiorem, deficiente linea Wilhelmina seu Bavarica.

§. 9. Ita cruentissimum & pertinacissimum 30. annorum bellum, diu desiderata pace tandem fuit terminatum. Hinc Imperator filium suum *Ferdinandum IV.* Regem Romanorum creari fecit 1653. qui autem ad cœlestia emigravit 1654. quo comitia Imperii habita sunt.

§. 10. Bello dein Polonico adversùs Suecos, implicitus Imperator immortuus est.

In Bohemia.

Ferdinandus III. coronam imposuit filio suo *Ferdinando IV.* 1646. Praga à Suecis capta 1648. & post pacem ab Imperatore munita. Illi †. 1654. successit frater *Leopoldus* 1656. d. 14. Sept.

In Hungaria.

Ferdinandus III. actis *Posonii* comitiis, ob

religio-

religionem in Hungaria exules regno ejicere voluit, sed irrito conatu 1637. Inducias cum *Ibrahimo* Turca prorogavit 1642. *Ragotzkius* Transsilvaniæ Princeps Hungariam adortus, *Caschaviam* in deditionem accepit 1644. mox tamen iterùm repressus & pax reducta fuit. Indè coronam à Patre acceptam imposuit *Ferdinandus IV.* 1647. quam tamen cum vita iterùm deposuit 1654. successore fratre *Leopoldo I.* 1655. *Presburgi* coronato.

In Austria.

Ferdinando II. †. 1637. successit *Ferdinandus III.* filius è *Maria Bavarica*, qui, amissa & Gallis cessa Alsatia, Brisaco, Sundgoja &c. bellum cum Sueco-Gallis in pacem commutavit 1648.

In Palatinatu.

Friderico V. †. 1632. successit *Carolus Ludovicus* filius ex *Elisabetha Anglica*; Hic tandem, per pacem Monasteriensem, octavus Elector factus est, & maximam ditionum partem recepit 1648. Transactione dein 1651. cum Electore Bavariæ inita, novum munus *Archithesaurarii* ipsi tributum, cui incumbit, in coronatione Imperatoris, missilia in populum spargere. Orto dein post Cæsaris obitum interregno, litem de *Vicariatu Imperii* habuit cum Electore Bavariæ; sed à Bavaro fuit præventus.

Vid. Theatr. Europ. Tom. VIII.

Wolfgango Wilhelmo Neoburgico †. 1653. successit *Philippus Wilhelmus* filius e *Magdalena Bavarica*.

Chri-

Christianus Augustus Solisbacensis religionem Romanam assumpsit 1656.

Johañes Casimirus Kleeburgicus †. 1654. successorem habuit *Carolum Gustavum* filium ex *Catharina Suecica*; qui Rex Sueciæ evasit 1649. atq; *Christina* Regina renunciante & abdicante sceptrum, *Upsaliæ* fuit coronatus 1654.

Christianus Bischweileranus †. 1654. relicto filio *Christiano II.* successore.

In Bavaria.

Maximilianus I. acie victus ad *Allersbemium*, Gallo-Suecos graves sensit 1644. & iterùm 1647. quo inducias paulò antè initas, fregit. Landgraviatum *Leuchtenberg*, post obitum fratris *Alberti* obtinuit †. 1651. successorem habuit *Ferdinandum Mariam* filium ex *Maria Anna Austriaca.*

In Saxonia.

Johannes Georgius I. Comitatum Mansfeldicum in pace Westphalica obtinuit 1648. & Exspectativam à *Ferdinando III.* in Comitatum Hanoviensem 1638. Moriens 1656. ditiones Testamento divisit. In Electoratu successit *Johannes Georgius II.* filius. Episcopatum Merseburgicum dedit filio *Christiano.* Spreng. Luc. St. Imper. pag. 33.

In Brandenburgia.

Georgium Wilhelmum excepit, *Fridericus Wilhelmus* filius ex *Elisabetha Carola Palatina* 1640. qui terras egregiè auxit. Quippè per pacem Westphalicam *Pomeraniam ulteriorem Magdeburgum*, *Halberstadium*, *Mindenam* & *Caminum* accepit 1648. Controversiam quo-

que de succeſſione Juliacenſi, cum Wolfgango Wilhelmo Palatino, transactione terminavit. Cum Suecis & Polonis debellans, poſt obtentam egregiam victoriam in *pace Velavica* Art. 5. 1657. Boruſſiam Ducalem feudali nexu liberatam, pleno Dominio obtinuit & homagium, præſentibus Legatis Polonicis, à ſubditis recepit. Conventum tamen eſt, ut, extincta linea Electorali & ſuccedente Franconica, feudale vinculum rediret.

Londor. Act. Pub. T. 8. l. 8. Cap. 101.

Chriſtianus Culmbacenſis †. 1655. ſucceſſore *Chriſtiano Erneſto* nepote ex filio *Erdmanno Auguſto* †. 1651. qui *Berythi* ſedem fixit, & *Georgio Alberto* filio, qui *Culmbaci* domicilium ſumpſit.

In Domo Brunſvicenſi.

Fridericus Cellenſis †. 1648. ſucceſſionem reliquit nepotibus ex fratre *Georgio* †. 1641. quos inter *Chriſtianus Ludovicus*, terras Luneburgicas & Grubenhagicas obtinuit. *Georgius Wilhelmus*, Cellenſes & *Erneſtus Auguſtus*, Hanoveram. In pace Weſtphalica adepti ſunt Monaſterium *Walckenried* & alternationem in Epiſcopatu Oſnabrugenſi.

In Würtembergia.

Eberhardus Dux per pacem Weſtphalicam fuit reſtitutus 1648.

In Haſſia.

Wilhelmum Caſſellanum †. 1637. excepit filius *Wilhelmus VI.* qui cæſis aliquoties Cæſarianis, & capta arce Marpurgica, per

interpositionem *Ernesti* Ducis Saxoniæ, Comitatum Cattimœlibocensem inferiorem recepit cum *Marpurgo*; solutis lineæ Darmstadiensi 60000. flor. 1647. Abbatiam quoque Hirschfeldensem, cum omnibus appertinentiis, in pace Westphalica obtinuit 1648. cum 600000. joachim & 4. Præfecturis Schauenburgicis.

Ernestus Reinfelsensis victus ad *Geiseck* & captus 1648. religionem Romanam fuit amplexus 1652.

In Domo Badensi.

Wilhelmus Badensis, Præfecturas *Stein* & *Renchingen*, agnato Durlacensi restituere, per pacem Westphalicam fuitcoactus, & posteà Judex Cameræ Imperialis evasit †. 1677.

Fridericus V. Durlacensis ditiones omnes, quas antè bellum Bohemicum possederat, in pace Monasteriensi recuperavit. Acquisivit sibi quoque jus in Dynastiam Geroldseccensem, nec non in *Mahlbergam* & *Labram*. Sed posterioris nomine, longa lis cum Comitibus Nassovio - Saarbruckensibus fuit exorta †. 1659. successore *Friderico VI.* filio è *Barbara Würtembergica.*

In Lotharingia.

Carolus Duci Aurelianensi adhærens, ditionibus suis à Rege Galliæ fuit exutus 1633. Hinc terras reliquit fratri *Nicolao Francisco* qui captus à Gallis cum uxore, feliciter iterùm est elapsus 1638. Mox Carolus cum Galliæ R. pa-

R. paciſcens fuit reſtitutus 1640. aſt terras velox iterùm omiſit, inſidias metuens. Captus dein ab Hiſpanis 1654. Toleti ſedit usque ad pacem Pyrenaïcam.

In Sabaudia.

Carolus Emanuel II. turbulentum habuit initium, ſub tutela matris adoleſcens. Hæc Gallis nimiùm adhæſit, adeoque Hiſpano-Auſtriacos ſenſit hoſtes, qui Pedemontium armis ſunt populati, Duce Principe Thoma & Cardinale Sabaudiæ; Mox tamen Tutrici reconciliati & Gallis juncti, Hiſpanos iterùm ubique pepulére atque Ducatum Mediolanenſem fuere adorti. Tandem pace Pyrenaica bellum fuit finitum 1659. & Duci omnia reſtituta.

In Helvetia.

Bernates cum Valeſiis fœdus renovarunt 1643. d. 22. Aug. *Bernæ.* Helvetiorum libertas & independentia in pace Weſtphalica confirmata, illique ab Imperio omnimodo exempti, conceſſo exemptionis diplomate 1648. Ruſticorum ſeditione tota fere Helvetia conquaſſata 1653. initio in pago Lucernenſi facto. Illa tamen feliciter ſuppreſſa ſontes pœnas debitas luerunt. Civitates Pontificiæ cum Duce Sabaudiæ fœdus concluſerunt 1651. Nec non cum Epiſcopo Baſilienſi 1655. Bellum quoque Civile ortum inter Tigurinos & Bernates, contrà quinquepagos, quo Bernates nec opinato prœlio ad

ad *Vilmergam* oppressi, terga dederunt, & Tigurini, *Ratpoldi Villam* ad lacum, frustrà obsederunt. Mox pax amicitiam reduxit 1656.

In Ecclesia.

Socinianorum hæresis, in Poloniæ publicis comitiis damnata, iisque templum, Schola & Typographia, quam *Rakoviæ* habuerant, adempta 1638. & paullò pòst colloquium Thoruniense habitum 1645. In Anglia *Puritanorum* nomen innotescere cœpit, quibus oppositi sunt *Hierarchitæ*. Romæ *Urbano VIII.* successit, post longam Conclavis disputationem, *Innocentius X.* 1644. qui *Barbarinos* fuit persecutus ad Regem Galliæ refugientes, cujus auxilio & favore in gratiam fuerunt recepti 1646. Contrà pacem Monasteriensem, sed frustrà, protestatus est. Jubilæum celebravit 1650. †. 1654. Successore *Alexandro VII.* 1655. Academia Harderwicensis fundata, ab Ordinibus Ducatus Gueldriæ 1648. Numum eam ob rem cusum exhibet Bisottus. Nec non Duisburgensis à *Friderico Wilhelmo* Electore Brandenburgico 1655. Hist. Met. T. 2. p. 210.

XLVI.

(11.) LEOPOLDUS I. Magnus, Filius ex *Maria Anna* Hispanica Nat. 1640. creatus Rex Hungariæ 1655. Bohemiæ 1656. Electus & coronatus Imperator Roma-

Bb norum

norum 1658. †. 1705. d. 5. Maji Imp. 47. Ætat. 65.

§. 1. Princeps fuit pius, justus, mitis & felix. Gallos & Turcas perpetuos ferè habuit hostes.

§. 2. Fœdus cum *Friderico III.* Daniæ R. *Johanne Casimiro* Polono & *Friderico Wilhelmo* Brandenburgico percussit contrà Suecos 1659. hosque in Dania & Pomerania aggressus est; sed mox bellum, pace Olivensi, fuit compositum 1660.

§. 3. Indè, bello Turcico implicitus & istud post prælium ad S. Gotthardum, induciis vicennalibus distulit 1664.

§. 4. *Christophorus Bernhardus* Episcopus Monasteriensis, Civitatem Monasteriensem subegit 1661.

§. 5. Comitia Ratisbonensia cœpta 1662. quæ adhuc hodiè durant. In his, lis de perpetua Capitulatione, inter Electorale & Principum Collegium, valdè & diù agitata, sed non decisa.

§. 6. *Ersurdia* motibus intestinis perturbata & à Cæsare, ob fecialem interfectum, proscripta, à *Johanne Philippo* Electore Moguntino occupatur, promissa Evangelicis religionis libertate 1664. & 65.

§. 7. Veneno appetitus Imperator, periculosissimè decubuit 1670. & conjuratio in Hungaria detecta; quapropter Comites *Tettenbach*, *Serini*, *Frangipani* & *Nadasti* capitis damna-

damnati; *Ragotskio* autem vitæ gratia fuit facta 1671.

§. 8. Indè, cùm *Ludovicus XIV.* Gall. Rex Belgium bello oppримeret; Imperator Hispanis & Belgis fœderatus, rem cum Gallis habuit. Cæsariani haud prosperè ad *Sintshemium* pugnarunt 1674. Prœlio dein ad *Renchenloch* & *Sasbach*, per duodecim dies continuos, commisso, Galli malè habiti fuerunt, & occubuit Mareschallus *Turanius* inter speculandum. *Crequius* ad *Treviros* profligatus & captus est 1675. *Philippiburgum* quoque Gallis iterùm ereptum 1676.

§. 9. Galli verò in Alsatia & Palatinatu populati sunt. *Crequius* libertati redditus *Friburgum* cepit 1679. postquàm *Rhenifelda* frustrà fuisset obsessa 1678.

§. 10. Tandem, *pace Neomagensi*, bellum fuit finitum 1679. *Friburgum*, Brisgoja cum Alsatia Gallis relicta; quibus Hispanus Burgundiam addidit.

§. 11. Hinc Galliæ Rex, instituta reunionis Camera, *Argentoratum* media in pace cepit 1681. atque *Huningam* propè Basileam communivit. Novæ indè turbæ in Imperio & in Comitiis Ratisbonensibus querelæ interpositæ 1682. Ingruente verò bello Turcico 1683. *induciæ vicennales* cum Gallis pactæ 1684. resque in statu quo relictæ.

§. 12. Decedente dein *Carolo* Electore Palatino lineæ ultimo 1686. & succedente

Philippo Wilhelmo Neoburgico, agnato proximo, Galliæ R. nomine fratris sui *Philippi* Aurelianensis, Sororii *Caroli* defuncti, novas prætensiones formavit & in Palatinatum hostiliter irruit.

§. 13. *Philippiburgum* per Delphinum *Ludovicum* cepit 1688. Totum Palatinatum subegit. *Moguntiam* in deditionem accepit. Coloniensem Electoratum, in favorem *Francisci Egonis Cardinalis Fürstenbergii* (cui cum *Clemente* Bavariæ D. Archiepiscopo electo, iste à Papa *Innocentio XI.* prælatus fuerat) occupavit, ubique contributiones exegit. *Spiram*, *Wormatiam*, *Manhemium* cum multis aliis locis diripuit, diruit 1689.

§. 14. Interim Cæsariani, interruptis in Turcas victoriis, ex Hungaria reversi, *Moguntiam* receperunt 1689. *Rhenibergam*, *Keiserswerth* & *Bonnam* expugnarunt 1690.

§. 15. Galli verò obsidio Heidelbergæ frustrà tentato, *Cochemium* in Treviris summa vi expugnatum destruxerunt; Sed ab obsidione *Rhenifelsæ*, re infecta, discedere fuerunt coacti 1692. *Heidelbergam* proditione Præfecti *Heydersdorfii* captam, solo æquarunt A. 1693. 94.

§. 16. Tractum posthæc bellum, tandem *pace Riswicensi* fuit terminatum 1698. & Rhenus terminus positus inter Franciam & Germaniam, quicquid in ulteriori ejus ripa positum erat, destructum & Imperio restitutum.

§. 17.

§. 17 Mortuo dein *Carolo II.* Hiſpan. R. qui teſtamento publicato, Regni hæredem ſcripſerat *Philippum Andegavenſem*, filium Delphini ſecundò genitum, cui fratrem natu minimum, huicque Sabaudicam & iſti Auſtriacam Domum ſubſtituerat, novum bellum, cum Gallis & Hiſpanis, *Philippo* parentibus, exortum 1700. Auſtriacis teſtamentum prædictum, vel falſum, vel invalidum contraque pacta & leges Regni factum aſſerentibus.

§. 18. Armorum initium factum in Longobardia, (ubi Galli *Mantuam* venditione Ducis acceptam occuparunt) quò Princeps Sabaudiæ *Eugenius* cum exercitu miſſus, *Mediolanum* Imperio, ut feudum apertum, vindicaturus 1701. qui fortiſſima manu irruit, Galloſque ubique depulſos variis cædibus affecit, atque Mareſchallum *Villeroy*, media è *Cremona*, nocturno impetu oppreſſa, cæſis & conturbatis præſidiariis, captivum abduxit 1702.

§. 19. Eodem anno, fœderi acceſſerunt Angli & Batavi, mox quoque Luſitanus & Sabaudus. *Joſephus* Rex Romanorum *Landaviam* in Alſatia cepit 1702. Sed Cæſarianis ad *Fridlingam* propè *Baſileam*, poſt pertinax prœlium, numero magis cedentibus, quàm victis, d. 15. Sept. res ceſſim ivere. Quippè *Maximilianus Emanuel* Elector Bavariæ, ejuſque frater *Joſephus Clemens* Elector Colonienſis, partes Gallorum amplexi ſunt.

§. 20. Iſte quidem ſtatim à Batavis oppreſſus & expugnata *Bonna* terris ejectus fuit 1703. Ille verò *Ulmam* ſtratagemate occupavit, cui *Memmingam* mox junxit, adeoque Sueviam ad ſe rapuit 1702.

§. 21. Galli Bavaris juncti, mox Comitatum Tyrolenſem adorti, *Kuffſtein*, *Hallam*, *Oenipontem* expugnarunt; Sed ad *Finſtermünzam*, à Tyrolenſibus, ductu *Chriſtiani Knippels* ingenti ſtrage repulſi ſunt. Indè in Sueviam reverſi, ſuperiores egerunt. Ab altera parte Dux *Vandomius*, ex Mediolano Tridentum usque progreſſus eſt, illis ſeſe juncturus, at voto carens receſſit 1703.

§. 22. Marchio *Uſſonius*, Comitem *de Stirumb*, prœlio vicit ad *Hochſtettam*, Menſe Jul. *Biberacum*, *Campiodunum*, *Auguſta vindelicorum* capta, ſpectantibus Germanis. Ad Rhenum, Galli fortalitium *Kehl*, medias inter nives expugnarunt, bachanaliorum tempore. *Ludovicus* Burgundiæ Dux *Briſacum*, poſt obſidionem XIV. dierum, deditione Præfecti *Ducis ab Arco* cepit. (quem Cæſar *Brigantiæ* capite truncari fecit) Indè Landaviam repetentes, poſt maſculam defenſionem *Comitis Friſiani*, profligato priùs ad Spiræ rivum, ingenti prœlio, exercitu Germano, è Belgio Ducibus *Friderico* Principe hæreditario Haſſo-Caſſellano & Comite Naſſovio-Weilburgenſi, auxilio veniente d. 18. Octobr. 1703. pactis conditionibus in deditionem accipiunt.

§. 23.

§. 23. *Wiennæ* in Auſtria, Archidux Carolus, Rex Hiſpaniarum proclamatus, correpto itinere, in Belgium proficiſcitur; mox Angliam petens, indè cum claſſe Anglica & Batavica XIIM. armat. inſtructa, in Luſitaniam vela dedit, & poſt longam tempeſtatum moram, tandem *Ulyſſibonæ* feliciter appulit 1704.

§. 24. Dubiæ, his Bavaro-Gallorum progreſſibus, erant res in Imperio & inclinata ferè Germanorum an virtus, an miles; ita cuncta videbantur ex pacto cum hoſte geri, nec ullus ullibi qui repugnaret. Sed ecce! ſubitò ſcena, theatro velut converſo, fuit mutata. Miles quippè Anglus & Batavus, Duce *Marlbouroug*, Germanis Duce *Eugenio* Sabaudo junctus, in Sueviamque aſcendens, Gallos & Bavaros, in monte *Schellenberg*, propè *Donawertham* munitos, vi ſumma dejecit & profligavit cæſis XM. multis quoque in Danubium actis, ſimulque *Donawertham* occupavit d. 5. Jul. 1704.

§. 25. Ponte ſine mora cum exercitu trajecto, Bavariam intrans, vaſtat, cædit, urit. Electorem Bavariæ, copiis Gallicis, Duce *Tallardo* & dein *Marcino*, Franciæ Mareſchallis auctum, & relicta *Auguſta Vindelicia* Würtembergiam petentem, cruentiſſima ad *Hochſtettam* acie d. 14. Aug. obtrivit, cæſis & captis ultrà XXXM. inter poſteriores ipſe Mareſchallus *Tallardus* numeratus.

§. 26. Hoſtis itaque Germania ejectus &

Argentoratum dilapsus est. Germano-Angli verò, Rheno trajecto, insecuti, Alsatiam inferiorem invaserunt. *Ulma* recuperata d. 13. Sept. omnes reliquæ Civitates Sueviæ liberatæ, & *Landavia* Gallis iterùm erepta.

§. 27. In Italia *Starrenbergius*, cum XVII. M. armat. suppetias Sabaudorum Duci in Pedemontium duxit, repulsis qui terga invaserant Gallis. Princeps *Vaudemontius* & *Trauttmansdorfius* Comes, in Mantuano & Ferrariensi agro relicti, at hosti impares, relictis *Concordia* & *Reuere*, se *Ostiliam* receperunt; urgente Pontifice, ut Ferrariense & Germani & Galli relinquerent. Morem illi gesserunt utrique; at Germanis vix egressis, Galli, faventibus Papæ Præfectis, eòdem sunt reversi. Illi itaque subsistendi mediis exclusi, firmata præsidiariis *Mirandula*, cæteris locis omnibus relictis, Italia excedere, & in Tyrolim se recipere fuerunt coacti 1704. *Mens. Jun.* Aucti verò copiis & recuperatis viribus, ductu Comitis *Leiningensis*, agrum Mantuanum denuò fuerunt ingressi. *Mens. Sept.*

§. 28. In Bavaria, incolæ novas turbas dederunt, & Duce *Weigelio* Germanos *Ingolstadiâ* rejecerunt. Sed mox cæsi & repressi pœnas dederunt. Civitas *Donawertha* pristinæ immedietati restituta.

§. 29. Comitatus Mindelhemensis in Suevia, Bavaro ademptus, Principatus axiomate à Cæsare fuit condecoratus, & Duci *Marl-*

bourugh

borugh præmii loco, cum titulo & juribus *Principis Imperii* concessus 1705. Quo ipso anno, Imperator placidè obiit. Corpus Statuum Evangelicorum, Conclusum fecit Ratisbonæ 1699. d. 27. *Sept.* Kalendarium reformare atque XI. dies rescindere. Festum Paschatis, neque juxtà cyclum Julianum, nec Gregorianum, sed juxtà calculum Astronomicum definire, qui certior est & melior. Primus, qui hac in re laboravit & Status literis admonuit, fuit *Erhardus Weigelius*, Mathematicus & Professor Jenensis. Sed antè hoc conclusum diem obiit. Hoc Kalendarium reformatum & Helvetii acceptarunt, exceptis Abbatiscellanis, S. Gallensibus & Rhætis.

In Bohemia.

In Bohemia cuncta fuerunt quieta & *Leopoldo* successit filius *Josephus I.* 1705. Sed coronam nunquàm sumpsit.

In Hungaria.

Leopoldus statim hostem habuit Turcam, occasione *Georgii Ragotskii*, in Imperatoris clientelam sese conjicientis 1658. & *Bascham Budensem* atque *Temeswariensem* ad *Arathum* fugantis, mox tamen in Transylvania victi & ex vulnere accepto, *Waradini* decedentis. Indè Turcæ *Waradinum* ceperunt 1660. Transylvani Principem sibi fecerunt *Kemini Janos*, cui Turcæ opposuerunt *Michaëlem Abaffi*, illumque ad Clausenburgum magna clade affecerunt, moxque duplicata ipsum

cæserunt 1661. *Neuheuſelium* expugnarunt. 1663. cui *Neutra* & *Novigradum* addita. *Nicolaus Serini* pontem Eſſeccenſem exuſſit *Quinqueccleſiam* ſumma vi expugnavit. *Caniſcha* fruſtrà obſeſſa. Comes *Souchez*, *Neutram* à Turcis recepit, iis ad *Levenzam* cæſis; quam pugnam, magna eorundem clades, ad fanum S. *Gotthardi* eſt ſecuta 1664. Novus indè conflictus intrà *Vitram* & *Levenzam*, ex quo pari marte fuit diſceſſum. Mox induciæ Vicennales initæ, relicto Turcis *Neuheuſelio*. Ann. Eod. Exin, turbis inteſtinis conquaſſata fuit Hungaria, *Serinio*, *Tettenbachio*, *Nadaſtio* & *Frangipano* contrà *Leopoldum* Imper. conſpirantibus, & Germanis regnum ſubtrahere molitis 1670. qui re patefacta capite plexi ſunt. Hac occaſione arrepta, *Jeſuitæ* (quamvis conjurati maximam partem Pontificii erant) Evangelicos ſupprimere, regno exigere, bonis, Eccleſiis, Scholis privare cœperunt & aliis facti viis, contrà jus & pacta jurata gravare, variisque mortis ſuppliciis afficere 1671. & ſeqq. In Comitiis quidem Oedenburgicis, de reſtitutione eorundem & libertate religionis fuit actum 1681. Cùm verò certi & ſtabilis atque ſecuri nil potuerit vel impetrari, vel ſperari, Comes *Emericus Tekelius*, vim vi repellere ſtatuit, atque Turcarum clientelam requirere maluit, quàm ſub Papæ jugo gemere, undè bellum Turcicum ortum & *Vienna* Auſtriæ à Turcis obſeſ-

ſa

ſa 1683. d. 15. Jul. ſed indè maxima ſuorum ſtrage rejectis d. 12. Sept. Quæ ad *Barcanum* duplicata d. 10. Octob. urbsque cum *Grana* capta. *Seraskierius* profligatus & *Buda* obſeſſa, ſed fruſtrà. Turcæ à *Carolo* Lotharingiæ D. denuò cæſi. *Neuheuſelium* vi expugnatum. *Eſſekium* direptum & pons exuſtus, aliaque plurima loca capta 1684. & 85. *Buda* vi ſumma expugnata. *Quinqueccleſia* capta & Turcæ variè cæſi 1686. *Magnus Vezierius* clade affectus 1687. *Agria* & multa alia loca in Hungaria & Sclavonia occupata. *Mongatſchium* ad deditionem compulſum. *Alba Julia, Alba Græca* captæ & Turcæ ab Electore Bavariæ proſtrati 1688. *Zigethum* ad deditionem adactum. Turcæ ad Moravam fl. cæſi, mox clades ad *Niſſam* in Servia reiterata. *Niſſa*, *Widinum*, *Scopia*, *Stippus* capta 1689. *Caniſcha* in deditionem accepta. In Tranſylvania, Generalis *Heuslerus* & Marchio *d'Oria*, à Tökelio victi & capti ſunt. Turcæ *Niſſam*, *Widinum*, *Albam Græcam* receperunt. *Temeswarium* obſidione liberarunt 1690. Sed propè *Salankemen* à Marchione Badenſi magna clade affecti ſunt 1691. *Alba Græca* fruſtrà obſeſſa, ſed *Waradinum majus* ad deditionem compulſum 1693. *Gyula* capta 1694. *Lippa* amiſſa & *Veteranius* in Tranſylvania cum exercitu à Turcis cæſus 1695. *Temeswar* irrita obſidione tentatum & haud procul indè cum Turcis, at nullo com-

commodo dimicatum. *Wihatzium* in Bosnia frustrà obsessum 1696. Turcæ ad *Zentham* ab *Eugenio Sabaudico* cæsi & multa loca in Bosnia occupata 1697. & 98. Tandem induciæ 25. annorum *Carlowizii* sub tentoriis initæ sunt 1699. In quibus tota Hungaria & Transylvania Imperatori relicta, excepta *Temeswaria* cum pertinentiis. Ita bellum à Turcis perjurè cœptum, infeliciter ab iisdem fuit finitum. Pax tamen Hungariæ non diu illuxit. Cùm enim *Jesuitæ* Evangelicos variis machinationibus persequerentur, & Princeps *Ragotskius*, rebellionis insimulatus, *Viennam* abductus, & capitis damnatus, sed feliciter fugâ elapsus esset, vindictam spirans, novas mox turbas excitavit, & Austriam atque Hungariam armatus invasit 1703. atque adjutoribus *Berezenio*, *Carolio* & *Forgatschio* totam ferè Hungariam Imperatori abduxit. *Neuheuselium* expugnavit, Styriam & Austriam passim & frequenter excursionibus vexavit, vastavit, ussit & diripuit, ita ut *Viennæ* territorium, lineis vallaribus muniri necesse habuerit 1704. Varii de pace tractatus habiti atque *Presburgi*, ad interpositionem Anglorum & Batavorum, conventus acti, sed irrito successu.

In Austria.

Ferdinando III. †. 1657. successit *Leopoldus I.* filius. Qui in patrui *Leopoldi Wilhelmi* †. 1660. tutelà per annum stetit. Subditos piè

pie & clementer rexit. In proteſtantes tamen in Silesia fuit rigidior. Peſtem in ſuis ditionibus ſenſit gravem, undè *Viennam* fugiens *Linzam* ſe contulit. Sedem ſuam *Viennam* à Turcarum multitudine obſeſſam, magna horum ſtrage vidit liberatam, ope imprimis Polonorum, Rege *Johanne Sobieskio* 1683. Edictum publicavit, de bonis immobilibus in Clericos, ſeu *manus mortuas*, non transferendis 1685. Bellum cum Galliarum Rege geſtum, in quo Galli *Friburgum* ceperunt, at *Rheniſeldam* fruſtrà tentarunt. Pace dein Riswicenſi 1697. d. 30. Octob. concluſa, *Friburgum*, *Briſacum* & Fortalitium *Kehl* cum appertinentiis recepit. Ditiones Auſtriacas omnes ſolus iterum tenuit. Defuncto dein agnato *Carolo II.* Hiſpan. R. 1700. cùm *Philippus Andegavenſis* ſucceſſor & hæres teſtamento declaratus, poſſeſſionem arriperet, ei ſe oppoſiturus, *Eugenium* Sabaudiæ Principem, cum exercitu in Italiam miſit, ſucceſſu ſat felici, atque fœdus cum Anglis, Batavis, Luſitanis, aliisque Principibus, contrà Gallo-Hiſpanos iniit, filiumque ſecundò genitum *Carolum*, in Hiſpaniam miſit, qui *Barcinonem* cum Principatu *Cataloniæ*, aliaque loca occupavit. Academiam Oenipontanam fundavit 1677.

In Palatinatu.

Carolus Ludovicus cum vicinis Principibus atque Epiſcopis, Trevirenſi, Colonienſi, Herbipo-

bipolitano, Spirensi, *Carolo* Lotharingiæ D. intuitu Dominii *Falckenstein*, litem de jure *Wildfangiatûs* habuit, resque ad arma inclinavit. Sed interpositu & arbitrio Imperatoris, Regumque Galliæ & Sueciæ, controversia fuit decisa & Palatino jus suum, cum quadam tamen restrictione, confirmatum 1666. † 1680. Successore *Carolo* filio ex *Charlotta Hassiaca*, qui, in optima spe & ætate, à morte præmatura fuit abreptus, e linea ultimus 1685.

Philippus Wilhelmus Neoburgicus, transegit cum *Friderico Wilhelmo* Brandenburgico circà diversas religiones, in ditionibus Juliaco-Clivensibus 1672. d. 26. April. Mortuo dein Electore *Carolo*, eidem in Electoratu successit. Quæ successio, fatale bellum attulit. Soror quippè *Caroli*, nempè *Elisabetha Charlotta*, nupta *Philippo* Aureliarum D. Galliæ Regis, ceu leviri sui, potentia nixa, universam fratris defuncti hæreditatem petiit, contrà feudorum & Imperii leges, quæ feminas successione feudali excludunt. Galli itaque, subitò armis Palatinatum invadentes, omnia immaniter sunt populati. *Heidelbergam* aliaq; loca diripuerunt, diruerunt & injecto igne, barbarè incenderunt. Inter has belli flammas, Elector obiit 1690. Eum excepit *Johannes Wilhelmus* filius ex *Elisabetha Amalia Hassiaca* Nat. 1658. d. 19. April. bellumque, junctus Imperio, contrà Gallos continuavit. Sedem Electoralem *Düsseldorpium* trans-

transtulit, quod insigniter fuit ampliatum & condecoratum. Tandem per *pacem Riswicensem* plenè fuit restitutus 1697. Controversia verò cum Duce Aurelianensi, ad Imperatorem & Regem Galliæ, ut arbitros, relata, Pontifice super-arbitro constituto, ita tamen, ut Dux interim, singulis annis, CM. flor. Rhen. in deductionem summæ adjudicandæ solveret. Dissentientibus autem arbitris, Pontifex laudum in favorem Electoris tulit. Protestantes in Palatinatu malè habuit, contrà tenorem pacis Westphalicæ; undè frequentes querelæ, ad Imperatorem & Comitia delatæ. Ad instantiam tamen & minas Regis Borussiæ, aliquatenùs eos restituit. Academia quoque Heidelbergensis restaurata. *Annam Mariam Luisam*, filiam *Cosmi III.* Magni Ducis Hetruriæ, secundam duxit uxorem 1691. sed sterilem. Præsenti bello cum Gallo-Hispanis, partes Austriacas strenuè defendit.

In Bavaria.

Ferdinandus, Maria de jure Vicariatus Imperii, cum *Carolo Ludovico* Palatino controvertit †. 1679. Successore *Maximiliano Maria Emanuele* filio ex *Henrica Adelheide Sabaudica.* Is statim in limine regiminis, egregia bellicæ virtutis dedit specimina. Quippè, adductis Imperatori copiis auxiliariis, Viennâ Turcas depulit, hosque aliquoties, imprimis verò ad *Belgradum* 1688. masculè prostravit. Indè in Imperium & Belgium revocatus, vic-

tricia

tricia ibi circum tulit arma, ita ut perpetuus Belgii Hispanici Gubernator, à *Carolo II.* Hispan. R. renunciaretur 1691. At isto mortuo & orto ob successionem bello, Gallis adhæsit contrà Imperatorem. *Ulmam*, *Memmingam*, *Passavium*, *Neoburgum* aliaque loca occupavit. *Oenipontem* usque, Gallis junctus penetrans. Sed aliquoties cæsus & denique ad *Hochstettam* cruentissimo prœlio superatus 1705. non solùm occupata, sed & proprias terras amisit extorris. Uxor verò *Theresia Cunigunda*, *Johannis III.* Poloniæ Regis filia Venetias concessit.

In Saxonia.

Johannem Georgium II. qui memoriam reformationis, annuatim ad 31. Octobr. solenni festo celebrari jussit †. 1680. excepit *Johannes Georgius III.* filius, qui ingentia Imperatori atque Imperio præstitit. Copias ad Rhenum contrà Gallos duxit 1673. Turcas ab obsidione Viennæ rejecit 1683. Gallos ad Rhenum repressit summus Exercitûs Dux constitutus. Ast in medio apparatu & bonæ spei, mors fato propera, illum *Tübingæ* oppressit 1691. Eum excepit *Johannes Georgius IV.* filius, tùm in castris degens. Sed nec hunc fata diu voluerunt superstitem, utpotè 1694. abreptum. Instituerat Ordinem *Amicitiæ Syncerœ*, inter suos familiarissimos. Ei successit frater *Fridericus Augustus* Nat. 1670. qui, Christiani exercitus Dux in Hungaria factus, Tur-

cas

tas ad *Ollasch* acie superavit 1696. Mortuo dein *Johanne III.* Poloniæ Rege, ad castra Romanorum transiit atque Rex Poloniæ eligitur, contrà *Ludovicum* Principem *de Conty* 1697. Seditionibus & discordantium Nobilium factionibus miserè exercitus. Icto dein cum *Petro* Moschorum Imperatore fœdere, Suecorum, Regem *Carolum XII.* in Livonia fuit adortus, atque Rigam obsidione pressit. Sed superatus à *Carolo* & ab obsidio fuit rejectus 1700. d. 19. Jul. Amissa Curlandia & Lithuania, ipsisque Polonis sibi infestis, anxius erat. Prælio denuò victus 1702. d. 19. Jul. *Cracoviam* & *Warsoviam* amisit. Tertiùm profligatus ad *Pultousk* 1703. d. 27. April. in Borussiam se recepit. At pressus ibi à *Carolo*, nuspiam constitit. Tandem pace frustrà tentata, instinctu Sueciæ Regis conventus Nobilium *Warsoviam*, à Cardinale *Wisniowitzkio* Regni Primate, indictus 1704. d. 12. Jul. ubi *Augustus* throno remotus & in ejus locum *Stanislaus*, Posnaniæ Palatinus à quibusdam fuit evectus. Alii verò fideles permanserunt *Augusto*. Qui, contracto exercitu, *Stanislaum* in *Borussiam* exegit. Mox verò in Saxoniam se recepit, Poloniâ Suecis exposita.

In Brandenburgia.

Fridericus Wilhelmus pacem *Olivæ* propè *Dantiscum*, cum *Johanne Casimiro*, Poloniæ R. & *Carolo XI.* Sueciæ R. conclusit; mediatore

Ludovico XIV. Galliarum R. 1660. d. 3. Maji. Novum fœdus cum *Carolo II.* Angliæ R. iniit 1661. d. 20. Jul. atque cum Batavis 1666. d. 16. Febr. quorum partes, cùm poſteà à Gallis inopinato bello opprimerentur, ſtrenuè defendit 1673. At quoniam *Turenius*, cum ſuis Gallis, Comitatum Marcanum & reliquas Weſtphaliæ partes popularetur, pacem cum Gallo concluſit 1674. in qua, Civitates ad Clivenſem Ducatum olim ſpectantes, jam verò Belgis ereptas, accepit. Verùm, cùm pacem univerſalem, cujus ſpem Gallus fecerat, iſte detrectaret; Elector novo exercitu Alſatiam & Briſgojam intravit & *Briſacum* obſedit. Quod cùm jam extrema pateretur, domi irruptionem à Suecis Gallorum fœderatis, contrà ſpem, fuit paſſus 1675. Undè ſoluta obſidione, velociter & tacitè domum properans & *Magdeburgum* tranſiens, Suecos, occupata noctu *Rattenavia*, cædit, dein collectos ad *Fehrbellinum* una acie proſtravit, Pomerania eos ejecit, & *Stettinum* poſt duram & longam obſidionem cepit 1676. & 77. Inſulam *Rügiam* iis eripuit 1678. cuncta tamen, pace facta, iis reſtituit 1679. d. 29. Jun. *Viennæ* extrema patienti cum aliis ſuccurrit 1683. Occupato dein à Gallis *Argentorato* cùm induciæ vicennales inirentur 1684. ejus ſponſionem in ſe ſuſcepit. Gallis dein rumpentibus, bellum, Imperio junctus, indixit. Sed mox obiit 1688. Ei ſucceſſit *Fridericus III.*

filius

filius ex *Ludovica Henrietta*, filia *Henrici Friderici*, Auraniæ Principis Nat. 1657. d. 1. Jul. Patriæ, à Gallis, rupto induciarum pacto, oppressæ celerrimè juxtà & fortissimè succurrit. Cognato *Wilhelmo III.* Auraniæ Principi, ad sublevandas Anglorum miserias & ponendum sibi thronum, opitulantes præbuit manus felicissimo successu 1688. qua de re luculenter testatur, famosissimum illud numisma, in hujus rei memoriam cusum, quòd Dn. *Grönningius* perdoctè exposuit. Ducatum Suibusiensem in Silesia, Imperatori *Leopoldo* transactione cessit 1694. Academiam Hallensem fundavit. Anno Eod. Fratrem *Albertum Fridericum*, Magistrum Ordinis Johannitici per Pomeraniam, Marchiam, Saxoniam & oras Wendicas creavit 1695. d. 4. Aug. qui *Sonnenburgi* fuit inauguratus 1696. d. 17. Mart. *Berolini* instituit Academiam Scientiarum, directore Illustri *Leibnizio* Cancellario Brunsvicensi 1696. Reformatos ob religionem Galliâ ejectos, in terras suas receptos passim distribuit, agris atque immunitatibus donavit Clemens. *Charlottenburgum* aliaque Palatia magnificè extruxit, totamque aulam reddidit splendidissimam. Meritis in Imperatorem & Imperium inclytus, atque crescentis Domus viribus & opibus factus potentissimus, ab Augustissimo *Leopoldo* Borussiæ Rex fuit creatus 1700. Undè in principio anni sequentis, coronam Regiam *Konigs-*

bergæ folenniter & fub læta fubjectorum acclamatione impofuit, novumque *Ordinem Equeftrem* inftituit afcitis, in eum 30. equitibus. *Teffera* eft Catena aurea, ex aquilis nigro encauftico opere tinctis & parmulis literas F. R. includentibus compofita, dependente indè cruce octogona, infculptis literis F. R. & pofitis in angulis aquilis. *Symbolum* eft: *Suum cuique.* Cujus in effectum deducti fpecimen, Equites finguli, per quadriennium exhibere tenentur. Nullus etiam *Ordinem* poftulare audet. *Magifter* eft ipfe Rex. Conventus annuatim celebratur d. 19. Januarii. Evangelicos in Palatinatu valida interceffione adjuvit. Mortuo dein 1701. *Wilhelmo III.* Angliæ R. varias ditiones imprimis verò jus in Principatum *Auraniæ* eft nactus. Bello quoque cum Gallo-Hifpanis exorto, Imperatori & magno fœderi acceffit, ubi *Gueldriam* diu obfeffam in deditionem accepit 1703. cohortesque auxiliares in Italiam & Longobardiam mifit, ductu Principis Afcanio-Deffavienfis. In linea Franconica, præfuit adhuc *Chriftianus Erneftus* Barüthi. Uxorem duxit fecundam, *Sophiam Ludovicam*, filiam *Eberhardi III.* Würtembergiæ D. 1671. ex qua natus 1678. d. 16. Nov. Princeps hæreditarius *Georgius Wilhelmus*, qui, uxorem duxit Principem Lubomirskiam 1699. quæ peperit *Chriftianum Wilhelmum* 1706. d. 14. Nov. *Culmbaci* obiit 1666. d. 16. Sept. *Georgius Albertus*,

bertus, cui succeſſit *Chriſtianus Henricus*, filius ex priori conjuge *Maria Eliſabetha*, filia *Philippi*, Ducis Holſato - Glücksburg. Natus 1661. d. 19. Jul. Qui uxorem duxit d. 14. Aug. 1687. *Sophiam Chriſtianam*, filiam *Alberti Friderici*, Comitis in *Wolffſtein*, quæ ipſi peperit *Georgium Fridericum* 1688. d. 19. Jun. præter alios liberos.

In linea *Onoldina*. *Albertus* †. 1667. Ei ſucceſſit *Johannes Fridericus*, filius ex ſecunda uxore *Margaretha Sophia Oetingenſi*, qui †. 1686. ſucceſſorem reliquit *Georgium Fridericum*, filium ex priori uxore *Johanna Eliſabetha Badenſi*. Qui Campi Mareſchallus Cæſareus factus, in dimicatione contrà Bavaros, propè *Embofam* in Palatinatu ſuperiori fortiter occubuit 1703. d. 29. Mart. Ei ſucceſſit frater *Wilhelmus Fridericus*, Nat. 1685. d. 29. Dec. ex ſecunda patris uxore, *Eleonora Erdmuth Ludovica* filia *Joh. Georgii*, Ducis Iienacenſis.

In Domo Brunſvicenſi.

Auguſtus Guelpherbytanus, olim Hizackerenſis †. 1666. d. 17. Sept. cui ſucceſſit *Rudolphus Auguſtus* filius ex *Dorothea Anhaltina*. Fœdus defenſivum iniit, cum agnatis & Electoribus Colonienſi & Brandenburgico 1667. d. 22. Auguſt. Diſſidium de oppido *Hæxter*, Epiſcopo Monaſterienſi & Abbati Corbejenſi ſubjecto, ortum, obligavit Brunſvicenſes, ex jure protectorio ipſis competente

præsidium immittere 1670. *Brunsvicum* oppidum libertatem affectans, post obsidionem menstruam, ad deditionem & fidem coëgit 1671. Gallis deinde Belgium opprimentibus in societatem fœderis ivit cum Imperatore & *Carolo* Hispaniarum Rege atque Electore Brandenburgico 1674. d. 20. Jun. *Vienna* quoque à Turcis obsessa, validum Imperatori adduxit auxilium 1683. In sequentibus quoque contrà Gallos & Turcas bellis, fidus Imperii fuit auxiliator †. 1704. Ei successit frater *Antonius Ulricus*. Qui ex uxore *Elisabetha Juliana*, filia *Friderici*, Ducis Holsato-Nordburgensis, inter alios liberos suscepit *Augustum Wilhelmum* Nat. 1662. d. 8. Mart. qui secundis nuptiis duxit *Sophiam Amaliam*, filiam *Christiani Alberti*, Ducis Holsato-Gottorpiensis 1695. d. 7. Jul. & *Ludovicum Rudolphum*, Nat. 1671. d. 22. Jul. qui eques Johanniticus factus 1689. uxorem duxit *Christianam Luisam Oetingensem* 1690. d. 22. Apr. Ex qua tres suscepit filias.

In linea Zellensi *Christianus Ludovicus* †. 1665. d. 15. Mart. improlis. Indè lis de successione inter fratres *Georgium Wilhelmum* & *Johannem Fridericum*, religionis Pontificiæ orta, arbitrio Hildeshemensi fuit ita composita 1666. ut ille *Cellam*, *Hoyam*, iste *Hanoveram* & tres auri tonnas obtinuerit. Cum Gallis pactum *Neutralitatis* iniit 1675. d. 18. Oct. †. 1679. relinquens filiam *Wilhelminam*

Ama-

Amaliam, Nat. 1673. d. 26. Apr. quæ nupsit Imperatori *Josepho*, 1699. d. 15. Jan.

Ernestus Augustus, Episcopus Osnabrugensis fuit factus 1662. Defuncto verò fratre *Johanne Friderico*, Ducatum Calenbergensem & Grubenhagensem cum pertinentiis obtinuit 1680. Bello & pace probatus Princeps multùm ergà Imperium & Imperatorem meruit. Undè Augustissimus *Leopoldus* Imperator, annuentibus Electoribus. Eum Electorali dignitate condecoravit 1691. d. 17. Octob. & solenni pompa investivit d. 19. Decemb. Plurimi quidem Principum, Imperii, imprimis Ecclesiastici, contrà hunc novum & nonum Electoratum, ceu Aureæ Bullæ contrarium & Juribus Principum sunt protestati, atque non unum propterea egerunt conventum. Principes Würtembergenses præsertim, munus *Archivexilliferatus* Imperii, novo Electori fecerunt controversum, eoque nomine scripta utrinque fuerunt publicis typis evulgata 1693. & 95. †. 1698. Eum in regimine excepit *Georgius Ludovicus*, filius natu maximus ex *Sophia Palatina*, Nat. 1660. d. 28. Maji. Qui spectata belli peritia & Virtute, inclytum se fecit in expugnatione *Trevirorum* & acie ad *Conserbrukam*, qua *Crequius*, cum Gallis fuit cæsus & captus 1675. Obsessa dein *Vienna* & orto bello Hungarico, ipse contrà Turcas cum lectissima manu movit, eosque castigavit. Comi-

Vid. Theatr. Eur. T. XV. ad. Ann.

tes gloriæ fuerunt fratres *Fridericus Augustus* & *Carolus Philippus*, quorum iste in Albania, contrà Tartaros dimicans occubuit 1690. d. 1. Jan. Ille verò ad Danubium vitam gloriosam reliquit 1691. d. 10. Jan. Tertius frater *Maximilianus Wilhelmus*, Venetorum copiis auxiliariis in Peloponneso præfuit, posteà Locumtenens Generalis Campi-Mareschalli Cæsarei factus. Investituram Elector à Cæsare obtinuit. Belloque Gallo-Hispanico Austriacis auxilia submisit. Uxorem duxit *Sophiam Dorotheam*, filiam Patrui *Georgii Wilhelmi*, Nat. 1666. d. 15. Septemb. desponsatam 1682. d. 21. Nov. Ex qua suscepit. *Georgium Augustum*, Nat. 1683. d. 30. Octob. qui thori sociam assumpsit *Wilhelminam Charlottam*, filiam *Joh. Friderici Onoldini*, Nat. 1683. d. 1. Mart. desponsatam 1705. d. 2. Sept.

In Würtembergia.

Eberhardo III. †. 1674. successit *Wilhelmus Ludovicus* filius, quem mors 1677. iterùm abripuit. Relicto successore *Eberhardo Ludovico*, filio posthumo ex *Magdalena Sibylla, Darmstadiensi*. Hic, sub tutela Patrui *Friderici Caroli* Administratoris, adolevit feliciter. Cùm autem Galli, occupato Palatinatu, bellum facerent Imperio, ditiones Würtembergicæ, dura militis hostilis sævitia fuerunt pressi, & ipse Administrator captivus in Galliam abductus 1688. Ipse Dux ætatis veniam

adep-

adeptus ab Imperatore 1693. d. 20. Jan. populum suum gubernare cœpit. Nuptias celebravit Basileæ 1697. d. 6. Maji cum *Johanna Elisabetha*, filia *Friderici Magni*, March. Badeno-Durlac. Nat. 1680. d. 3. Octob. quæ ipsi peperit Principem 1698. d. 14. Dec. quo ipso mense Administrator obiit. Bello præsenti Gallo-Hispanico, strenui belli Ducis officio fuit functus, ditionesque suas, contrà Gallo-Bavaros prudenter & fortiter est tuitus atque Sueviam defendit 1703. & 04. Montepelicardi Dux *Georgius* terris suis à Gallis fuit exutus 1677. neque restitutus fuit nisi in pace Riswicensi 1697. †. 1699. successore *Leopoldo Eberhardo*, filio Nat. 1670.

In ramo Oelsensi *Sylvio Nimrodo*, †. 1664. successére filii, ex quibus *Julius Sigismundus* †. 1684. reliquit *Carolum* filium ex *Anna Sophia* Suerinensi, Nat. 1682. & *Christianus Ulricus*, Bernstattanus †. 1704. ex *Sibylla Maria Merseburgica*, suscepit *Carolum Fridericum*, Nat. 1690. & *Christianum Ulricum*, Nat. 1691.

In Hassia.

Wilhelmus VI. †. 1663. d. 16. Jul. successorem reliquit filium *Wilhelmum VII.* quem †. 1670. excepit frater *Carolus*, Nat. ex *Hedwige Sophia Brandenburgica*, 1654 d. 3. Aug. Qui uxorem duxit *Mariam Amaliam*, filiam *Jacobi*, Curlandiæ Ducis 1673. d. 21. Maji, ex qua natus est *Fridericus*, Princeps hæredi-

tarius 1676. Bellis contrà Gallos gestis, cohortes auxiliares Imperatori & Belgis submisit. Illos Duce Tallardo, ab obsidione *Rhenifelsæ*, dejecit 1692. quem locum dein Landgravius Domino restituit 1698. Præsentibello, legiones suas sub ductu Principis Hæreditarii, in Italiam & Belgium misit, qui, variis in prœliis, gloriosum sibi peperit nomen, imprimis verò ad *Hochstettam* 1704. ubi copiæ suæ *Tallardum* captivum duxerunt.

In Domo Badensi.

Wilhelmo Badensi, †. 1677. d. 22. Maij, successit *Ludovicus Wilhelmus*, nepos ex filio *Ferdinando Maximiliano*, †. 1669. & *Ludovica Christinæ*, filiæ *Thomæ*, Principis de Carignan. Qui Martem secutus, egregia prudentiæ & virtutis bellicæ specimina præstitit Locumtenens Generalis Cæsareus in Hungaria, ubi Turcas devicit & ad Rhenum, ubi Gallos repressit. Uxorem duxit *Franciscam Sibyllam Augustam*, filiam *Julii Francisci*, ultimi Ducis Saxo-Lauenburgici, quæ ipsi Principem peperit 1697. Fortalitium *Kehl*, aliaque bona in Bohemia à Cæsare donata accepit. *Rastattii* Palatium magnificum extruxit.

Fridericus Durlacensis, Generalis Campi Mareschallus Cæsareus factus, in obsidione *Philippiburgi*, insignis fuit †. 1677. relicto successore *Friderico Magno*, filio ex *Christina Magdalena Palatino-Kleeburgica*, Nat. 1647. d. 24. Sept. qui thori sociam sibi adjunxit

Augu-

Augustam Mariam, filiam *Friderici* Ducis Hollato-Slesvicensis 1670. d. 15. Maji. Gallis in Palatinatum irrumpentibus, ditiones Badenses miserè fuerunt vastatæ. *Badena*, *Durlacum*, *Pfortzhemium*, exustum & dirutum. Ipse Marchio exul *Basileæ* vixit, donec pax Riswicensis cuncta restitueret 1698. Indè *Durlacum* elegantiùs & regulariùs restauratum & magnifica arce exornatum fuit. Præsenti bello Gallo-Hispanico, ditiones ejus iterùm graviter à Gallis habitæ & arx *Fridlinga*, dotalitium Conjugis *Augustæ*, diruta 1703.

In Lotharingia.

Carolus Dux, in pace Pyrenaica fuit restitutus 1659. sed duris conditionibus. Contractu cum Rege Galliæ facto, Ducatum in in eum transtulit, accepta pecuniæ summa & retenta urbe *Marsal*, addito pacto, ut Duces Lotharingici, inter Principes Sanguinis numerarentur 1662. d. 6. Febr. contradicente licèt Imperio & fratre *Nicolao Francisco*. Illo dein 1675. defuncto, nepos ex prædicto fratre (qui obiit 1670.) *Carolus Leopoldus*, succedere debuisset, eaque propter Papæ, Imperatoris aliorumque Principum opem imploravit, sed omnia frustrà. In pace Neomagensi 1679. restitutio quidem ipsi à Rege Galliæ promissa, sed adeò duris & servilibus conditionibus, ut Dux illas accipere turpe judicaret; & interposita protestatione, meliorem sua recuperan-

perandi occasionem exspectandam existimaret. Hinc *Viennæ* degens, exercitum Cæsareum, ut Locumtenens Generalis in Hungaria duxit, Turcarumque cladibus insigne sibi fecit nomen. Bello dein cum Gallis orto, in Germaniam reversus est, istos castigaturus; *Moguntiam* recuperavit, sed mox Viennam ad Consilium bellicum profectus, fatali morte fuit abreptus 1690. d. 18. April. Ex uxore *Eleonora Maria Josepha*, filia *Ferdinandi III.* Imperatoris & vidua *Michaelis*, Poloniæ R. suscepit *Leopoldum Josephum Carolum*, Nat. 1679. d. 11. Sept. Cui tandem Ducatus in pace Risvicensi fuit restitutus Artic. 28. & seqq. iis tamen conditionibus, ut munimenta urbis Nancejæ novæ diruerentur. Fortalitium *Saarlouis*, cum dimidia leuca in circuitu, nec non urbs & præfectura Longuicensis, cum omni superioritate, in perpetuum Regi & Successoribus reservaretur, promisso tamen æquivalente. Itaque Dux per *Stuttgardiam* & *Argentoratum* (ubi regio honore fuit exceptus) in ditiones suas fuit reversus & aliquandiu *Lunevillæ*, aulam suam habuit 1698. Conjugem duxit *Elisabetham Charlottam*, filiam *Philippi*, Ducis Aurelianensis. Initio belli præsentis, Lotharingia à Gallis iterùm fuit occupata, Dux verò quietus inter belligerantes permansit. Frater ejus *Josephus Innocentius Emanuel*, Imperatori in Italia militans, ibidem occubuit 1705. d. 25.

Aug.

Aug. Alter frater *Carolus* Josephus *Ignatius*, Nat. 1680. d. 14. Nov. factus fuit Magnus Prior Castiliæ 1693. Episcopus *Olmucii* 1695. Osnabrugensis 1698.

In Sabaudia.

Carolus Emanuel II. Waldenses terris & vallibus suis ejecit 1655. instigatu maximè Cardinalis *Mazarini.* Helvetii reformati implorati, legationem ad Ducem intercessum miserunt, sed irrito successu. Quippè à militibus totaque bannitorum colluvie, ubique pressi, exacti, spoliati & occisi sunt. Quare *Cromwellius*, Angliæ Protector *Morlandum*, in Sabaudiam misit, quod & *Hollandi* & Bernates fecerunt, excidium horum incolarum deprecati. Ingens quoque pecuniæ summa collecta & *Waldensibus* transmissa. Unde isti animo sumpto, arma ductu *Jayeri* corripuerunt, vimque & injurias militum contraria vi repulerunt. Principes Protestantes, *Waldensium* rem, facere suam cœperunt, iisque auxilia promittere, partim præstare & Bernates haud occultè bellum minitari. *Jayerus*, summa vi *S. Secundam* expugnavit, concisis præsidiariis, ipse verò in quodam prœlio occisus est. Tandem pax *Pignerolæ*, promovente Rege Galliæ & Helvetiis reformatis fuit conclusa 1655. d. 18. August. qua ipsis Amnestia concessa & reditus in pristinas valles securus indultus, bona adempta certo modo restituta sunt, permisso quoque libero reli-

gionis

gionis exercitio. Fortalitium dein novum, proteſtantibus licèt Helvetiis, poſteà tamen conſentientibus, ad pagum *La Tour*, à Duce conſtructum. Pacem tamen non habuerunt diuturnam; quippè Anno 1662. Concionatores atque Seniores *Waldenſium*, ad Inquiſitionem vocati ſunt *Taurinum*, ut religionis cauſam dicerent. Cùm verò plurimi, vim metuentes, non comparuiſſent, illi rebelles declarati & in vallibus armata manu invaſi ſunt. Concurrerunt ad arma & illi, militesque repreſſerunt, pacem violatam conqueſti. Interceſſu tamen Helvetiorum reformatorum, induciæ placuerunt. Anno dein ſequenti 1663. *Waldenſes*, in loco *Pian*, inopinato impetu fuerunt oppreſſi, donec reliquis accurrentibus, Sabaudi circùm circùm preſſi fugam dederint. Helvetii & Hollandi denuò in Sabaudiam profecti, ſeſe interpoſuerunt, atque pacem iterùm procurarunt 1664. Indè Dux bellum declaravit Genuenſibus 1672. d. 28. Junii. Anſam dedit controverſia inter utriusque vaſallos & indè ortæ querelæ. Generalis Sabaudicus *Catelano*, à Genuenſibus in arce *Vecchio* obſeſſus, vi & ferro erumpens, viam ſibi per medios hoſtes, aſt non ſine jactura, aperuit. Arx autem ſe dedidit. Marchio *Riſtori* Genuenſis, Sabaudos in quadam velitatione fugavit, undè à Republica præmium 150. aureor. obtinuit. *Onelia* quoque, aqua dulci, foſſione privata, Genuenſibus ceſſit.

Interim

Interim Papa per nuncium *Spadam*. Rex Hispaniæ, Galliæ, aliique Principes interpositi, circà inducias primò, deindè pacem laborarunt. Sed principio sine successu. Quippè Sabaudi Genuensibus *Ovadam*, sed multo sanguine eripuerunt, moxque *Oneliam*, recuperarunt. Tandem induciæ, per Galliæ Residentem *Gaumontium* procuratæ, per quas *Ovada*, Genuensibus reddita, easque mox insecuta est pax in Civitate *Acqui*. Post quæ Dux obiit 1675. d. 12. Jun. Ei successit *Victor Amadæus II.* filius ex *Maria Johanna Baptista de Nemours*, Nat. 1666. d. 14. Maji. Duxit in matrimonium 1684. *Annam Mariam Aurelianensem*. *Waldenses* instigatu Galliæ R. & acceptis ex Gallia militibus, acriter persecutus, vallibus & sedibus suis ejecit, frustrà intercedentibus legatis Tigurino & Bernate 1686. Ejecti variè inter Helvetios distributi, maxima quoque pars in Marchiam Brandenburgensem atque in ditiones Culmbacenses & Onoldinas profecti sunt 1690. Alii tamen reditum in valles suas meditati, ductu *Arnoldi* & *Buttonis* Concionatorum & alterius cujusdam *Bourgeois* nominati, clàm congregati, lacu Lemanno trajecto, per Sabaudiam vi penetrarunt in Valles usque, easque, incolis partim cæsis, partim fugatis, occuparunt. Interim bellum Palatinum in Germania ferbuit, cui Batavi accesserunt. Dux Sabaudiæ quietus quidem esse cupiebat, ast per Gallos haud

licuit.

licuit. Cùm enim Galliæ Rex, militem à Duce, nec non traditionem arcis Taurinensis & *Vercellas* peteret, Dux indignatus, magno fœderi accessit, armaque contrà Galliam tulit, acceptis ab Angliæ Rege auxiliis Duce *Schombergio*. *Waldenses* quoque redeundi facultatem omnemque libertatem consecuti 1691. fidelem Duci contrà Gallos navarunt operam. Tractum per aliquot annos bellum, donec Dux, dato & amisso ad *Marsaliam* prœlio, in quo Sabaudi Anglos destituerunt, peculiarem pacis transactionem, cum Rege Galliæ faceret 1696. d. 10. Sept. quam mox pax Risvicensis fuit insecuta 1697. In confirmationem pacis, ejus filia *Maria Adelheidis* nupsit *Ludovico*, Duci Burgundiæ, in arce *Versaliarum* 1697. d. 7. Dec. Mortuo dein *Carolo II.* Hispaniarum Rege 1700. & *Philippo* Andegavensi ad successionem vocato, Dux Sabaudiæ alteram suam filiam eidem desponsavit, Gallisque junctus, bellum Imperatori in agro Mediolanensi & Mantuano fecit 1701. Posteà verò, rebus Gallorum inclinantibus in Italia, & Rege Lusitaniæ partes illorum deserente, ipse quoq; nutare cœpit. Cùmque Rex Galliæ, in securitatem, *Taurinum* aliaque loca à Duce peteret, hocque denegato, milites Sabaudos, armis ademptis, teneret captivos, ipsique corpori Ducis inhiaretur, iste ad magnum fœdus transiit, signaque contra Gallos tulit, & copias auxiliares ab Anglis & Imperatore accepit 1704.

In

In Helvetia.

Helvetii fœdus cum Galliæ Rege & Delphino renovarunt, missis Parisios Legatis 1664. Bello dein Hollandico, auxiliares Legiones ipsi submiserunt 1672. *Basilienses* corporis custodiam miserunt Duci Lotharingiæ 1667. Centurione *Zorulino*. Mox pestilentiam sunt passi 1668. Gallis, Duce *Turennio*, ad limites urbis Basiliensis appropinquantibus, Helvetii fœderati XII. M. milites eò miserunt 1675. Præsidiarios quoque *Argentoratum* miserunt, sed iis vixdùm dimissis, urbs à Gallis fuit occupata 1681. Fortalitium *Huningen*, ad limitem Basiliensem, à Gallis fuit constructum, nemine Helvetiorum tùm contradicente 1682. Controversia Bernatium cum *Valesiis*, ob limites & pontem ad *S. Mauritium* orta, per arbitros Helvetiorum fuit terminata 1688. Basilea, Tigurum & Scaphusia motibus internis agitatæ 1691. & seqq. Electori Brandenburgico corporis custodia ab Helvetiis reformatis missa 1696. *Neoburgi* ad Lacum, mortuo 1694. d. 4. Febr *Johanne Ludovico Carolo*, Duce Longovillano, sine prole mascula, controversia, inter *Ludovicum* Principem *de Conty*, hæredem testamento scriptum & defuncti Sororem *Mariam Aurelianensem de Nemours*, de successione in dictum Principatum Neocastrensem, exorta est. Eam tamen, rejecto hærede testamentario, Status Neocastrenses agnoverunt, eique præ-

Dd senti,

ſenti homagium præſtiterunt d. 14. Mart. Rex verò Galliæ, Principi magis cupiens, fuit indignatus; undè ſententiam Statuum Tribunali Pariſienſi examinandam dedit, quod 1698. d. 13. Dec. pro hærede Teſtamentario pronunciavit, Princepsque pro legitimo ſucceſſore Principatus Neocaſtrenſis à Rege fuit declaratus, atque prædictæ Duci per Marchionem *de Torcy*, inſinuatum fuit, ut voluntati Regiæ pareret. Verùm nec illa paruit, & adhuc minùs Status liberi hujus Principatus, libertatem ſuam à Rege extraneo ita violari conqueſti. Princeps *Neoburgum* pervenit 1699. d 30. Jan. ut poſſeſſionem caperet, milite Gallo per Burgundiam ad limites appropinquante. Implorati itaque Bernates, CC. milit. in arce ſtatuerunt, reliquisque delectis, ut parati eſſent, mandatum. Denique Princeps, re infecta, abire fuit coactus; Bernatibus Duciſſam tuentibus. Civitas Genevenſis diſſidium habuit, cum Domino *d'Ibreville*, Regis Galliæ nomine apud eam reſidente, qui *Miſſam* publicè legi & proceſſiones ad ritum Romanum inſtitui fecit, in regione ſuæ domus. Undè plebs irritata tumultum excitavit, & furibunda coram ejus domu fuit congregata. Tigurini & Bernates ſeſe interponentes, plebem excuſare fuerunt conati. Sed literæ Genevenſium ad Regem datæ, non receptæ, ſed clauſæ fuerunt remiſſæ. Actus de ſuper *Arovia* d. 25. Febr.

1696.

1696. Conventus Evangelicorum, ubi de hac re deliberatum. Legatus Gallicus Dominus *Amelot*, inter pacis conditiones proposuit, ut Genevenses, tres præcipuos ex Senatoribus *Tremblay*, *Lullin* & *Camp* dignitate moverent. Sed hoc postulatum, utpote nimis enorme & libertati Helvetiorum præjudiciosum, ab omnibus fuit improbatum & rejectum. Quare Legatus prædictus, mente mutata, petiit, ut Genevenses, quatuor insignes Viros, *Versalias* ad Regem deprecatum mitterent, promittens illos benè receptum iri atque Pontificiis extrà domum Residentis degentibus interdictum iri, Missam in domu Residentis frequentare, & huic processiones suscipere. Quod cùm Reipublicæ, nec non Helvetiis placeret, quatuor ex Senatu in Galliam fuerunt ablegati, nempè Syndici *le Fort* & *Normandie* cum Senatoribus *Gautier* & *Buisson*, qui à Rege clementer auditi d. 17. Apr. atq; domum redeuntes aurea catena donati fuerunt. Interim præsidiarii à Bernatibus Genevam missi, ibidem substiterunt. Inter Abbatem & Civitatem S. Gallensem tantùm non bellum exortum. Causa hæc fuit. Quòd Abbas congregata multitudine d. 5. Maji 1697. processionem cruce & vexillo erectis, contrà priscam consuetudinem & conventionem, per urbem faceret. Admonitus de hac innovatione desistere noluit. Quare plebs S. Gallensis tumultuata, procedentes vi in Monasterium

egerunt, positis ante portam tormentis æneis. Abbas hac re iratus, armatos contraxit subditos. Armarunt & S. Gallenses. Sed reliqui Helvetii interpositi, pacem procurarunt, ea lege, ut antiquæ conventiones & consuetudines, sine ulla innovatione, observarentur. Pace Risvicensi 1697. conclusa, Helvetiorum quoque Respublica cum Sociis, ejusdem fuit particeps facta. Lis quoque inter Domum Austriacam & Civitatem Scaphusiam ferbuit de quatuor pagis in Præfectura Nellenburgensi. Hac de causa, Conventus Helvetiorum, (exceptis Uraniis, Suitensibus, Silvanis, Tugiensibus & Abbatiscellanis, qui comparere noluerunt) mense Aprili actus 1698. & de quatuor pagis tandem ita fuit amicè transactum cum Imperatore, ut Scaphusiani soluta certa pecuniæ Summa, prædictos pagos, pleno & perpetuo jure retinerent. Deindè, querelæ contrà Regem Galliæ ortæ, quod Stipendium militibus Helvetiis, ex prisca conventione pendi solitum, diminuerit. Tribuni atque Centuriones Legionum, *Badenam* citati, ad causam dicendam, ubi etiam maximam partem comparuerunt, mense Octobri 1698. Eaque res, tàm Regi per literas, quàm Oratori ejus Domino *de Puisieulx*, oretenùs exprobrata. Tandem verò, in conventu initio Decembris habito, lis transactione fuit finita & militibus aliquid de Stipendio subtractum. Orto dein 1701. bello de Hispaniis,

niis, Helvetii quieti manſerunt; Imperatori autem duas legiones permiſerunt, ad tutandas urbes ſilveſtres. Civitates quoque Evangelicæ, Hollandis & Anglis milites conducere permiſerunt. Appropinquantibus quoque belligerantium exercitibus, ad limites Helvetiæ & caſtris ad *Fridlingam* metatis, delectos ſuos milites *Baſileam* miſerunt 1702. In *Toggio*, acris lis incolarum utriusque religionis, cum Abbate & Principe ſuo exorta. Toggii quippè, contrà privilegia & immunitates ab antiquo poſſeſſas, imprimis Evangelici duriter preſſi, inſuetum & injuſtum jugum ampliùs ferre recuſantes, *jus provinciale* cum Suitenſibus & Glaronenſibus publicè renovarunt 1703. Principe invito & deſuper proteſtato. Res ad Comitia Helvetiorum delata & tàm publicis ſcriptis, quam voce utrinque agitata fuit. Sed ob Evangelicorum & Catholicorum diſſenſum, partiumq; ſtudium, ſine fructu ſemper diſceſſum.

In Eccleſia.

Romæ. *Alexander VII.* Ducatum Caſtrenſem Patrimonio Petri incorporavit 1660. Dogma de immaculata conceptione B. Virginis, bulla edita, confirmavit. Litem maximam habuit cum *Ludovico XIV.* Rege Galliæ, ob violatum *Romæ*, à Corſis, hujus Oratorem *Crequium* 1662. Rex *Avenionem* Papæ ademit & bellum paravit. Undè Papa ad ſatisfactionem compulſus, nationem Corſicam

damnavit, erecta in hujus infamiam publicè columna 1664. *Franciscum de Sales*, Episcopum Genevensem & *Thomam Villanovum* Archiepisc. Valentiæ canonizavit. *Christina*, Sueciæ Regina, dogma Romanum fuit amplexa. In *Germania*. Henricus Marcellus, Bambergensis & Jacobus Masenius, Coloniensis, Jesuitæ, concordiam inter Protestantes & Pontificios tentarunt, sed irrito successu. Wilhelmus, Hassiæ Landgravius Colloquium Cassellis hahuit inter Theologos Marpurgenses & Rintelenses, ad conciliationem Evangelicorum inter se tendens 1661. In *Anglia*, *Carolus II.* Rex, Hierarchiam Episcopalem & Lithurgiam Ecclesiæ Anglicanæ, à *Cromwellio* abolitam, invitis Presbyterianis, restituit 1661. & 62. In Gallia. Reformatorum templa dirui cœperunt 1661. Controversia Janseniana adhuc ferbuit & Papa Bullam contrà *Jansenistas* promulgavit 1662. In Hungaria. Evangelici malè habiti, eorumque plures ad triremes Neapolitanas damnati. *Alexandro VII.* †. 1667. successit *Clemens IX.* Qui aliquot Monachorum ordines sustulit, eorumque reditus Venetis ad bellum Turcicum concessit. *Sabbatai Sevi* impostor *Smyrnæ*, se Judæorum Messiam professus est. Sed territus ab Imper. Turcico, Mahometismum est amplexus 1668. In Gallia. Janseniana controversia sedata 1669. Papa *Alexander*, conlumnam famosam Corsis statutam,

tam, annuente Galliæ Rege, disjecit. Pontem Ælium seu *S. Angelo*, statuis passionem Christi repræsentantibus, exornavit. Illi successit *Clemens X.* 1670. qui *Ferdinandum Catholicum* quondam Hispaniæ Regem & *Franciscum Borgiam*, Jesuitam, canonizavit 1671. Jubilæum celebravit 1675. Ordines Belgii fœderati, per suum Thalassiarcham *Michaëlem Reuterum*, captivos Hungaros è triremibus Neapolitanis, annuente Hispaniæ Rege, liberarunt 1676. In Anglia. Pontificii peculiari edicto, regno cedere jussi 1673. & religioni Evangelicæ novis legibus fuit prospectum 1674. Romæ successit *Innocentius XI.* 1676. qui religiosis omnibus, infrà trigesimum ætatis annum, monasticam vitam amplexis, hanc relinquendi & Conjugium ineundi libertatem indulsit. Cum Galliæ Rege gravem controversiam Asylo Palatii Oratoris Gallici Romæ habuit, ejusque Oratorem Marchionem *Lavardinum* excommunicavit 1687. illudque Jus Asyli bullà edita sustulit. In Gallia verò ejus authoritas fuit diminuta & quatuor Theses à Clero Gallico formatæ.

1. *Papam non habere potestatem deponendi Reges, & subditos solvendi juramento.*

2. *Concilium esse suprà Papam.*

3. *Potestatis Apostolicæ usum, per canones Ecclesiasticos esse circumscriptum.*

4. *In fidei quoque quæstionibus, Papam non esse infallibilem.*

Cæterùm in Gallia, Edictum Nannetense abrogatum & reformati durissima persecutione afflicti sunt 1685. Legati à Rege Siami missi ad Pontificem, *Romam* venerunt 1688. quare *Romæ*, moneta cusa, quæ tres Siamos coràm throno papali prostratos exhibet, cum circumscriptione: *Venite & videte opera Domini.* In Archiepiscopatu Salisburgensi, in valle *Tafferecк*, reformatæ religionis homines, ab antiquissimis seculis inibi habitantes detecti & ab Archiepiscopo, non attenta Borussiæ Regis intercessione, bonis & exilio multati sunt 1686. In Anglia religio reformata, pulso Rege *Jacobo*, restaurata, auspiciis *Wilhelmi Auriaci* 1688. Romæ successit *Alexander VIII.* 1689. & huic *Innocentius XII.* 1691. Academia Heidelbergensis destructa 1693. Evangelici in Palatinatu malè habiti, sed intercessione Borussiæ Regis repressalias interminati, aliorumque Principum Protestantium, res in meliùs fuit mutata, & Academia Heidelbergensis restaurata. Quietismus (auctore *Molinos*) in Italia crevit, frustrà renixa inquisitione. Dogma hoc sparsum: *Sensibus satisfieri posse citrà peccatum, modò anima aversionem indè internè habeat, & naturæ necessitas id exigat.* Liber Archiepiscopi Cameracensis multas dedit inquietudines Romæ & in Gallia. Novi reuniti in Gallia malè habiti & plurimi relegati. Conventus tamen priorum non intermissi, sed passim actitati. Episcopus

pus Montispessulanus Jesuitis potestatem audiendi confessiones denegavit; Aula & Archiepiscopo Parisiensi id approbantibus 1698 Reformati in Principatum Arausionensem, in pace Risvicensi, *Wilhelmo* Angliæ Regi, restitutum reducti 1699. Sed eo mortuo, iterùm à Gallia Rege ejecti sunt, & in Marchiam Brandenburgensem concesserunt 1702. Romæ successit *Clemens XI.* 1700. ex familia *Albanorum* Urbinas. Jesuitis lis mota, de adoratione *Confutii* (Philosophi quondam & sancti apud Sinenses) istis indulta, modò animi intentionem ad *Christum* dirigerent, huncque sub nomine *Confutii* intelligerent. *Berolini* de Syncretismo, inter Lutheranos & Reformatos, ineundo tractatum, sed irrito successu 1702. & 03. In Helvetia. *Pietistarum* secta, ex Anabaptismo, Chiliasmo, Enthusiasmo & Nicolaismo conflata, invaluit; coërcita tamen à Bernatibus 1701. & 02. expulsi Germaniam passim infecerunt.

XLVII.

(12.) JOSEPHUS I. filius *Leopoldi* & *Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ*, filiæ *Philippi Wilhelmi*, Electoris Palatini, Nat. 1678. d. 26. Jul. Rex Hungariæ coronatus 1687. in Comitiis Regni, in quibus non solùm rigor legis *Andreæ II.* miti-

 gatus,

gatus, ſed etiam Auſtriacæ domui, quin & Hiſpanicæ, hæreditaria ſucceſſio fuit confirmata. Rex Romanorum 1690. *Auguſtæ Vindelicorum*. Imperator factus 1705. †. 1711. d. 17. April. Imp. 6. Ætat. 32. Menſe 8. Septim. 3. die 2.

§. 1. In coronationis memoriam numus cuſus, ex parte adverſa referebat enſem lauro circumvolutum, imminente ſupernè ſole cum lemmate: *Amore & timore.* Ex parte averſa, corona erat Imperialis, cum legenda: *Joſephus, Rex Ungariæ, coronatus in Regem Romanorum. Auguſtæ, die* 26. *Jan.* 1690.

§. 2. Prima ſua expeditione bellica, *Landaviam* Gallis maſculè, at necquicquàm reſiſtentibus eripuit, *die* 11. *Sept.* 1702. Cumque Galli hanc urbem recuperaſſent *die* 17. *Novemb.* 1703. illam iteratò iisdem eripuit *die* 4. *Novemb.* 1704.

§. 3. Fœdera Societatis à defuncto Patre inita confirmans, bellum contrà Gallo-Hiſpanos continuavit.

§. 4. *Maximilianus Emanuel* & *Joſephus Clemens*, Electores Bavariæ & Coloniæ, in bannum Imperii publicè fuerunt declarati 1706.

§. 5. Principes *Aſcanii*, in publicis Comitiis proteſtati ſunt, contrà poſſeſſionem & detentionem Ducatus Saxo-Lauenburgici

à Du-

à Ducibus Brunſvicenſibus, poſt obitum ultimi Ducis *Julii Franciſci*, arreptam 1706. *Menſe Junio*. Quæ proteſtatio ad dictaturam venit. Ei reproteſtationem oppoſuit Elector Hanoveranus, in qua,reſervanda domui ſuæ reſervavit. *Menſe Auguſto*.

§. 6. Imperator per *Decretum Commiſſionis* ſub dato 21. Julii 1706. Legatis in Comitiis propoſuit, eosque requiſivit, nonum Electoratum agnoſcere, atque Sereniſſimum Electorem,ad Seſſionem & votum admittere. Declarans, iis, quæ hactenùs iſthoc in negotio acta geſta, nulli Statuum in ſuis juribus præjudicatum, nec in poſterùm, novum Electoratum, citrà Statuum conſenſum introductum iri. Tandem res effectum habuit, atque Elector admiſſus, in Collegio Electorali poſſeſſionem cepit, per Comitem *Limbachium* 1708. *d* 7. *Octob.* & de munere atque dignitate Architheſaurarii fuit inveſtitus *Wiennæ* 1710. *d.* 12. *April.*

§. 7. Concluſum in Comitiis factum eſt 1706. *d.* 23. *Jul.* de viſitatione & reſtauratione Cameræ Imperialis, ob lites & diſcordiam quorundam Aſſeſſorum, magno cum Juſtitiæ detrimento,jam diu clauſæ.

§. 8. Negotium quoque de introductione Ducis *de Marlbourough*, ceu Principis Mindelheimenſis, in duobus ſuperioribus Collegiis,Electorali nimirùm & Principum (Collegio Civitatum Imperialium fruſtrà proteſtato)

ſtato) tractatum 1706. *die* 16. *Aug.* & *die* 22. *Nov.* ſolennis introductio prædicti Principis ſecuta eſt, ſalvo tamen jure tertii. Taxa *Matriculæ* ipſi impoſita ad 76. flor. & ad Cameram Imperii 34. flor.

§. 9. Civitati Memmingenſi, taxa matriculæ moderata, usque ad dimidium, nempè 75. flôr. ita tamen, ut hæc relaxatio initium capiat, demùm finito bello.

§. 10. Gallis, ductu *Amadæi* & *Eugenii* Sabaudorum, à Taurini obſidione, magna cum ſtrage, rejectis 1706. *die* 7. *Sept.* Ducatum Mediolanenſem, Mantuanum ac Montisferratenſem in deditionem accepit. Ducem Mutinenſem reſtituit & parte Transpadana Mantuani Ducatus ditavit.

§. 11. Regnum Neapoleos expugnavit 1707. Diſſidia cum *Carolo XII.* Sueciæ Rege orta, compoſuit, *Ranſtattiæ Veteris*, operà Comitis à *Wratislau*, reſtitutis in Silèſia proteſtantibus, juxtà pacem Monaſterienſem An. eod.

§. 12. Defuncto Epiſcopo & Principe Monaſterienſi, Comes *de Metternich* Epiſcopus Paderbornenſis, ex diſcordantium Canonicorum ſuffragiis obtinuit novendecim; *Carolus* autem Lotharingicus Epiſcopus Oſnabrugenſis, habuit tredecim. Illum defenderunt Ordines Belgii fœderati. Iſtum Imperator. Prior tamen obtinuit & Bullam Papalem accepit 1707.

§. 13. In Italia Pontifex, publicato *moni-*

torio,

torio, contributiones in Ducatu Parmensi & Placentino Cæsareis promissas, irritas esse jussit, & tam exigentes, quàm promittentes, aut solventes, censuræ Ecclesiasticæ subjecit 1707.

§. 14. Dux verò Mutinæ, jus suum in Ducatum Ferrariensem & *Comacchium*, resuscitans, Imperatoris auxilio fuit usus. Marchio *de Prié*, Romam ablegatus, Jus Cæsaris ibidem ursit, atque ut *Carolus*, Hispaniarum Rex agnosceretur, identidem postulavit. Renuente verò Pontifice & militem conscribente, legiones Cæsareæ, *Ferrariam*, *Comacchium* aliaque loca occuparunt 1708. Tandem Pontifex cessit, & pace facta, Dominium directum Imperatori, in feuda Italica competens & *Carolum* Regem Hispaniæ agnovit *die* 15. *Jan.* 1709. quæ recognitio, in Consistorio *die* 14. *Octobr.* habito, fuit publicata. Loca occupata Pontifici restituta, excepto *Comacchio*, quod Cæsariani præsidio & munimentis firmarunt.

§. 15. Principatus *Mirandolæ* & *Concordiæ* Duci *Mutinæ* concessi, pro summa CLXXM. aureor. Hispan. 1710.

§. 16. Fœdus initum inter Imperatorem, Anglos, Hollandos, Electores Ecclesiasticos, Hanoveranum, aliosque Imperii Principes, tresque urbes Hanseaticas, ad conservandam quietem provinciarum Regum Sueciæ, Daniæ & Poloniæ in Imperio sitarum 1710.

§. 17. Conventus de pace, inter fœderatos & Gal-

& Galliæ Regem habiti 1709. & 10. & articuli præliminares conclusi. Quos autem Rex Galliæ, post longam tractationem, rejecit.

§. 18. Cæsariani, ductu Comitis Mercii, delecta equitum manu, agro Basiliensi trajecto, Sundgojam & Alsatiam superiorem invaserunt 1709. Ast à Gallis, propè *Rumershemium*, cæsi, & in fugam conversi sunt.

§. 19. Imperator Turcicus *Agam* ablegavit *Viennam*, qui *die* 7. *April.* 1711. introivit ibidem, & à Principe Eugenio *die* 9. *April.* publicè fuit auditus, cui pronum Principis sui, ergà Cæsarem animum, pacisque tenacem amplè collaudavit, neque ob bellum Moschis indictum, quies Imperatoris turbaretur petiit. Deindè *Viennæ*, substitit usque ad *diem* 2. *Jun.* qua, relicta *Vienna*, domum fuit reversus.

§. 20. Comitem à *Trautson*, Cæsar fecit Principem Imperii *d.* 19. *Mart.* 1711. Controversiam cum Duce Sabaudiæ, de feudis Montisferratensibus, in istius favorem terminavit. Hungaris pacem & Amnestiam indulsit. Post quæ, ex variolis, ingenti cum luctu obiit.

§. 21. Thori sociam assumpserat *Wilhelminam Amaliam*, filiam *Johannis Friderici*, Ducis Hanoverani. Natam 1673. *d.* 26. *Apr.* nuptias celebravit 1699. *d.* 24. *Febr.* quæ ipsi peperit.

1. *Mariam Josepham*, Nat. 1699. *d.* 8. *Dec.*
2. *Leopold. Josephum*, Nat. 1700. *d.* 29. *Octobr.* †. 1701. *d.* 4. *August.*

3. *Mariam Amaliam*, Nat. 1701. *d.* 22. *Octob.*

In Bohemia.

Josephus Rex, Regi Borussiæ & Domui Brandenburgicæ investituram concessit, de Ducatu Crossensi aliisque ditionibus in Silesia 1706. *d.* 6. *Aug.* Conventione cum *Caroli XII.* Sueciæ Regis oratore, Barone *Strahlenhemio* inita, Lutheranos in Silesia restituit secundùm tenorem pacis Westphalicæ. *Ranstattiæ d.* 31. *Aug.* 1707. Ab Anglis, Hollandis, reliquisque Principibus Reformatis, pro Ecclesiis & subditis suæ Ecclesiæ intercessum est, sed hactenùs sine fructu. Rex ad ordinarios Imperii conventus iterùm fuit admissus, & possessionem cepit, per modum *refrequentationis*, per Comitem *Kinski* 1708. *d.* 7. *Octobr.* quem posteà Burggravium Bohemiæ creavit 1710. Comes *à Wratislau* dignitatem Archi-Cancellarii accepit, cui Papa dein per Nuntium & Nepotem suum *Albani*, bullam transmisit, de capessendo Magno Prioratu Melitensi per Bohemiam 1711. Statibus Silesiæ indultum, ut nullus Nobilis è reliquis terris hæreditariis, nuptias in Silesia contrahens, bona immobilia possidere queat, nisi in Catalogo incolarum ritè inscriptus 1711. *Josepho* †. 1711. *d.* 17. *April.* Regn. 7. successit frater *Carolus*, Rex Hispaniæ. In cujus absentia, Mater Augusta regimen suscepit, quod etiam ab ipso Rege fuit confirmatum.

In

In Hungaria.

Leopoldo I. †. 1705. *d.* 5. *Maji*, filius *Josephus I.* plenè ſucceſſit. Pacem cum Hungaris, conceſſis induciis, tentavit, ſed fruſtrà, cùm privilegia reſtituenda iis denegarentur 1706. *Menſe Junio & Julio. Poſonii.* nec non Sponſores pacis & conventionis, nempe Regina Angliæ, Reges Sueciæ & Boruſſiæ, Respublicæ Polonorum, Hollandorum & Venetorum, ab Hungaris poſtulati, à Cæſare rejicerentur, ut ſuperflui & inutiles. Separatio quoque Principatus Tranſylvaniæ ab Hungariæ Regno, & exceſſus *Jeſuitarum*, è Regno, bonorumque occupatorum reſtitutio, eidem non placeret. Hinc bellum continuatum. *Caſchovia* à *Rabutino* fruſtrà obſeſſa 1706. *menſ. Octob.* Hungari in Tranſylvania, cuncta pro libitu egerunt. *Ragotskius* quoque lineas vallares, propè *Oedenburgum*, ſuperavit, atque in Auſtria & Moravia fuit populatus; *Granum* expugnavit, quod tamen à *Starrenbergio*, mox fuit recuperatum *d.* 9. *Octob. Heiſterus* ad *Eggewar*, verſùs Styriam, à *Berezenio* proſtratus & captus. *Ragotskius*, actis Comitiis, manifeſtum publicavit, in quo throni vacatio & interregnum, Rege & Cæſare depoſito, fuit publicatum 1707. Tractum indè vario marte bellum, & Turcici Imperatoris auxilium fruſtrà ab Hungaris imploratum. Interceſſio quoque Oratoris Moſchi *d'Urbich*, quam pro illis, in aula Imperatoris ſuſce

ſuſceperat nil profecit 1710. Heiſterus *Neuheuſel*, Hungaris eripuit *d.* 25. *Sept.* 1710. quem locum *Erla*, aliaque loca ſimiliter ſunt ſecuta, atque *Ragotskius* cum *Berezenio*, ad extrema redactus, auxilia ubique ſed fruſtrà quærentes, in Poloniam ſe receperunt 1711. reliqui ad pacem adſpirare cœperunt.

In Auſtria.

Leopoldo, †. 1705. ſucceſſit filius *Joſephus*, qui homagium à ſubditis hæreditariis accepit. Diem gratiarum feſtivum Viennæ celebravit, ob res in Italia proſperè geſtas 1706. *d.* 10. *Octob.* ubi concio habita ex 2. *Reg. XIII.* 25. Comes *Franciſcus Ehrenreich de Trautmansdorf*, denuò Orator ad Helvetios ablegatus, ut Regis *Caroli* utilitatem quoque contrà Helvetios Catholicos promoveret. *Franciſcus Ferdinandus Baro à Rummel*, in Epiſcopatu Viennenſi à Pontifice confirmatus, poſſeſſionem muneris Epiſcopalis arripuit. *d.* 21. *Dec.* Jubilæum à Papa *Clemente XI.* indictum, *Viennæ* fuit publicatum 1707. *die* 2. *Jan.* & inſequente *die* 9. cœptum. Auſtria variè ab Hungaris direpta & devaſtata. Viennæ preces & jejunia ab Imperatore inſtituta ad averruncandum peſtilentiæ malum, contradicente & fortiter ſeſe opponente Epiſcopo cum Clero Viennenſi, negante Cæſari tale jus competere 1710. *menſ. Aug.* Obiit 1711. *d.* 17. *April.* ſequente die cadaver balſamo unctum. Cor in Eccleſia aulica, Inte-

ſtina in Eccleſia S. Stephani,& cadaver ipſum apud Capucinos fuit depoſitum. Regimen vicario munere capeſſivit Auguſta Mater *Caroli* Regis abſentis.

In Palatinatu.

Johannes Wilhelmus Elector Palatinus priorem locum inter Electores & dignitatem cum Palatinatu Superiore, quem vi Aureæ Bullæ usque ad bellum Bohemicum 1620. tenuerat, iterùm recepit in Comitiis Ratisbonenſibus 1708. Incolæ Palatinatus inferioris à Jeſuitis preſſi, gregatim emigrantes in Hollandiam & Angliam ſunt profecti. Pars in Americam translata & in Inſulas. Major autem pars domum ſunt reverſi, procurante Angliæ Regina. Ordinem equeſtrem S. Huberti renovavit. 1709. Proteſtantibus in Baronatu Sickingenſi Eccleſiæ atque religionis exercitium fuit reſtitutum 1711. ad mandatum Electoris.

In Bavaria.

Bavari aliquoties rebelles caſtigati. Elector in bannum declaratus & Bavaria à Cæſare nomine Imperii vindicata & Civitati Auguſtanæ ſatisfactum ex ditionibus Bavaricis.

In Saxonia.

Carolus XII. Sueciæ Rex, irruptione in Saxoniam facta,eam occupavit 1706.*d.*2.*Sept.* milites Saxonicos indè ejecit. Regina *Barythum* & Princeps hæreditarius cum matre Regis

Regis *Rendsburgum* in Holſatia ſe recepit. Induciæ quidem in decem hebdomadas inter Suecum & Regimen Dresdenſe pactæ *d.* 25. *Sept* Sed menſtruum tributum DCXXV. M. Joachim, à Suecis exactum, in conventu *Lipſiæ* habito. *Dresdæ* interim à Saxonibus benè munita, & inter fodiendum, centum tormenta ænea, aliusque belli apparatus, in caverna quadam reperta ſunt, ab ætate *Mauritii* Electoris ibi recondita. In Polonia ad *Caliſcham Auguſtus* R. Suecos acie ſuperatos fugavit. *d.* 29. *Octob.* Pace tamen inter utriusque Regis Miniſtros *Piper* & *Hermelin* ex parte Suecorum, atque *Pfingſten* & *im Hoff.* ex parte Regis *Auguſti*, *Ranſtattiæ* concluſa *d.* 14. 24. *Sept.* & ab *Auguſto* ratificata *Petrikoviæ* d. 20. *Octob.* Eam Sueci publicarunt *d.* 26. *Novemb.* In hac pace *Auguſtus*, coronæ Polonicæ in perpetuum renuncians, *Stanislaum* pro Rege legitimo agnovit; retento tamen titulo Regio. Fœderi cum Moſchis renunciavit. In cauſa religionis, nullam immutationem in Saxonia & Luſatia facere promiſit. Auguſtus non diu poſt in Saxoniam profectus, *Dresdæ* Regem *Carolum* amicè & familiariter ſalutavit. Exactiones tamen Suecorum continuatæ ſunt, & ſummam trium Million. menſe Januario confecerant, iisque transactione facta, adhuc XIX. auri tonnæ, ad finem usque Aprilis promiſſæ ſunt. Ordines Belgii fœderati, miſſo legato, Regem *Carolum*, ut Saxo-

 niam,

niam, impleta jam pace, desereret, sollicitarunt, sed frustrà, quippè Sueci in Saxonia permanserunt usque ad 3. *Sept.* 1707. infinito incolarum damno. Posteà Sueciæ Rege ad *Pultowam* acie à Moschis obtrito & in Tartariam fugato 1709. *d.* 15. *Jul.* *Augustus* manifesto publicato, pacem Ranstattensem pro nulla declaravit. *d.* 18. *Aug.* Consiliarios *Pfingsten* & *im Hoff.* in vincula, ceu proditionis reos, conjecit, atque armata manu in Poloniam rediit. Cùmque Sueci, ductu *Crassovii*, novam irruptionem in Saxoniam minitarentur, conventu acto Status Saxoniæ, militem provincialem delectu habito constituerunt. *Dresdæ* amphitheatrum magnificum constructum, ubi Rex *Augustus* rediit 1710. *mense* Januar. Causa Consiliariorum captivorum, duodecim Jurisconsultis commissa, & carcer perpetuus *im Hoffio* dictatus, *Pfingsten* verò capitis fuit damnatus 1711. Ast executio hactenùs suspensa.

In Brandenburgia.

Rex *Fridericus* iter in Hollandiam suscepit, & indè *Hanoveram* pervenit 1706. *d.* 24. *Aug.* ibique Sponsalia Principis hæreditarii *Friderici Wilhelmi*, cum Principe Hanoverana *Sophia Dorothea* confirmata, & nuptiæ *Berolini* celebratæ sunt. *d.* 28. *Novemb.* Mercatus Berolinenses in Nundinas solenniores commutati. *d.* 1. *Novemb.* & dein publico edicto. 21. *Januar.* 1707. confirmati. Judices quoque

que negotiatorii conſtituti. Princeps hæreditarius copiis ſuis in Belgio præfuit. Rex electus eſt Princeps Novicaſtri ad lacum *d.* 3. *Nov.* Luctuoſa peſte, Boruſſiam, Pomeraniam & Poloniam devaſtante, commercium cum his regionibus ſeverè fuit interdictum 1710. & publicæ preces indictæ. Princeps hæreditaria peperit filium *Fridericum Wilhelmum* d. 26. *Aug.* Comes Swerinenſis dynaſtiam *Landsberg* pro Præfectura Stockavienſi & CM. Joachim. cum Rege permutavit. Pietiſtarum ſecta *Berolini* gliſcere incipiens, curiosè fuit impedita & præſecta. Controverſia cum Civitate Colonienſi ſuborta, ob violatum Oratorem Regis ibi ſubſiſtentem 1711. qua de re tamen Regi ſatisfactum. In adminiſtrationem redituum Regiorum inquiſitione habita, Comes Wittgenſteinius & Conſiliarius *Hamrath* carceri traditi, mox tamen iterùm liberati ſunt.

In Domo Brunſvicenſi.

Dux Guelpherbytanus ad caſtra Romanorum tranſiit. Princeps *Ludovicus Rudolphus* ordinem S. Andreæ ad Czaro Moſcovitico accepit 1710. Ejus filia *Eliſabetha Chriſtina* Papismum amplexa, Regi *Carolo III.* Barcinonæ nupſit 1708.

Elector Hanoveranus *Georgius Ludovicus* Succeſſor coronæ Anglicæ à Parlamento fuit declaratus 1706. filiam *Sophiam Dorotheam*, Principi hæreditario Boruſſiæ deſponſavit

1705. Defuncto *Georgio Wilhelmo* Zellensi succedens, homagium Zellæ & Lüneburgi suscepit *mense Decemb.* Princeps hæreditaria filium *Fridericum Wilhelmum* peperit *d.* 31. *Jan.* 1707. Elector exercitum Imperii ad Rhenum ut Locumtenens Generalis duxit. Ann. Eod. Possessionem Electoralem in Comitiis sumpsit 1708. & Archithesaurarius Imperii factus est 1710. Episcopatum Hildesiensem occupavit, ob ingentia gravamina, quibus subditi Evangelici in dicto Episcopatu, contrà pacta & conventa jugiter fuerunt pressi. Quæ res ab utraque parte ad Imperatorem & Comitia delata, atque publicis scriptis excussa fuit. Regi Sueciæ summam pecuniæ mutuam dedit, accipiens jure Antichrestico Verdensem principatum.

In Domo Badensi.

Friderico Magno †. 1710. successit filius *Carolus Wilhelmus* Nat. 1679. *d.* 17. *Jan.* Conjugem sibi junxit *Magdalenam Wilhelminam* filiam *Wilhelmi Ludovici* Ducis Würtembergici Nat. 1677. *d.* 7. *Nov.* desponsat. 1697. *d.* 27. *Jun.* Bellicis expeditionibus ad Rhenum multam sibi peperit famam.

In linea Badensi obiit *Ludovicus Wilhelmus* Locumtenens Generalis Cæsareus 1707. *d.* 4. *Jan.* Ætat. 52. relicto filio successore.

In Sabaudia.

Galli Sabaudiam & Pedemontium occuparunt 1704. & seqq. *Taurinum* obsederunt 1706.

1706. *menſe Junio.* Undè Dux cum familia exceſſit. Sed illi à Principe Eugenio ingenti ſtrage indè rejecti ſunt *d.* 7. *Sept.* Dux Sabaudiæ Pedemontium recuperavit. *Caſaliam* in deditionem accepit *d.* 15. *Nov.* & arcem *d.* 6. *Decemb.* *Toulon* in Provincia ſed fruſtrà obſedit 1708. Sabaudiam ingreſſus Gallos depulit 1709. Ducatum Montisferratenſem integrum ab Imperatore accepit nec non partem Ducatus Mediolanenſis, *Alexandriam*, *Lumellinum* & *Navarram*, & tractus *Vigevanus* fuit poſteà promiſſus, ad interceſſionem Reginæ Angliæ & Hollandorum 1711. Controverſia ipſi exorta cum Papa, occaſiône cenſurarum, quibus Epiſcopus Navarrenſis famulos quosdam Ducis perſecutus fuerat. Undè Præſidem *Gubernatis* Romam ablegavit, qui in ſcripto Papæ exhibito *d.* 7. *Mart.* nomine Ducis petiit: (1.) Ut Papa nullam Juriſdictionem Eccleſiaſticam exerceret in feudis Sabaudicis. (2.) Bannum ab Epiſcopo Navarrenſi vibratum tolleretur. (3.) Nominationem & Collationem beneficiorum Eccleſiaſticorum, Duci in ſuis terris relinqueret. (4.) Nemini indè penſio invito Duce concederetur. Sed actis deſuper multis congregationibus, Papa Epiſcopum contra Ducem fuit tuitus. Quare Dux ejus remotionem poſtulavit, atque militum cohortes quasdam *Ceſiam* miſit. Legatus verò re infecta *Româ* fuit profectus, circà medium *Martii.*

In Helvetia.

Lis inter Abbatem S. Gallensem & Toggios continuavit, multùm & frustrà in Comitiis Badensibus circà illam actum 1705. & 06. Pontificiis Abbatem defendentibus, & Reformatis Toggiis faventibus, Tigurini Legationem *Bernam* miserunt, ibique re deliberata & perpensa, sequentes articuli probati, in Toggio executioni dati, hisque protectio & defensio promissa.

1. *Juramentum provinciale debere præcedere homagium Principi debitum. Vigore Sententiæ A.* 1475. *latæ.*

2. *Libera fruitio juris provincialis.*

3. *Institutio & destitutio Consilii & judicii provincialis. Vi juris & juramenti provincialis, nec non transactionis Rapoldivillanæ A.* 1538.

4. *Abrogatio judicum & ministrorum extraneorum.*

5. *Appellationes interdictæ, nisi iis à judice inferiore specialiter deferatur.*

6. *Collatio beneficiorum & præbendarum iis concessa, qui sunt fundatores & salaria parochis præbent. Salvis tamen aliorum juribus specialioribus.*

Interim Abbas, Helveticas Civitates noluit judices habere, obtendens Toggium esse feudum Imperii, quod illæ omnes ægrè tulerunt. Suitenses in Comitiis provincialibus post longam altercationem, pro subditis contrà Abbatem se declararunt 1707. *d.* 19. *Febr.*

Re

Re deindè mutata, ipsæ Civitates dissederunt, & Suitenses atque Glaronenses soli voluerunt esse judices, atque contrà arbitrium reliquarum sunt protestati, sed frustrà, res enim ad arbitros, *Tigurinos*, *Bernates*, *Basilienses*, *Lucernates*, *Uranios*, *Friburgenses* relata 1709. At ob dissidium totum negotium fuit abruptum. Conventus actus ad Lacum Constantiæ inter Oratorem Cæsaris Comitem *Trauttmannsdorfium*, Comitem *Fürstenbergicum*, Episcopum Constantiensem & Abbatem S. Gallensem 1710. *mense Julio*, Civitates Catholicæ Capitulationem Mediolanensem cum Rege Hispaniæ *Philippo V.* renovarunt, Soloduro, Friburgo & Suitensibus exceptis. Undè in Imperio commercium iis fuit interdictum, atque commeatus in Italia interclusus 1706. *Franciscus Ehrenreich Comes à Trauttmannsdorf.* Orator Cæsareus in Helvetiam rediit 1706. d. 6. Nov. Orator Regis Galliæ *de Puysieulx* certum scriptum Bernatibus communicavit, quod dicebatur inter chartas Oratoris Sabaudici *Mellaredii* interceptas repertum, quo isti videbantur ad certum suprematum exstimulari. Posteà verò idem publici juris per impressionem fecit 1706. quod illi ægerrimè tulerunt, factumque literis datis fuerunt detestati. Apud Genevenses motus intestini orti 1707. Sed prudentia & æquitate Tigurinorum atque Bernatium fuerunt compositi. *Novocastri*

ad lacum, Principatu vacante, disputatum inter Regem Borussiæ, Principem *de Conty*, Principem *de Carignan*, Ducem *Lediguieriam* Comitem *de Matignon* aliosque 1707. Tandem Tribunal, compositum ex Gubernatore, quatuor Consiliariis Status, quatuor Castellanis, & quatuor Ministris regentibus, Principatum & Successionem per sententiam adjudicacit Regi Borussiæ *d.* 3. *Nov.* qui per suum Plenipotentiarium Comitem *à Metternich* possessionem arripuit & homagium recepit. Galli indè infensi sententiam rescindere sunt conati, arma Principatui minitantes. Undè Bernates delectos suos milites ductu *Tscharneri* concivibus suis auxilio submiserunt. Tandem transactione inita possessio quieta Regi relicta, usque ad pacem futuram 1708. Controversia quoque inter Episcopum Basiliensem & Bernates suborta, propter Patrocinium istis competens in subditos & incolas Monasterii Grandisvallis & districtus circumjecti, vi transactionis cum prædicto Episcopo initæ 1486. qua hæc loca belli jure occupata, Principi fuerunt reddita. Res ferè ad arma venit. Pace tamen Nidaviensi fuit composita, & jus Bernatibus denuò assertum. Ingentes quoque turbas apud Rhætos dedit *Thomas Masnerus* Curiensis 1710. Namque cùm ejus filius adolescens XVI. annorum *Genevæ* studiorum causa degens, fraudulosa persuasione cujusdam *Miraculosi*

(*Mer-*

(*Merveilleux*) Novocastrensis, in terras Sabaudicas perductus, à Gallis captus & carceri traditus fuisset. Pater Gallis inimicus, dolore percitus, prædicti *Miraculosi* fratrem, *Curiæ* ast sine charactere publico degentem, negotiis tamen Oratoris Gallici instantem (qui author prædicti raptus perhibetur) armata manu sublatum retinuit captivum. Orator Gallicus propterea iratus, querelas ad *Ligas Grisonum* pertulit, unde res transactione ita fuit terminata, ut captivus liber dimittatur; *Masnerus Solodurum* profectus veniam ab Oratore submissè petat. Filius ejus libertati similiter restituatur. Primo & secundo articulo fuit satisfactum, tertio verò non. Magis itaque afflictus *Masnerus* vindictamque meditatus, Magnum Galliæ Priorem, Venetiis Solodurum profectum, in Præfectura *Sargans* interceptum, *Feldkircham* abduxit captivum *mens. Novemb.* Novæ hinc Oratoris Gallici Comitis *à S. Luca* & ingentes querelæ ad *fœdera Rhætica*, punitionem *Masneri* postulantis. Hujus autem partes defendit & excusavit Minister Reginæ Angliæ *Manningius*, & Cæsareus *Baro de Grith.* Rhæti literis ad Cæsarem datis, restitutionem & liberationem Magni Prioris postularunt, & in aliis literis liberationem *Masneri* juvenis. Neutrum fuit factum. Indè conventu acto, initio Martis 1711. *Masnerus* condemnatus est restituere & reconducere *Magnum Priorem* in eundem locum, ubi

ubi illum interceperat. Sed ab hac sententia, *Masnerus*, edito scripto, appellavit ad universalia Communitatum comitia. Suitenses autem eum proscripserunt & caput ejus CC. Joachim. licitati sunt. Fœdus autem X. judiciorum eum Præfectum Meyenfeldensem creavit. Cæsarianis ductu Comitis *Mercii* agrum Basiliensem contrà pacta *Neutralitatis* Ann. 1702. inita transeuntibus, & Oratore Gallico desuper conquesto, præsidiarii Helvetiorum Basileam fuerunt missi 1709. *mense Augusto.* Basilienses edito scripto innocentiam suam docuerunt. In Comitiis autem observatio *Neutralitatis* denuò conclusa & vis contrà vim decreta.

In Ecclesia.

Romæ diffidium inter Papam *Clementem XI.* & Ducem Lotharingiæ fuit compositum 1706. & quædam dignitates Ecclesiasticæ concessæ. Jubilæum celebratum XV. dierum à *d.* 9. *Decemb.* Tertio festo post Natales Christi, fulmen Templum S. Johannis Lateranensis percussit. Canonisatio Papæ *Pii V.* fuit decreta & hymnus *Te Deum Laudamus* fuit decantatus in Templo S. Mariæ Minervæ *d.* 4. *Aug.* 1710. Cultus Chinensis Jesuitarum publico decreto improbatus *Mense Septemb.* Indulgentiæ plenariæ propositæ iis, qui preces funderent in præcipuis Romanæ Civitatis templis; *Mens. Novemb.* Jesuitæ accusati per P. *Seri* Monachum Jacobinum,

Jacobinum, quòd proselytis Turcis in Archipelago & nominatim in Insula *Chio* permitterent ritus Mahumethisticos, internis animi cogitationibus ad Christum directis, eo modo, quo cultum *Confucii* in China tolerant. 1711. resque confirmata publico testimonio *Angeli Mariæ Carlinæ*, Archiepiscopi Corinthi.

Petrus Coda Archiepiscopus Sebastanus & Vicarius Apostolicus in provinciis unitis, ob Jansenismum damnatus ut obstinatus & sepultura ecclesiastica privatus. d. 14. Jan. per decretum *Inquisitionis*. Anabaptistæ Helvetiâ ob contumaciam ejecti 1711. Syncretismus inter Lutheranos & Calvinistas tentatus. Regiomontii 1707. *Genevæ* Lutheranis exercitium religionis publicè permissum. Ann. eod.

Interregnum sex Mensium.

§. 1. Mortuo Imperatore munus Vicariorum cœpit, nempè Palatini & Saxonis. Ille in Suevia, Franconia & Tractu Rhenano, illud capessivit publicatis literis patentibus *d.* 23. *Aprill.* atque in Successionis controversia inter Sereniss. Principus Nassovicos authoritatem suam interposuit. Judicium Vicariatûs Aulicum instituit *Dusseldorpii*. Iste idem fecit in oris Saxonicis & ubi jus Saxonicum viguit *d.* 3. *Maji.*

§. 2. Judicium Aulicum Viennæ Sessionum & jurisdictionis continuationem petiit,

tiit, sed frustrà; quoniam illud existimabatur vergere in præjudicium authoritatis Vicariatuum. Undè more solito fuit clausum.

§. 3. Elector Moguntinus ut Archicancellarius Imperii per Germaniam, terminum & diem electionis fixit ad *d.* 30. *Jul.* 1711. Electoresque ritè convocavit *Francofordiam* vi aureæ Bullæ Caroli IV. qui terminus dein ad *d.* 20. *Aug.* fuit prorogatus.

§. 4. Coloniensis & Bavarus non attenta illorum contestatione & protestatione, neque Nuntii Pontificii *Albani* intercessione, ab Electione exclusi.

§. 5. Comitia Ratisbonensia interim fuerunt continuata, ibique materia Capitulationis perpetuæ repetita, prout factum erat Ann. 1669. & 70. & de qua formanda Collegium Principum *projectum* exhibuerat Collegio Electorali *d.* 30 *Dec.* 1709. Sine difficultate res non processit & Collegium Civitatum Imperial. monita sua ad prædictam Capitulationem Directorio Moguntino exhibuit *d.* 15. *Jun.* Processit tamen in tantum, & projecta invicem fuerunt collationata *d.* 4. *Jul.* & *d.* 7. articuli *de declarando Statum Imperii in bannum*; *De eligendo Rege Romanorum vivente Imperatore* & *de Ordinatione Judicii Aulici* finiti, reliqui autem post electionem dilati & ad Comitia rejecti sunt.

§. 6. Comes *Fontarini* Legatus Ducis Guastallæ, successionem in Ducatum Mantuanum

num sibi petiit, ut proximus agnatus defuncti Ducis *Ferdinandi Caroli.*

§.7. Electores Francofordiæ præsentes, absentiumque Legati, primum congressum habuerunt *d.* 25. *Aug.* Nuntius Pontificis, locum suprà Electores & restitutionem *Commachii* petiit; sed neutrum obtinuit. Capitulatio Imperatoris eligendi in fine *Septembris* perfecta & in XXX. articulos distributa fuit. Ipsa verò electio novi Imperatoris *d.* 12. *Octob.* feliciter fuit finita.

In Hungaria.

Post inducias pax *Debrezini* cum Hungaris fuit conclusa, atque articuli subscripti *Zathmariæ d.* 29. *Apr.* 1711. Omnibus Amnestia concessa atque Ragotzkio terminus à Kalendis Majis usque ad Kalendas Junii positus. Constitutiones Regni religionem concernentes aliaque privilegia incolis confirmata. Restitutio bonorum ademptorum promissa & discussio gravaminum ad futura comitia rejecta. Indè homagium ab Hungaris præstitum, signa militaria Comiti *Palfio* cum *Cassovia*, *Ungwaria* aliisque locis tradita, excepta *Mongatsch* arce *Ragotkii*, quæ deditionem renuit, ad quam tamen mense Junio fuit coacta. *Ragotskio, Berezenio, Esterhasio* & *Forgatschio* terminus acceptandæ amnestiæ prolongatus; quem tamen neglexerunt. Cardinalis Zizensis Regni primas, *Posonium* venit initio *Septemb.* & Præparatio ad coronationem *Caroli* Imp. fieri cœpit.

In Austria.

Sereniss. Rectrix, præsidiariis urbis *Viennæ* inhibuit, in circumlatione *Venerabilis* nulli Ministrorum Protestantium molestiam facessere. Legatus Turcicus aulæ valedixit *d.* 16. *Maji.* 1711. atque domum fuit reversus non diu pòst. Imperatrix regens parsimoniæ & Oeconomiæ incumbens, superfluum famulor. Musicor. Venatorum numerum diminuit. *Carolus* Imperator Consilium Statûs formavit, compositum ex Germanis, Hispanis & Italis, numero XLIV. quibus CXXVI. Titulares adjuncti.

In Palatinatu.

Elector Vicariatum exercuit, atque electioni novi Imperatoris præsens interfuit & munere *Archidapiferatus* fuit functus.

In Saxonia.

Rex & Elector Vicariatum exercuit Literæ tamen ejus patentes à regiminibus Suecicis *Stettini* & *Stadæ* non fuerunt receptæ, ob usurpatum titulum *Regis Poloniæ*. Magnus militum delectus in Saxonia habitus. Princeps Electoralis primùm in Consilio Secretiori sessionem habuit. Indè cum Augusto Parente *Jaroslaviam* in Poloniam fuit profectus ad invisendum Imperatorem Moscoviæ, ubi *d.* 2. *Junii* advenerunt, habitoque colloquio in Saxoniam se receperunt, juncti *Pragæ* Nuntio & Nepoti Pontificio *Albani*. Elector ad electionem Imperatoris *Francofordiam* ablegavit,

legavit, *Ottonem Henricum* Comitem *de Friesen.* Comitem *de Werthern* & Baronem *de Haaken.* Princeps Electoralis eodem se contulit. Rex ad exercitum versùs limites profectus, in Pomeraniam irrupit, publicato manifesto *d.* 20. *August.* causam irruptionis publicavit.

In Brandenburgia.

Rex, itinere in Belgium suscepto, *Hagas Comitum* venit *d.* 5. *Jun.* 1711. ibique negotium controversum cum *Johanne Wilhelmo Frisone* Principe Nassovio-Auraniæ, de successione Auraniensi seu *Wilhelmi III.* Angliæ R. ursit, qua occasione prædictus Princeps, dùm *Hagas* contenderet, in aquis infeliciter periit, relicta conjuge prægnante cum qua Rex conventionem in futurum iniit, eoque facto domum fuit reversus, & *Potsdam* pervenit *d.* 21. *Aug.* *Berolinoque* fuit redditus *d.* 20. *Octobr.* postquàm venatûs voluptate per autumnum fuisset fruitus. *Francofordiam* ad Electionem Imperatoris misit, Comitem *de Dohna*, *Henningesium* (hocque apoplexia defuncto) Comitem *de Metternich* & *Mardefeldium.*

In Domo Brunsvicensi.

Negotium Hildesiense, interpositione Episcopi Monasteriensis, fuit finitum in favorem Electoris & incolarum protestantium, & copiæ abductæ *Mense Majo* 1711. Legatos ad electionem Imperatoris misit Baronem *Görzium* & *Schraderum.* Ff *In*

In Sabaudia.

Dux, Vicariatum gessit, atque inter Duces Mutinensem & Parmensem, litem de Insula in *Pado* flumine ad ostium *Lenzæ* sita armis agentes, authoritatem suam interposuit. Sabaudiâ Gallos depulit. Ast mox in Pedemontium cum exercitu reversus, eandem dereliquit.

In Helvetia.

Negotium Masnerianum inquietos tenuit Rhætos. Magnus Prior libertati fuit redditus ea conditione, ut *Masnerus* filius & Centurio *Renaldus* (qui Soloduri à Gallis fuerat interceptus noctu) similiter restituerentur quo non facto, intrà trimestre spatium, in captivitatem reverteretur. Austriacis transitus per Rhætos clausus. *Thomas Masnerus* absens à Judicio Criminali, *Ilantzii* convocato *d.* 17. *Aug.* 1711. Læsæ Majestatis, perduellionis, raptus, falsæ monetæ &c. fuit damnatus, bona confiscata & executio in ejus effigie facta, caputque M. Aureis Hungar. æstimatum. Ille verò protectione gaudens Cæsarea *Apologiam* publicavit. Liberationem filii hactenùs frustrà à Gallis postularunt Rhæti. Controversia inter Bernates & Episcopum Basiliensem renata, ob incolas Pontificios, qui in rupe vallis Monasteriensis consederant, contrà conventionem Nidaviensem. Episcopales Legati Bernam missi, re infecta discesserunt *mense Majo* 1711.

banum

bañum Papale caussati, si quicquam cederent. Conventus inde reformatorum *Aroviæ* actus & res ad arma inclinavit *Bernæ*. Postquàm verò Elector Palatinus per literas se apud Bernates interposuisset, atque Episcopus in emigrationem prædictorum incolarum consensisset, lis pacifica transactione fuit terminata *Arbergæ* mense *Julio*. Bernates impensas belli remiserunt, ea tamen conditione, ne in posterùm quicquam contrà pacta conventa innovaretur.

In Ecclesiâ.

Romæ. Lis inter Jesuitas & reliquos Missionarios duravit, & conciliatio à Papa frustrà tentata. Episcopos à Philippo V. Hispaniæ R. nominatos Papa confirmare renuit; undè Rex desuper fuit protestatus. Nepotem suum *Albani* Papa, *Viennam* & deindè *Francofordiam* ablegavit, ut restitutionem Electorum Bavariæ & Coloniensis urgeret, atque electioni atque tractatibus interesset. Sed conatus fuit ubique irritus. Inter rudera & ruinas veteris arcis Quedlinburgensis, rari & antiqui libri manuscripti fuerunt reperti, qui pertinere dicuntur ad ætatem antiquorum Regum Saxonicorum. In Hungaria & Palatinatu protestantes fuerunt restituti.

XLVIII.

(13.) CAROLUS VI. Frater. Nat. 1. *Octob.* 1685. Imperator electus *d.* 12. *Octob.* 1712. *Francofordiæ*, coronatus ibidem *d.* 22. *Decemb.*

§. 1. Thori sociam assumpsit, Sereniss. Elisabetham Christinam filiam Ducis Ludovici Rudolphi Guelpherbytani Nat. *d.* 28. *August.* 1691. nuptiæ consumatæ *Barcinonæ* *d.* 30. *Jun.* 1708. Quam in Germaniam ad capessendum Imperium reversus, ibi, paternæ in fideles subditos affectionis pignus, reliquit Reginam. Evacuata verò post pacem cum Anglis & Lusitanis conclusam Cataloniam, indè navibus profecta Anglorum, Genuæ appulit, & continuato per Mediolanum itinere, Oenipontem publicè ingressa est *d.* 14. *Maji* 1713. Descendens dein navibus Oenum & Danubium, Imperatori ad Lincium obviam facta, tandem iterùm fuit conjuncta *d.* 18. *Jun.* Ibi paucis diebus ab itineris molestia quiescendo morata, Viennam profecta pervenit *d.* 11. *Jul.* Sterile verò conjugium, liberos nondum dedit subditorum voto.

§. 2. Rex Hispaniæ proclamatus Viennæ & in Belgio, in Hispaniam, classe vectus Anglica, fuit profectus A. 1703. & post aliquam tempestatum moram *Ulyssibonæ* appulit. *d.* 6. *Mart.* magnificentissime exceptus. Copias auxiliatrices Anglorum & Belgarum trajecit. Dux

Dux Schauenburgicus *Gibraltar* oppidum freto Herculeo imminens expugnavit An. 1704. addita mox *Barcinona*. Secuta est totius Cataloniæ, Arragoniæ & Valentiæ, nec non Balearium subjectio Ann. 1705. Sed infelix ad *Almansam* conflictus Arragoniam & Valentiam iterùm obstulit. Catalonia verò, dura obsidione pressa, sed ipso Solaris eclypsis die liberata *Barcinonâ*, 1706. in fide fuit servata. Philippum adversarium acie ad Almeneram fugavit Ann. 1710. & Madritio fuit potitus. Sed retinere nequivit, ob rerum necessariarum inopiam & Lusitanorum tarditatem. In receptu, Starrenbergius hostes terga prementes, forti & cruento repulsu rejecit.

§. 3. Accepto de morte Augustissimi fratris *Josephi* nuncio, Catalonia relicta, in Germaniam fuit profectus & Mediolanum pervenienti, Comes Windischgrazius primus occurrit nuncius, electionem in Imperatorem ipsi afferens, & mox, Carolus Palatinus Tyroli Præfectus, Diploma electionis ab Electoribus transmissum attulit.

§. 3. Auditis dein Pontificis, Genuensium & Venetorum legatis, Mediolano profectus, per agrum Mantuanum & Venetum, *Oenipontem* introiit, ibique homagium à subditis recepit, iisque nova quædam privilegia indulsit *d.* 24. *Nov.* 1711. Indè abscedens *Augustam Vindeliciam* invisit, promotoque *Francofordiam* itinere, illam urbem solenni introitu condecoravit *d.* 19. *Dec.*

§. 4. Pridie ejus diei, Legati Aquisgranenses, insignia custodiæ suæ commissa, nempè, Capsulam cum sanguine S. Stephani, ensem Caroli M. Baltheum & librum Evangelicorum, attulerunt. Quibus Norimbergensium, nimirùm corona, annulus, sceptrum, pomum, sandalia, gladius, cingulum, vestis Dalmatica, paludamentum, Stola aurea, fuerunt insecuta.

§. 5. Omnibus itaque ad coronationis festum ritè præparatis, præstitisque priùs præstandis, ipse coronationis actus solenni pompa & magnifico splendore *d.* 22. *Decemb.* fuit peractus, eoque finito XXIX. equites creati. Vice-Thesaurarius Imperii Comes Sintzendorfius missilia aurea & argentea in populum sparsit; quibus, ab uno latere, imago novi Imperatoris erat impressa, cum epigraphe, CAROL. VI. D. G. Rom. Imp. S. A. G. H. H. & B. REX &c. in parte aversa conspiciebantur insignia imperii altare prementia, cum lemmate: *Regit, defendit & ornat.*

§. 6. Sumptis dein Francofordiæ & Norimbergæ homagiis, Viennam intravit ingenti civium jubileo & acclamatione *d.* 16. *Jan.* 1712.

§. 7. Hinc in rebus Aulicis, servos aulicos diminuit, expensas nimias contraxit, redituum solertem curam egit. Judicium aulicum pristino cursui reddidit. Edictum de abbreviandis litibus publicavit 1713.

§. 8. In rebus Imperii, Ducum Megalopolitan. querelæ contrà Saxonum & Danorum vaſtationes & exactiones auditæ A.1712. iisque protectio Imperii decreta percomune Collegiorum concluſum. Sed nihil proficiunt adverſus armatos calamus & verba. Undè Dux Suerinenſis exhauſtis ſubditis, auxilia ſua ab exercitu Imperii avocavit.

Materia capitulationis perpetuæ in comitiis incudi reddita, *menſe Octob.* 1712. Sed opponente Rege Boruſſiæ (cui, articuli de Boruſſia & Helvetia inſerti diſplicuerunt) iterùm abrupta & dilata eſt.

Abbas S. Gallenſis & Epiſcopus Conſtantienſis, de Helveticis Civitatibus Tiguro & Berna, apud conventum Imperii conqueſti, auxilia petierunt, ſed fruſtrà, illis cauſæ ſuæ juſtitiam per legatos abundè exponentibus An. 1712. & 13.

Pax cum Gallis, ab Anglis propoſita & à reliquis fœderatis accepta, *d.* 11. *April.* 1713. ab Imperatore & Imperio fuit rejecta, utpotè inſidioſa, injurioſa & ignominioſa, bellique continuatio decreta in comitiis.

Ingruente dein peſtilentiæ metu, comitia Ratisbonâ, Auguſtam Vindel. fuerunt translata *menſe Auguſto.* Wiennam tamen peſte afflictam, Imperator deſerere noluit.

§. 9. In rebus bellicis, Princeps *Eugenius*, collectis Imperii & Imperatoris copiis, ad Rhenum conſedit. Interim Galli Duce *Vil-*

lario, propugnaculum Germanorum, in citeriore Rheni ripa, è regione *Mannhemii* exstructum, post obsidium X. dier. à præsidiariis desertum, occuparunt *d.* 28. *Jun.* Indè *Landaviam* acri & cruenta obsidione cinctam, in deditionem cum præsidiariis acceperunt, *circà finem Augusti.* Trajecto dein Rheno, *Vaubonnium* cum delecta manu Sylvæ Hercinix aditus claudentem, statione sua dejecerunt & *Friburgum* Brisgojæ obsidentes, post fortem *Harschii* Præfecti defensionem, ad deditionem compulerunt *mense Novembri.* Ulteriores progressus, vigilantia Principis Eugenii, hyems imminens & exercitus Gallici afflictio ex duro & inquieto labore proveniens, spes quoque pacis superveniens & colloquium propterea *Rastattæ* habitum inter utriusque exercitus Duces, stitit.

§. 10. Cæterùm Imperator Cataloniam, extractis indè cum Imperatrice copiis, invitus quamvis deseruit An. 1713. Statibus & provinciis Italicis tributa imperavit. Marchionatum *Final* Genuensibus pro 1200000. thaleris vendidit.

§. 11. Neapoli conjuratio in lucem prodita, & Dux Bisacciæ à Prorege Comite Borromeo in vincula conjectus An. 1712. cum multis aliis. Borromeo suffectus Comes Thaunius in fine mensis *Maji* 1713. Neapolim fuit ingressus. Tribunalibus justitiam commendavit, regnumque bannitis & latronibus

nibus purgare allaboravit. Incendium Vesuvii, ab aliquo tempore, accolis terrificum, factis induciis cessavit, hoc Anno 1713. Inducias bellicas vice Rex publicavit, in fine *mensis Junii.* Acris controversia exorta cum Archiepiscopo & Clericis, circà immunitates Ecclesiarum, dolosis & atrocibus delinquentibus, Veneficis &c. asylum præbentium, quas restringere Vice-Rex publicè utile & necessarium judicavit.

In Hungaria.

Comitia regni *Posonii* habita, & corona regia, (quæ durantibus motibus Hungaricis *Viennam* fuerat translata) tradita Comiti *Palfio* & *Callowizio* custodibus 1712. 14. *April.* Inde Cæsar ipse in Hungariam fuit profectus & solenni ritu coronam accepit *Posonii d.* 22. *Maji.* Hungari lineam femininam à successione decreto Comitiali ex cludendam, atque solis indigenis, majora atque præcipua Regni officia & dignitates concedenda, terras etiam atque bona Protestantibus adempta, his à possessoribus restituenda censuerunt. Sed Regius consensus hactenùs deficit, & Protestantes magis magisque gravantur. Princeps Ragotzkius, spe auxilii Turcici destitutus per Poloniam in Angliam & Franciam fuit, profectus & Parisios pervenit, *mense Januar.* 1713. ubi annum transegit totum.

In Austria.

Carolus VI. Imp. regimen à matre accepit

& quasdam circà aulæ officia fecit mutationes. Homagium ab Auſtria inferiori accepit. *d.* 8. *Nov.* 1712. Diem D. Andrææ, ordini equeſtri Aurei Velleris feſtivum, ſolenni pompa Viennæ celebravit. Montem pietatis reſtauravit. Cæterùm, Sereniſſima iſthæc familia conſtat hodiè perſonis ſequentibus.

CAROLUS VI. Imp. nat. 1. *Octob.* 1685. Uxor. ELISABETHA CHRISTINA. nat. 28. *Aug.* 1691. filia, *Ludovici Rudolphi* D. Brunſvic. Guelpherbyt. duct. 1708. Mater Imperatoris eſt Sereniſſima ELEONORA MAGDALENA. nat. 6. *Jan.* 1655. filia *Philippi Wilhelmi* Elector. Palatin. nupt. cum *Leopoldo I. Imp.* 26. *April.* 1676. vidua 1705.

Sorores Imperatoris ſunt.

1. *Anna Eliſabetha*, nat. 23. Dec. 1680.
2. *Maria Anna*, nat. 7. *Sept.* 1683. nupta 1708. cum *Johañe V.* Rege Portugalliæ.
3. *Maria Magdalena*, nat. 26. *Mart.* 1689.

Vidua Imperatoris *Joſephi I.* †. 1711. eſt WILHELMINA AMALIA, nat. 26. *April.* 1673. filia *Johannis Friderici* D. Hanover. nupt. 1699. Ex qua vivunt

1. *Maria Joſepha*, nat. 8. Dec. 1699.
2. *Maria Amalia*, nat. 22. Octob. 1701.

In Palatinatu.

Adhuc laudabiliter præeſt Elector. JOHANNES WILHELMUS, nat. 19. *April.* 1658. 2. Uxor.

2. Uxor. ANNA MARIA, nat. 11. *Aug.* 1667. nupt. 27. *Maji* 1691. *Cosmi III.* D. Hetrur. †. 1713.

Fratres Electoris sunt

1. *Carolus Philippus*, nat. 4. *Novemb.* 1661. Gubernat Tyrolim & *Oeniponti* habitat. Carolo Cæsari diploma electionis *Mediolanum* pertulit; viduus factus 1712. duas habet filias,

1. Sophiam Augustam. Nat. 1693.
2. Annam Elisabetham Theophilam. Nat. 1709. d. 9. Jun.

2. *Alexander Sigismundus.* Nat. 16. Apr. 1663. Electus Præsul Augustanus 169.

3. *Fanciscus Ludovicus.* Nat. 24. Jul. 1664. Electus Præsul Uratislaviensis 1689 Præpositus Elwangensis. Magnus Magister Ordinis Teutonici & Præsul Wormatiensis 1694. Coadjutor Archiepiscopi Moguntini 1710. d. 5. Nov.

Neptes ex fratre *Philippo Wilhelmo* †. 1693. & *Annæ Mariæ Franciscæ* Lauenburg. sunt duæ.

1. *Leopoldina Eleonora.* Nat. 22. Oct. 1691.
2. *Maria Anna Carolina.* Nat. 3. Jan. 1691.

In linea *Sultzbacensi* sunt superstites.

THEODORUS Nat. 14. Febr. 1659. Uxor. MARIA ELEONORA AMALIA. Nat. 25. Sept. 1675. filia *Wilhelmi* Hass. Rodenburg. nupt. 1692. quæ peperit,

1. *Josephum Carolum Emanuelem* Nat. 2. Nov. 1694.

2. *Johannem Christianum.* Nat. 23. Jan. 1700.
1. *Mariam Annam.* Nat. 7. Jun. 1693.
2. *Christinam Franciscam.* Nat. 26. Maj. 1696.
3. *Ernestinam Elisabetham.* Nat. 15. Maji 1697.

In linea *Bipontina* vivit.

CAROLUS XII. Seciæ Rex Nat. 24. Jun. 1682. Regimen capessivit 1697. Qui bello implicitus acri cum Moschis, Saxonibus & Polonis, post varias & insignes victorias reportatas, infeliciter commissa ad *Pultovam* in Russia pugna, fuit obtritus 1709. & ad Turcas confugiens hactenùs *Benderæ* commoratus est. Ducatum Bipontinum gubernat, *Baro de Strahlenheimb.* ab Anno 1710.

Soror Regis superest unica.

Ulrica Eleonora. Nat. 23. Jan. 1688.

In linea *Birckenfeldensi* superest.

CHRISTIANUS II. Nat. 22. Jun. 1637. Regis Galliæ stipendia meruit. Undè post obitum soceri sui *Jacobi* ultimi Comitis, ejus Comitatum *Rappolstein* obtinuit.

Uxor. *Catharina Agatha* Cop. 1667. †. 1683. ipsi peperit adhuc viventes.
1. *Christianum III.* Nat. 7. Nov. 1674.
2. *Ludovicam.* Nat. 18. Octobr. 1678 Nuptam 1700. *Anthonio Ulrico* Comiti Waldecc.

Nepo-

Nepotes & neptes ex fratre *Johanne Carolo* Gelnhausensi †. 1704. sunt.

1. *Fridericus Bernhardus.* Nat. 1697.
2. *Johannes.* Nat. 1698.
3. *Wilhelmus.* Nat. 1699.
1. *Magdalena Juliana.* Nat. 1686. Nupta 1704. *Joachimo Friderico* D. Holsat. Nordburg.
2. *Carola Catharina.* Nat. 1699.

In Saxonia.

Mosckoviæ Czarus *Dresdam* venit. Rex Danis & Moschis junctus, facta irruptione in Pomeraniam Suecicam, *Stralsundiam* & dein *Wismariam*, sed utramque frustrà obsedit 1711.

Suecis dein in Holsatia, ad angustias & deditionem adactis, pedem cum fœderatis in Pomeraniam retulit, Rugiamque Insulam, & Stettinum occupavit.

Conspirationem passus in Polonia, authore Sablonowskio Palatino Russiæ; qui, re patefacta, in Saxoniam captivus fuit abductus A. 1713. mense *Augusto*.

Serenissimæ Saxonum Familiæ Sequentibus nunc gaudent surculis.

In linea *Electorali* vigent.

FRIDERICUS AUGUSTUS. Nat. 12. Maj. 1670. Elector. 1694. Rex Poloniæ 1697.

Uxor. CHRISTINA EBERHARDINA. Nat. 19. Dec. 1671. filia *Christiani Ernesti* Barythin. nupt. 1693. Mater.

Friderici Augusti. Nat. 18. Octob. 1696.

Qui

Qui iter in Italiam suscepit 1712. Venetias, Florentiam, Genuam aliaque loca invisens.

In linea *Weissenfels* vivunt.

CHRISTIANUS. Nat. 23. Febr. 1682. fratri *Johanni Georgio* †. 1712. d. 16. Mart. successit.

Ux. LUDOVICA CHRISTINA, Com Stollberg. Nupta. 11. Maji 1712.

Fratres & Sorores habet.

Johannem Adolphum. Nat. 4. Sept. 1685.

Magdalenam Sibyllam. Nat. 2. Septem. 1673. Nuptam. 1708. *Johanni Wilhelmo Isenac.*

Johannam Wilhelminam. Nat. 20. Jan. 1680.

Annam Mariam. Nat. 17. Jun. 1683. Nupt. 1705. *Erdmanno* Comiti in Promnitz.

Sophiam. Nat. 11. Aug. 1684. Nuptam 1699. *Georgio Wilhelmo*, Principi hæreditario Barythino.

Neptes ex fratre defuncto adsunt.

Johanna Magdalena. Nat. 17. Mart. 1708.

Friderica Amalia. Nat. 28. Febr. 1712.

Ex patruis superstites sunt.

1. *Henricus*. Nat. 29. Sept. 1659. Barbiæ residens, religionem reformatam amplexus 1689. Ex uxore *Elisabetha Albertina* Afcanica Nupt. 1686. †. 1706. natos habet.
   1. *Georgium Albertum*. Nat. 9. Apr. 1694.
   2. *Henricam Mariam*. Nat. 1. Mart. 1697.
2. *Fridericus*. Nat. 20. Novemb. 1673.

Uxor.

Uxor. *Æmilia Agnes* Com. Reuſſ. Schlaitz. Ducta. 13. Febr. 1711.

Denique ex Patruo *Alberto* †. 1692. ſupereſt filia *Chriſtina*. Nat. 27. Jul. 1690.

Ditiones hujus lineæ ſunt.

1. In Thuringia, *Sachſenburg*, *Eckersberg*, *Weiſſenſee*, *Freyburg*, *Sangershauſen*, *Langenſaltz*, *Nebra*, *Sattinbach*, *Heldrungen*, *Wendelſtein* & *Weiſſenfels*.

2. Quatuor Præfecturæ, *Quernford*, *Burgk*, *Dam* & *Jüterbok*. Olim ad Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ſpectantes; ſed in pace Pragenſi & dein Weſtphalica indè exemptæ & teſtamento *Johannis Georgii I.* Electoris, filio ſecundo *Auguſto* datæ. Cujus filio *Johanni Adolpho* †. 1697. Elector Brandenburgicus litem movit, propter Dominium directum in prædictas Præfecturas. Illa autem Anno 1687. fuit compoſita atque Electori Præfectura *Burgk* certis conditionibus ceſſa, facta ab Eo in reliquas renunciatione.

In linea *Mörſeburgica* virent.

MAURITIUS WILHELMUS. Nat. 5. Febr. 1688. Patri *Chriſtiano* ſucceſſit. 1694.

Uxor. HENRICA CAROLA. Nat. 28. Nov. 1696. filia, *Georgii Auguſti* Com. Naſſov. Idſtein. Nupt. 4. Nov. 1711.

Fratrem habet ſuperſtitem.

Fridericum Erdmannum. Nat. 20. Sept. 1691.

Ex Patruis adhuc vivunt.

1. *Auguſtus*, Zörbius. Nat. 15. Febr. 1655.

Uxor.

Uxor. Hedwig. Eleonora. Nat. 1666. filia *Gustavi Adolphi*. D. Megalop. Gustrov. nupt. 1686. Mater

Carolæ Augustæ. Nat. 10. Mart. 1691.

2. *Henricus*, Spremberg. Nat. 2. Sept. 1661. Uxor. *Elisabetha*. Nat. 1668. filia *Gustavi Adolphi*. D. Megalop. Gustrov. Nupt. 1692. Quæ peperit.

Christinam Fridericam. Nat. 7. Maji 1697.

Ditiones hujus lineæ sunt.

1. *Episcopatus Morseburgicus* ad Salam. Hunc Elector *Johannes Georgius I.* in suo testamento 1652. condito, addixit filio suo *Christiano*. Cui Elector *Johannes Georgius IV.* controversiam de immedietate movit 1692.

2. *Lusatia inferior*.

3. *Dobrilung*, *Finsterwald*, *Bitterfeld*, *Delitzch* & *Zörbig*.

In linea *Zizensi* florent.

MAURITIUS WILHELMUS. Nat. 12. Mart. 1664. Patri *Mauritio* Successit 1681. Uxor. MARIA AMALIA. Nat. 1670. filia *Friderici Wilhelmi*, Elector. Brandenb. Nupt. 1689. Mater

Dorotheæ Wilhelminæ. Nat. 1691. Fratres habet

Christianum Augustum. Nat. 9. Oct. 1666. Qui religionem Romanam amplexus 1691. Episcopatum Rabensem in Hungaria obtinuit 1696. Factus dein Archiepiscopus Strigoniensis, Primas Regni & Cardinalis 1706.

Fride-

Fridericum Henricum. Nat. 21. Jul. 1668. resìdet *Pegaviæ*

2. Uxor. *Anna Friderica*. Nat. 4. Jul. 1665. filia *Philippi Ludovici* D. Holsat. Wiesenburg. Nupt. 1702. Ex qua natus est. *Mauritius Adolphus*. Nat. 2. Dec. 1702.

Ditiones lineæ *Zizensis* sunt.

1. *Episcopatus Naumburgensis* ad *Salam*.

2. Pars Principatus *Hennebergici*, nempè Præfecturæ & oppida *Schleusingen*, *Suhla*, *Kuhndorf* & *Bentzhausen*, nec non Cœnobia *Vesser* & *Rohr*. Ex divisione terrarum Anno 1660. facta.

3. In *Thuringia*, Præfecturæ *Weida*, *Arnhag*, *Ziegenrück*, *Tautenberg*, *Frauenprising*, *Niderweben*, *Voitsberg*, *Plauen*, *Pausen*, *Tribitz*.

Rami *Stirpis Ernestinæ* virentes sunt.

1. *In linea Vinariensi*.

WILHELMUS ERNESTUS. Nat. 19. Octob. 1662. Patri *Johanni Ernesto* successit 1683.

Ex Uxore CAROLA MARIA. Jenensi quam repudiarat 1690. †. 1703. suscepit nullos liberos.

Nepotes ex fratre habet.

Ernestum Augustum. Nat. 1. April. 1688.
Johannam Carolam. Nat. 23. Nov. 1693.
Johannem Ernestum. Nat. 26. Dec. 1696.

Ditiones lineæ *Vinariensis* sunt.

1. Ducatus Vinariensis.

2. Ex Principatu Hennebergico, *Ilmenau, Kalten Northeimb*, & *Zilbach*.

2. In linea *Isenacensi* florent,

JOHANNES WILHELMUS. Nat. 17. Octobr. 1666. patri *Johanni Georgio* †. 1686. post fratrem cognominem †. 1698. successit. Ex priore conjuge *Amalia* Nassovica †. 1695. suscepit,

Wilhelmum Henricum. Nat. 10. Novemb. 1691. Uxor. *Albertina* Nassov. Idstein. Nupt. Jan. 1713. Ex secunda Christiana Juliana Badensi †. 1707. habet,

Joh. Anthoniam Julianam. nat. 21. Febr. 1698.

Carolinam Christinam. Nat. 15. Apr. 1699.

Carolam Wilhelminam. Nat. 27. Jun 1703.

3. Uxor. MAGDALENA, SIBYLLA, Soror Ducis Weissenfels. nupt. 1708. Mater

Johannæ Magdalenæ Sophiæ. nat. 19. Aug. 1710.

Johannis Wilhelmi. Nat. 28. Jan. 1713.

Ditiones hujus lineæ sunt,

Isenacum, *Altstetta* (Sedes quondam Saxoniæ Palatinorum) & *Jena* cum appertinentiis.

3. In linea Gothana.

à Gothæ.

FRIDERICUS II. Nat. 28. Jul. 1676. patri *Friderico* successit 1691.

Uxor. MAGDALENA AUGUSTA. Nat. Nupt. 1696. Quæ ipsi peperit

Fridericum. Nat. 14. Apr. 1699.

Wilhelmum. Nat. 12. Mart. 1701.

Johannem Augustum. Nat. 17. Feb. 1704.

Christianum Wilhelmum. nat. 28. Maji 1706.

Erneſtum Ludovicum. Nat. 1707.
Mauritium. Nat. 11. Maji 1711.

b. *Maynungæ.*

ERNESTUS LUDOVICUS. Nat. 7. Oct. 1672. patri Bernhardo ſucceſſit 1706.
Uxor. DOROTHEA MARIA. Nat. 22. Jan. 1674. filia *Friderici I.* D. Gothani Nupt. 1704. 19. Sept. Mater
Joſephi Bernhardi. Nat. 1706.
Anonymi. Nat. 8. Aug. 1709.
Fratres & Sorores Ducis ſuperſtites ſunt.
Fridericus Wilhelmus. Nat. 1679.
Eliſabetha Erneſtina. Nat. 1681.
Eleonora Friderica. Nat. 1683.
Wilhelmina Ludovica. Nat. 1686.
Anthonia Ulrica. Nat. 1687.

c. *Römhildæ.*

HENRICUS. Nat. 1650. Qui autem diem ſuum clauſit improlis A. 1710. 13. Maji. Ejus ſucceſſio litem & arma cauſavit inter Maynungenſem & reliquos agnatos. Quæ autem Cæſarea prudentia & authoritas ſuſpendit, edito ad Maynungenſem reſcripto.

d. *Hilpershauſæ.*

ERNESTUS. Nat. 1655. patri Erneſto pio †. 1675. ſucceſſit. Ex uxore *Henrica Sophia* Waldeccenſi †. 1702. ſuſcepit
Erneſtum Fridericum. Nat. 1681.
Uxor. *Sophia Albertina.* Nat. 1683. filia *Georgii Ludovici* Com. Erpac. Nupt. 1704. Mater

Ernesti Ludovici Hollandini. Nat. 1704.
Anonymi. Nat. 1707.
e. *Saalfeldæ*.
JOHANNES ERNESTUS. Nat. 1658.
Succeſſit Patri *Erneſto pio* 1675. Ex duplici matrimonio ſequentes progenuit liberos.
Chriſtianum Erneſtum. Nat. 1683.
Wilhelmum Fridericum. Nat. 1691.
Carolum Erneſtum. Nat. 1692.
Franciſcum Joſiam. Nat. 1697.
Carolam Wilhelminam. Nat. 1685. Uxorem *Philippi Reinhardi* Princip. Hanau. Nupt. 1705.
Sophiam Wilhelminam. Nat. 1693.
Henricam Albertinam. Nat. 1698.

IN DOMO BRANDENBURGICA.

Fridericus Rex, arcem Mörſenſem, per Principem Aſcanicum, armis occupavit, titulo hæredis Auriaci 8. *Nov*. 1712. moxque à Civibus homagium recepit. Morbo verò oppreſſus, regium ſpiritum, ingenti ſuorum luctu reddidit 25. Febr. 1713. Ætat. 56.

Succedens filius *Fridericus Wilhelmus* aulam regiam reformavit & coarctavit. Helvetios ſatellites C. dimiſit exauctoratos. Bellum cum Galliæ & Hiſpaniæ Regibus à patre relictum, pace terminavit *Ultrajecti* 11. April. 1713. qua, *Regiæ Majeſtatis* prædicatum, nec non *liberi Principis Novocaſtrenſis* titulum obtinuit. Principatui *Auraniæ* renun-

renunciavit, servatis insignibus & titulo, acceptisque invicem urbe *Gueldria* cum districtu & Præfecturis *Kessel* & *Kirchbeck*. Legiones militares insigniter adauxit. Commissarios justitiæ in provincias ablegavit. Colloquium *Schwedæ* habuit ipse præsens, cum Legatis Russis, Danis, Polonis, Saxonibus & Hanoveranis, *mense Julio*. In quo de sequestrandis Suecorum in Pomerania ditionibus actum, eique Stettinum posteà captum, fuit traditum, pro nummis solutis.

Edicto publicato *d*. 3. *Junii*. Lanifices pannifices, artifices atque commerciis industriam operam navantes, præmiis & favoribus excoluit, excitavit, fovit. Duella quoque, alio edicto proposito, severè inhibuit; ut vindictæ acerbitas, intrà legitimos Justitiæ cancellos cogeretur.

Literis ad summos fœderati Belgii Ordines scriptis d. 21. *Octob*. 1713. amicitiæ & benevolentiæ synceritatem iis est contestatus, parisque contestationis responsum accepit. *d*. 31. *Octob*.

Familia Regia atque Electoralis sequentibus nunc coruscat surculis.

FRIDERICUS WILHELMUS. Rex & Elector. Filius *Friderici I*. Regis Borussi. & *Sophiæ Carolæ* Hanover. Duc. Natus. A. 1688.

Uxor. SOPHIA DOROTHEA. Filia *Georgii Ludovici*. Elector. Hanover.

 Nata.

Nata. 1687. Nupta 1706. Mater
Friderici. Nat. 24. Jan. 1712.
Fridericæ Augustæ. Nat. 3. Jul. 1709.
Carolæ Albertinæ. Nat. 5. Maji 1713.
Ex Patruis Regis, superest.

Albertus Fridericus. Nat. 1672. Magnus Magister Ordinis Johann. per Pomeraniam factus 1696.

Uxor. *Maria*, Filia *Friderici Casimiri* Duc. Curland. Nupta. 1703. Ex qua
Carolus. Nat. 1705.
Fridericus. Nat. 1710.
Anna Sophia Carola. Nat. 1706.
Anonyma. Nat. 21. Apr. 1712.

Ex Patruo *Philippo Wilhelmo* †. 19. Dec. 1711. superstes est.

Fridericus Wilhelmus. Nat. 1704. Cui Rex defunctus, Producatum Magdeburgicum, post obitum patris confirmavit, adjectis XXM. annuis.

In linea Franconica florent & quidem

1. *Berythi.*

GEORGIUS WILHELMUS. Filius *Christiani Ernesti.* †. 10. Maji 1712. & *Sophiæ Ludovicæ* Würtemberg. †. 1702. Natus 16. Nov. 1679. Patri successit 1712.

Uxor. SOPHIA. Filia *Johannis Adolphi* Weissenfels. Nat. 1684. Nupt. 1699. Ex qua superest.

Christiana Sophia Wihelmina. Nat. 1701.
Sororum reliqua est.

Chri-

Christiana Eberhardina. Nat. 1671. Regi Poloniæ *Friderico Augusto.* Nupt. 1693.

2. *Culmbaci.*

GEORGIUS FRIDERICUS. Filius *Christiani Henrici.* †. 1709. & *Sophiæ Christianæ*, Wolfstein. Nat. 19. Jun. 1688. Patri successit An. 1709.

Uxor. DOROTHEA. Holsat. Beck. Nupta 1709.

Fratres Ducis sunt.

Albertus Wolfgang. Nat. 1689.

Christianus Augustus. Nat. 1699.

Fridericus Christianus. Nat. 1708.

Dorothea Carola. Nat. 1691.

Vivit adhuc Ducis Patruus.

Carolus Augustus. Nat. 1663. Canonicus Magdeburg.

Nec non Patrueles.

Fridericus Christianus. Nat. 1700.

Fridericus Augustus. Nat. 1703.

3. *Onoldii.*

WILHELMUS FRIDERICUS. Filius *Johannis Friderici.* †. 1686. & *Eleonoræ* Isenac. Natus 29. Dec. 1685. Fratri successit 1703.

Uxor. CHRISTIANA CAROLA, Würtemberg. Nupta. 28. Aug 1709. Mater *Caroli Friderici Wilhelmi.* Nat. 12. Maji. 1712.

Soror Ducis.

Wilhelmina Carola. Nat. 1683. nupsit 1705.

Georgio Augusto, Principi Elector. Hanov.

IN DOMO BRUNSWICENSI florent.

1. *Hanoveræ.*

GEORGIUS LUDOVICUS. Elector. Nat. 1660. Filius *Ernesti Augusti* †. 1698. & *Sophiæ Palatinæ*. Cui succeſſio in Regnum Angliæ à Parlamento fuit promiſſa.

Uxor. SOPHIA DOROTHEA, patruelis. Nupt. 1682. repud. 1694. Ex qua eſt.

Georgius Augustus. Nat. 1683. Princeps Electoralis.

Uxor. *Wilhelmina Carola*, Onoldina Nupt. 1705. Mater

Friderici Ludovici Wilhelmi. Nat. 1707. 31. Jan.

Annæ. Nat. 1709.

Anonymæ. Nat. 1711.

Anonymæ. Nat. 1712.

Fratres Electoris ſuperſtites ſunt.

Maximilianus Wilhelmus. Nat. 1666. Campi Mareſchallus Cæſareus.

Ernestus Augustus. Nat. 1674.

2. *Guelpherbytæ.*

ANTHONIUS ULRICUS. Nat. 1633. filius *Augusti* Hizackerenſis †. 1666. & *Dorotheæ* Aſcanicæ †. 1634. Religionem Romanam eſt amplexus 1709. Francofordiæ à Carolo VI. Imp. magnificis epulis fuit exceptus 1711.

Liberos ſuperſtites ex *Eliſabetha Juliana* Nordburgenſi †. 1704. videt

Augustum Wilhelmum. Nat. 1662.

3. Uxor. *Elisabetha Sophia Maria.* Nat. 1683. Filia *Rudol. Friderici* Nordburg. nupt. 1710.

Ludovicum Rudolphum. Nat. 1671.

Uxor. *Christina Ludovica*, filia *Alberti Ernesti* Princip. Oeting. Nupt. 1690. peperit

Elisabetham Christinam. Nat. 1691. transiit ad castra Romanorum 1707. nupsit Carolo VI. Imp. 1708.

Carolam Christinam. Nat. 1694. Nuptam *Alexio* Principi Moscoviæ 1711. *Torgaviæ.*

Anthoniam Amaliam. Nat. 1696. Nuptam *Ferdinando Alberto* Beverensi 15. Oct. 1712.

Nepotes ex fratre *Ferdinando Alberto*, Beverensi †. 1687. supersunt.

Ferdinandus Albertus. Nat. 1680. factus Generalis Major Cæsareus 1707.

Uxor. *Anthonia Amalia* Guelpherbyt. 1712. 15. Octobr. peperit 1. *Carolum.* Nat. 1. Aug. 1713.

Ernestus Fridericus. Nat. 1682. Martem in Belgio secutus.

In Familia *Würtembergica* hodiè virentes cernimus.

1. *Stuttgardiæ.*

EBERHARDUM LUDOVICUM. Nat. 1676. filium *Wilhelmi Ludovici.* †. 1677. & *Magdalenæ Sibyllæ*, Darmstad.

Uxor. JOHANNA ELISABETHA, filia

Friderici Magni Badeno-Durlac. nupt. 1697. Baſileæ. Mater
Friderici Ludovici. Nat. 1698. 14. Dec.
Ex patruo *Friderico Carolo* Adminiſtratore. †. 1698. ſuperſtites florent.
Carolus Alexander. Nat. 1684. Gubernator Landaviæ 1709. Generalis campi Mareſchallus Cæſar. 1710. Landaviam contrà Gallos obſidentes, ſumma virtute propugnavit 1713.
Henricus Fridericus. Nat. 1687.
Fridericus Ludovicus. Nat. 1690.
Auguſta Sophia. nupta *Wilhelmo Friderico* Onoldino 1709.

2. *Neuſtattæ*.

FRIDERICUS AUGUSTUS. Nat. 1654. filius *Friderici* †. 1682. & *Claræ Auguſtæ* Brunſvic. †. 1700.
Ux. ALBERTINA SOPHIA, Eberſtein. nupt. 1679. Mater
Auguſtæ Sophiæ. Nat. 1691. †. 1709. cum *Friderico Eberhardo*, Hohenloico in *Langenburg*.
Eleonoræ Wilhelminæ Carolæ. Nat. 1694.
Fratrem habet *Carolum Rudolphum*. Nat. 1667. Stipendia apud Daniæ Regem merentem.

3. *Montepelicardi*.

LEOPOLDUS EBERHARDUS. Nat. 1670. filius *Georgii*. †. 1699. & *Annæ de Coligny*. †. 1680.

Uxo-

Uxorem duxit filiam Senatoris in *Olau* nunc factam Comitiſſam *de Sponeck.* quæ ipſi unam alteramque peperit prolem.

4. *Brenzæ.*

FRIDERICUS FERDINANDUS. Nat. 1654. filius *Manfredi.* †. 1662. & *Julianæ* Oldenburgicæ.

Uxor. ELISABETHA Mömpelgardica. nupt. 1689. quæ fuit enixa.

Julianam Sibyllam. Nat. 1690.

Hedwigem Fridericam. Nat. 1691.

5. *Bernſtadiæ* ſeu *Oelſæ.*

CAROLUS FRIDERICUS. Nat. 1690. adeptus veniam ætatis 1707.

Uxor. JULIANA SIBYLLA CAROLA, Weilting. nupt. 1709. 21. April.

Fratrem habet *Chriſtianum Ulricum.* Nat. 1691.

6. *Juliusburgi.*

CAROLUS. Nat. 1682. 1. Mart.

Uxor. WILHELMINA LUDOVICA. Maynung. †. 1703.

In Familia *Haſſiaca* florentes vivunt.

1. *Caſſellis.*

CAROLUS. Nat. 1654. filius *Wilhelmi VI.* †. 1663. & *Hedwigis Sophiæ* Brandenb.

Liberi ex *Maria Amalia* Curlandica †. 1711. 16. Jun. ſuſcepti ſunt.

Fridericus. Nat. 1676. 28. April.

Sophia Carola. nat. 1678. nupta. cum *Friderico Wilhelmo* D. Suerin. 1702.

Wil-

Wilhelmus. Nat. 1682. Generalis Locumtenens factus apud Batavos 1709.
Maria Ludovica. Nat. 1688. nupta 1709. cum *Johanne Wilhelmo Frisone* Nassov. Frisiæ Gubernatore qui, †. 1711. in aquis.
Maximilianus. Nat. 1689.
Georgius. Nat. 1691.
Wilhelmina Carola. Nat. 1695.
Fratrem habet.
Philippum. Nat. 1655. qui sedet *Creutzbergæ*, ubi struxit arcem *Philippsthal*.
Uxor. *Catharina Amalia*. Com. Salmo, Laubac. †. 1680. Mater
Caroli. nat. 1682.
Amaliæ. nat. 1684.
Philippi. nat. 1686.
Fridericæ Henricæ. nat. 1688.
Wilhelmi. nat. 1692.
Sophiæ. nat. 1695.
2. *Rhenifelsæ*.
Filii *Ernesti* †. 1693. & *Mariæ Eleonoræ* Solmens. †. 1689.
WILHELMUS, Rodenburg. nat. 1648. qui ex *Maria Anna*, Wertheim †. 1688. habet.
Ernestum Leopoldum. nat. 1684.
Uxor. *Eleonora Maria* Löwenstein. nupt. 1704.
Elisabetham. nat. 1678. nupt. 1695. cum *Francisco Alexandro*. Nassov-Hadmar.
Annam

Annam Johannam. nat. 1680.

Erneſtinam Ludovicam. nat. 1681.

CAROLUS. Wanfrid. nat. 1650. †. 1711. 1. Mart. Ex ſecunda uxore *Alexandrina Juliana* Leining. nupt. 1678. †. 1703. ſuſcepit. *Carolam Amaliam*. nat. 1679. nupt. 1694. cum *Franciſco Ragotski* Principe Transſylvan.

CHRISTIANUM nat. 1689.

Sophiam Leopoldinam. nat. 1681. nupt. 1700. Cum *Philippo Carolo*, Hohenloico.

Mariam Annam Johannam. nat. 1685. nupt. 1703. Cum N. ab Ingenheimb.

Chriſtianam Franciſcam Polyxenam nat. 1688. nupt. 1712. cum *Dominico Marquardo* Wertheim. Com. Julianam Eliſabetham. nat. 1690. Eleonoram Bernhardinam. nat. 1695.

3. *Darmſtadiæ.*

ERNESTUS LUDOVICUS. nat. 1667. filius *Ludovici VI*. †. 1678. & *Eliſabethæ Dorotheæ* Gothanæ.

Liberos habet ex *Dorothea Carola* Onoldina †. 1705. ſuſceptos.

Ludovicum. nat. 1691.

Franciſcum Erneſtum. nat. 1695.

Dorotheam Sophiam. nat. 1689. nupt. 1710. cum N. Com. Hohenloic. *Fridericam Carolam*. nat. 1698.

Fratres habet.

Henricum, nat. 1674.

Philip-

Philippum. nat. 1671. Qui dogma Romanum amplexus est 1693. Mareschallus Campi Cæsareus factus 1708.

Uxor. *Maria Eleonora de Havre.* nupt. 1693.

4. *Homburgi.*

FRIDERICUS JACOBUS nat. 1673.

Uxor. ELISABETHA DOROTHEA Darmstad. nupt. 1700. Ex qua vivunt.

Ludovicus Johannes. nat. 1705.

Johannes Carolus. nat. 1706.

Fratres superstites sunt.

Casimirus Wilhelmus. nat. 1690.

Ludovicus Georgius. nat. 1693.

Uxor. *Christina Magdalena* Limburg. nupt. 1710.

Surculis Familia *Badensis* gaudet sequentibus.

1. *Badenæ.*

WILHELMUS GEORGIUS. nat. 1703. filius *Ludovici Wilhelmi.* †. 1707. & *Franciscæ Sibyllæ Augustæ* Saxo-Lauenburg. sub Tutela matris adolescit.

Fratres habet.

Augustum Wilhelmum Georgium. nat. 1706. 14 Jan.

Augustam Mariam Johannam. nat. 1704. 10. *Novemb.*

2. *Durlaci.*

CAROLUS WILHELMUS. nat. 1679. filius *Friderici Magni.* †. 1709. & *Augustæ Mariæ* Slesvic.

Uxor.

Uxor. MAGDALENA WILHELMINA, filia *Wilhelmi Ludovici* D. Würtemberg. nupt. 1697. Mater
Friderici. nat. 1703.
Augustæ Magdalenæ. nat. 1706.

Fratres & Sorores sunt.

Christophorus. nat. 1684. Generalis apud Batavos.

Gatharina. nat. 1676. †. 1701. cum *Johanne Friderico* Leining.

Johanna Elisabetha. nat. 1680. †. 1697. cum *Eberhardo Ludovico* D. Würtemb.

Albertina Friderica. nat. 1682. †. 1704. cum *Christiano Augusto*. D. Holsat.

In Sabaudia.

Diffidium Duci cum Aula Romana ortum, occasione *Abbatiæ S. Benigni* in Pedemontio, cujus reditus Præfecti Ducis perceperunt. Siquidem Dux in terris suis Jus *Regaliorum* & *Annatum* sibi asserit, contradicente Vaticano, & fulmen excommunicationis minitato. Ann. 1712. Conventus litis componendæ gratia cum Oratore Sabaudico *Romæ* habiti, irritum habuerunt effectum. Undè secundum monitorium *Româ* emanavit. Ann. 1713. Auctum fuit diffidium, cùm, cessa per pacem *Siciliâ*, Episcopus *Cattaniæ*, ob immunitates Ecclesiasticas vigorosiùs defensas, juberetur regno excedere; cui jussui, interdicta priùs urbe & diocesi, paruit, Romam secedens; Eum secutus est Episcopus Messinensis & Agrigentinus. Pa-

Pacem *Ultrajecti* cum Galliæ & Hispaniæ Regibus conclusit. 11. April. 1713. qua

1. Obtinuit *Siciliæ* regnum perpetuo jure possidendum. His tamen conditionibus.

Ut Dux fœdus observet perpetuum & inviolabile cum Rege Hispaniæ, contrà omnes ejusdem hostes, jura sua turbaturos.

Ut nullum unquam fœdus cum ullo concludat, injussu Regis Hispaniæ, neque directè, neque indirectè.

Ut Regi, Tribunalis in Insulà habendi & judicii exercendi, potestas reliqua sit, independentis à novo Rege.

Ut omnes confiscationes, alienationes, donationes domaniorum, à Regibus Hispaniæ hactenùs factæ, sint perpetuæ, ratæ, nec ullo prætextu revocabiles.

II. Ei omnia restituta, quæ Rex Galliæ, durante bello, ipsi eripuerat. Vallis *Pragelas*, cum fortalitiis *Exilles*, *Fenestrelles*, nec non valles *Oulx*, *Sesane*, *Bordinache*, cum Castello Delphini & appertinentiis Duci cessæ, pro valle *Barcellonette* Regi relictæ.

III. Cessiones terrarum, ab Imperatoribus Leopoldo & Josepho Duci factæ, ipsi confirmatæ. (Quibus tamen nunc *Carolus VI.* Imp. contradicit.)

IV. Successio in regnum Hispaniæ, deficiente stirpe Philippi V. Duci ejusque descendentibus decreta.

V. Omnes pacificationes anteriores, imprimis

V. Omnes pacificationes anteriores, inprimis Taurinensis, Ann. 1696. cæterùm repetitæ & confirmatæ.

Academiam Regiam diù clausam restauravit. Rebus dein cum Siculorum Deputatis compositis, in Siciliam profectus, Regni possessionem cepit, exceptus *Palermi* regio apparatu, d. 10. *Octob.* Matre & filio primogenito (cui *Ducis Sabaudiæ* titulus in posterùm dabitur) Vicaria potestate relictis. Cæsar autem, disseminatis manifestis, apud Siculos fuit protestatus.

Familia Regia sequentes videt surculos.

VICTOR AMADÆUS, I. Rex. Sicil. Hierosol. & Cypri &c. Nat. A. 1666. Fil: *Caroli Emanuelis II.* †. A. 1675. & *Mariæ Johannæ Baptistæ Nemurcensis.*

Uxor. *Anna Maria*, filia *Philippi* D. Aurel, Duct. 1684. Ex qua nati supersunt.

Victor Amadæus Josephus, Nat. 1699. Nunc vocatur *Dux Sabaudiæ.*

Maria Anna. Nat. 1687. nupta *Philippo V.* Regi Hispan. 1701.

Carolus Emanuel Nat. 1701.

In ramo *Carignan.*

Victor Amadæus, Nat. 1690. Princeps Sabaudiæ.

Emanuel, Nat. 1696. Princeps Carignan.

Maria Victoria, Nat. 1687.

Isabella Ludovica Gabriela, Nat. 1689,

In ramo *Suessionensi.* EUGENIUS, Nat.

 1692.

1692. Ejus Patruus est heros ille & seculi nostri miraculum *Eugenius Franciscus*, Nat. 1664. Locumtenens Generalis Cæsareus Turcarum dormitor. Gallorum flagellator.

In Lotharingia.

Palmites hujus familiæ sunt.

Leopoldus Josephus Carolus, Nat. 1679.

Uxor. *Elisabetha Carola*, filia *Philippi* D. Aurel. †. 1691. Quibus tres liberos mors uno rapuit Anno 1711. mense Majo. N. Princeps, Nat. 12. Dec. 1712.

Carolus Josephus Ignatius, Nat. 1680. Archiepiscopus & Elector Trevirensis 1711. 6. Jan.

Electioni *Caroli VI.* interfuit.

Ferdinandus Josephus Philippus, Nat. 1683. Dux Guisii.

Franciscus Josephus, Nat. 1689. Abbas Stablens.

In Helvetia.

Abbas S. Gallensis funestum incendit bellum. Septem quippê communitates in Toggio in partes Abbatis seductæ; reliquæ autem Regimini provinciali adhæserunt, subnixo protectione Tigurinorum & Bernatium. Illis auxilia Lucernatium & reliquorum Catholicorum clàm promissa & mox apertè præstita. Imminente indè Reformatorum oppressione & privilegiorum omnium incolarum occisione, Tigurini & Bernates à Toggiis, armorum Abbatis violentia

lentia jam pressis, in auxilium vocati sunt. Qui inviti in bellum hoc civile pertracti, causas & animum scriptis publicè emissis manifestarunt. 1712. *Mense April.* Bello initium datum in Toggio (ubi copiæ Abbatis varia loca opportuna occuparant *Felbero* & *Bollingero*, ductoribus) Cœnobia *Magdenau*, *Wattweil* & *S. Johannis* à Tigurinis & Toggiis superioribus occupata & continenter custodita. Civitates Catholicæ conventum egerunt *Lucernæ*, d. 16. April. Incolæ Toggii inferioris, armis sumptis, copias Abbatis auxerunt. Lucernates Comitatum Badensem, oppidaque provinciarum liberarum illicite occuparunt, utpotè omnibus communium. Excitati itaque Bernates Tigurinis se junxerunt, pulsis in trajectu Ursæ Lucernatibus. Conventus *Badenæ* institutus, irritum habuit eventum, quoniam Lucernates præsidiarios *Badenæ* statutos revocare nolebant. Hinc translatus *Oltenam* sine successu quoque fuit, quoniam Suitenses emanserant, atque induciæ propositæ binis unitis Civitatibus displicebant. Primus itaque impetus in Abbatem factus, qui relicta *Wila* trans lacum aufugit, oppidum verò istud, post aliquot dierum obsidium captum d. 22. Maji. Eadem quoque die, fugatis Lucernatibus, *Mellinga* à Bernatibus occupata, salva libertate & religione. Toggium itaque & ditiones Abbatis spontè

ſe ſubmiſerunt, occiſo *Felbero*, decapitato *Bollingero* Bernates verò fugientes perſecuti, Lucernatium XII. M. in ſilva propè *Bremgardam* prœlio victa fugarunt, occiſis ſuprà mille, pluribus ſauciis, captis 4. tormentis. Victoribus circiter 60. deſiderati, inter quos *Baro de Laſſarra* fortiter dimicans occubuit, ipſeque Dux *Tſcharnerus* in manu ſauciatus d. 26. Maji. *Bremgarda* ſtatim in deditionem accepta leges victorum ſubiit mites Converſi indè ad *Badenam* exercitus Tigurinorum & Bernatium, illam ancipiti impetu preſſam, ad petendam Clementiam adegerunt, d. 1. *Jan.* Articuli mites ab initio præſcripii à Bernatibus fuerunt duriores redditi. Itaque arx & portæ dirutæ. Mulcta pecuniaria indicta. 'Αυζοκρατορία adempta & ſenatus Præfecto ſubjectus. Duæ Eccleſiæ reformatis reſervata. Campanæ C. aur. taxatæ & redemptæ. Arma, Archivum, Ærarium publicum adempta. Authores rebellionis pœnis competentibus ſubject. Territi tam celeri tamque felici armorum progreſſu *Lucernates*, implorata Oratoris Gallici Comitis S. Lucæ mediatione, pacem quæſiverunt, quæ in Comitiis *Aroviæ* celebratis, poſt aliquam moram fuit concluſa. *d.* 18. *Jul.* Vi cujus Abbas excluſus. Comitatus Badenſis & pars Præfecturarum liberarum *Tigurinis* & *Bernatibus* relicta. Amneſtia conceſſa utrinque, & impenſæ bellicæ ab iſtis remiſſæ. Verùm *Tugienſes, Suitenſes* & *Subſilvani*

Subſilvani pace iſthac offenſi,eandem conſenſu ſuo confirmare renuerunt. Idem contra fidem fecerunt ruſtici *Lucernates* & *Uranienſes*. Ergò, ad arma reditum,& poſt quasdam velitationes, illi à *Tigurinis* & *Bernatibus*, pertinaci & cruentisſimo prœlio fuerunt proſtrati ad Vilmergam *d.* 25. *Jul.* cæſis & ſuffocatis in tranſitu rivi *Bunſee* ſuprà II. M. & D. captis CCCC. Ex victoribus deſiderati CC. Sauciati CCC. Cæterùm omnis apparatus bellicus & tormenta cum ſignis militaribus,nec non cornu Uraniorum, vulgò *Taurus* dictus capta. Eo celebrior extitit iſthæc victoria, quod duplici hoſtium numero invaderentur Bernates, aciesque propè nutans, à ſtrenuisſimo ſene *Samuele Friſching* ſeptuagenario majore Civitatisque Vexillifero, heroicè fuerit confirmata. Nec à ſua parte Tigurini fuére ſegnes; quippè repulſis fortiter Suitenſibus, in agrumTigurinum irrumpentibus, *Tugienſes*, *Suitenſes*, *Uſnacenſes* cum *Rapoldivilla* in fidem recepére debellatos. Indefeſſo tamen reliquorum ſociorum labore, pax tandem iterùm fuit conglutinata, *d.* 11. *Aug.* ſuperiora confirmata, *Rapoldivilla* cum pago *Hurden* & ſpatio III. M. paſſ. in circuitu, Tigurinis & Bernatibus conceſſa; Hi quoque in communionem Præfecturarum Turegoviæ, Vallis Rhenenſis & Sarunetum recepti, atque ubique paritas religionum ſtabilita. Tiguri-

ni & Bernates,ablegatis *Ratisbonam*,Oratoribus, causam suam, contrà Episcopum Constantiensem & Abbatem S. Gallensem exposuerunt prædictas, Civitates criminantes. Subditi Lucernates, ob pacem conclusam, tumultuati,suppliciis castigantur à Magistratu. Incolæ quoque vallis Livinæ trans alpes Uraniis rebellantes, militiæ præstitæ stipendium postularunt, atque telonium in monte S. Gotthardi ceperunt,exacto Præfecto. Sed rari aliter non potuerunt, nisi receptione in communionem juris & libertatis, cum reliquisUraniæ provincialibus.

Rhæti, fœdus tutelare, cum provinciis Belgii fœderati, inierunt, Ann. 1713.

In Comitiis Badensibus 1713. placuit; ut Helvetii,denuò, inter belligerantes,agnoscerentur neutri, sicuti ab initio belli placuerat, Anno 1702. facta reciproca Oratorum Imperatorii & Gallici stipulatione.

In Conventu rationum *Frauenfeldam* ab octo antiquioribus Civitatibus translato, controversia circà *Diessenhofam* sopita, paxque religionis nupera ubique stabilita est.

Galli reformati CXXXVI. triremibus per pacem & intercessionem Reginæ Angliæ liberati, ad Helvetios reformatos concedentes, ibi benignè recepti & publicè sustentati sunt.

Comitiis Badenæ indictis mense *Octob.* 1713. ad capienda de securitate Civitatium

Sylve-

ſylveſtrium Auſtriacarum conſilia, intereſſe renuerunt Civitates & pagi Catholici.

Poſt varios conventus Tigurinorum & Bernatium, cum Miniſtris *Leodigarii* Abbat. S. Galli actos, imprimis *Roſchachii* amicabili tranſactione nondum planè fuit compoſita; interim bonam de felici exitu ſpem nobis faciunt nova.

In Eccleſia.

Romæ. Clemens XI. novos creavit ſanctos, nimir. *Pium V.* Dominicanum. *Andræam d'Avellino* Theatinum. *Felicem Cantalicem* Franciſcanum & *Catharinam Bononienſem* Cujus imagines argenteas. Legatus Bononienſis Papæ & Cardinalibus aliisque Præſulibus congregationis rituum donavit. 1712. d. 22. Maji. Helvetiis Catholicis ſubſidia belli ſubmiſit contrà Tigurinos & Bernates.

Cardinales creavit Papa ſequentes. Anno 1711. d. 23. Decemb.

Hannibalem Albanum, nepotem ſuum. Anno 1712. d. 22. Maji.

Wolfgangum Anthonium Com. Schrottenbach, Epiſcop. Olmütz. Nominante Imperatore.

Armandum Rohanium Principem Soubiſ. Epiſcop. Argentorat. Nominante Rege Gall.

Nunonem de Conha de Attayde, Epiſcop. Tergenſ. Nominante Rege Portugalliæ.

Julium Piazzam, Forojul. Archiepiſcop.

Faenzæ Nuncium Apoſtol. Wiennæ.
Joh. Anthonium Davis, Bolon. Archiepiſcop. Rimin.
Auguſtinum Cuſani, Mediolan. Epiſcop. Papienſem.
Anthonium Felicem Zandodari, Sinenſ. Archiepiſcop. Damaſcen.
Ludovicum Priuli, Venet.
Joſephum Mariam Tomaſium, Salernit. Canon. Regular. Theatin. †. 1. Jan. 1713.
Joh. Baptiſtam Tolomeum, Piſtojens. Jeſuitam.
Franciſcum Mariam Caſini, Aretin. Ordin. Dominic.

Die 26. Sept. Anni Ejusdem.

Picum Mirandulanum.
N. Orighi.
N. Corradini.
N. Buſſi, Nuncium Apoſtolic. Coloniæ. Anno 1713. die 30. Januar.
M. de Sala, Epiſcop. Barcinon. Nominante Carolo VI. Imp. & Reg. Hiſpan.
N. Dorias, Archiepiſcop. Sevil. Nominante Philippo. V.
Armandum Abbatem Polignac.
Erbam Odeſchalchi, Archiepiſcop. Mediolan.

Genuenſes banno Papali ſe opponunt, edito publicè Scripto. Homo orientalis, quem Jeſuitæ Magni Chami Tartarorum filium eſſe affirmantes, in Hiſpaniam adduxerant,

xerant, ubi S. Baptiſma accepit, Romam perveniens, & publicè à Papa auditus, præter alia munera, catenam auream meruit. An. 1713. Turbas in Gallia excitavit, *Joſephi Juvencii* Jeſuitæ; *Continuatio Hiſtoriæ Societatis Jeſu.* Edita *Romæ.* An. 1710. & indignationem Romæ, Jeſuitarum in Gallia declaratio, juſſu Regis coràm Tribunale Pariſienſi facta, aſſerens; *Regem in Temporalibus à ſolo Deo dependere.* Pallium Patriarchæ Alexandrino petenti per Sacerdotem Græcum Româ tranſmiſſum, illeque dogma Romanum amplexus à ſchiſmatici banno & ignominia in publico Conſiſtorio abſolutus. d. 28. April. 1713.

Galli CXXXVI. ob religionem reformatam quondam ad triremes damnati, ex tabulis pacis cum Anglia concluſæ, libertati priſtinæ reſtituti, in Helvetiam conceſſerunt. Menſe *Auguſto.*

Traductio Novi Teſtamenti cum annotationibus moralibus *P. Quenelli*, Romæ, edita Bullâ, fuit damnata.





INDEX PERSONARUM.

A.

Alc-

C.

Christianus

Criſpus

I.

Iacob

INDEX

Leo

I N D E X

Mene-

Philip-

INDEX

Sim-

Vra-

Finis Indicis Perſonarum.





INDEX RERUM.

Anglia

B.

Conci-

I.

Mons-

Q.


R.

V.

W.

VVienna

Finis Indicis Rerum.



INDEX LOCORUM.

A.

FINIS.

Sphalmata Typographica.

Pag. 6. lin. 18. lege, Palladium. pag. 7. lin. 26. leg. Assarrhaddon. pag. 7. lin. 31. leg. partitus. pag. 13. lin. 29. leg. Berenicen. pag. 23. lin. 7. leg. Remi. pag. 132. lin. 11. leg. Vitam. p. 221. lin. 8. leg. Cloacam. pag. 252. lin. 23. leg. Henricus VII. p. 287. lin. 27. leg. recepit. pag. 291. lin. 14. leg. Hieronymus. p. 297. lin. 23. leg. Ludovicus Niger. pag. 453. lin. 7. leg. abstulit. pag. 480. lin. 23. leg. relicta. pag. 484. lin. 19. leg. reservata. pag. 486. lin. 11. pro, sed rari, leg. sedari.



